





R  
91



Paulij Lebij Clogium Viarum

Espan. 6. vol. 2. p.



*[Faint, illegible handwriting]*



*Lo Contiene en Madrid, con el título de dale a la Librería de mi  
Congregación de Puercos*

19153

ELOGIA VERIS CLA-  
RORVM VIRORVM IMAGINIBVS  
APPOSITA.

QVÆ IN MVSÆO IOVIANO  
COMI SPECTANTVR.



ADDITA IN CALCE OPERIS  
ADRIANI PONT. VITA.



*Ne turbata uolent rapidis oracula uentis*



*Nunc folio uates commodiore sonat.*

Cum Priuilegio summi Pontificis, Caroli V. Imperat. Regis Franciæ,  
Illustrissimi Senatus Veneti, nec non Excellentissimorum  
Florentiæ, & Mantuæ Ducum.

*Admiratione et Fidei M. de Montaigne*  
*A. Montaigne*



ELOGIA VERIS CLARORVM VIROBVM IMAGINIBVS  
APPOSITA.

QVÆ IN MVSÆO IOVIANO  
COMI SPECTANTVR.



ADDITIONE IN CALCE OPERIS  
ADRIANI PONT. VITA.



*Ne turbata uolent rapidis oracula uentis*



*Nunc folio uates commodiore sonat.*

Cum Priuilegio summi Pontificis, Caroli V. Imperat. Regis Franciæ,  
Illustissimi Senatus Veneti, nec non Excellentissimorum  
Florentiæ, & Mantuæ Ducum.


*Adriani Pont. Vita*



CLASIFICACION DE LAS  
CATEGORIAS DE LA  
CATEGORIA.

CONVENCIONES DE LA  
COMISION DE LA

COMISION DE LA  
COMISION DE LA



El Ayuntamiento de Madrid

El Ayuntamiento de Madrid

El Ayuntamiento de Madrid  
El Ayuntamiento de Madrid  
El Ayuntamiento de Madrid



Motu proprio &c. Cum sicut dilectus filius noster Michael Tramezinus bibliopola Venetus nobis nuper exponi fecerit ad communem omnium studiosorum utilitatem sua propria impensa diuersa opera Latina, & Italica: ipsa Italica tam ex Latino, & Hispano ac Gallico idiomate translata, quam Italice facere minimeq; translata; hætenus non impressa, imprimi facere intendat; dubitetq; , ne huiusmodi opera post modum ab aliis sine eius licentia imprimantur, quod in maximum suum præiudicium tenderet. nos propterea eius indemnitati consulere uolentes; motu simili, & certa scientia eidem Michaeli, ne prædicta opera hætenus nõ impressa, & per ipsum imprimenda, per decem annos post eorundem operum uel cuiuslibet ipsorum impressionem a quocunque sine ipsius licentia imprimi aut uendi, seu uenalia teneri possint, concedimus & indulgemus; inhibentes omnibus, & singulis Christi fidelibus, tam in Italia, quam extra Italiam existentibus, præsertim bibliopolis, & librorum impressoribus, sub excommunicationis latæ sententiæ; in terris uero S. R. E. mediate uel immediate subiectis etiam ducentorum ducatorum auri cameræ Apostolicæ applicandorum; & insuper amissionis librorum pœna toties ipso facto, & absque alia declaratione incurrenda, quoties contrauentum fuerit ne intra decennium ab impressione dictorum operum, uel cuiuslibet ipsorum, respectiue computandum, dicta opera tam Latina, quam Italica hætenus non impressa, & per ipsum Michaellem imprimenda sine eiusdem Michaelis expressa licentia dicto decennio durante imprimere, uendere seu uenalia habere uel proponere audeant; mandantes uniuersis uenerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis, eorumq; uicariis in spiritualibus generalibus, & in statu temporali. S. R. E. etiam legatis, & uicelegatis sedis Apostolicæ, ac ipsius status gubernatoribus, ut quoties pro ipsius Michaelis parte fuerint requisiti, uel eorum aliquis fuerit requisitus, eidem Michaeli efficacis defensionis præsidio assistentes præmissa ad omnem dicti Michaelis requisitionem, contra inobedientes, & rebelles per censuras ecclesiasticas etiam sæpius aggrauando, & per alia iuris remedia auctoritate Apostolica exequantur: inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus constitutionibus, & ordination. Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscunque: et insuper quia difficile admodum esset præsentem motum proprium ad quælibet loca deferri; uolumus, & Apostolica auctoritate decernimus, ipsius transumptis uel exemplis, etiam in ipsis operibus impressis, plenam, & eādem prorsus fidem ubique tam in iudicio quam extra haberi, quæ præsentis originali haberetur. & quod præsentis motus proprii sola signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in iudicio, & extra; regula nostra in contrarium acta non obstante.

Placet A.

a ii



**FRANCOYS** Par la grace de dieu Roy  
de France Aux preuost de Paris Seneschal de Lyon ou leurs lieutenans & autres noz iusticiers & officiers quil appartiendra. Salut & dilection. Scauoir faisons que nous inclinās ala requeste que lam bassadeur de nostre saint pere le Pape residāt aupres de nous, Nous a faicte en faueur de nostre cher & bon amy messire Paoul Iouuo euesque de Nocere & desirans luy satisfaire & gratifier en cest endroit Pour ces causes & autres ace nous mouuans Auons inhibe & deffendu inhibons & deffendons a tous libraires & Imprimeurs de cestuy nostre Royaulme quelz qui soient que iusques au temps & terme de dix ans prochainement uenans commenans au Jour & dacte de cesdictes presentes Ilz nayent a Imprimer ou faire imprimer les oeuvres composez par le dict euesque de Nocere intitulez les eloges la uie Dadrian Sexte & les histoires que Icele luy euesque a faict Imprimer par Michel Tramezin libraire & Imprimeur demourant a Venize & ce sur peine de confiscation de tous lesdicti liures & demande arbitraire Si uoullons & uous mandons & achun de uous si comme a luy appartiendra que noz susdictes inhibicions & defences uous faictes entretenir garder & obseruer crier & publier & si aucuns apres la publication dicelles se treuuent faisans le contraire procedez a lencontre deulx, par les peines susdictes & ainsi que de raison : car tel est nostre plaisir & ausdict ambassadeur lauons ainsi octroye & octroyons & dece faire nous auons & a ung chun de uous donne & donnons ylain pouoir puissance aucte commission & mandement special Mandons & commandons a tous noz iusticiers officiers & subgectz que a uous en ce faisant soit obey Donne a Ligny le xxi. Iour d’Octobre lan de grace milcinq cens quarante six & de nostre regne le trentedeuxiesme.

Par le Roy.

De laubespine.



M D XLVI, die XXVIII. Augusti in Rogatis.

Che per auctorita di questo consiglio sia concesso al fidel nostro Michiel Tramezzino, che alcun' altro che lui, per anni dieci prossimi, senza sua permissione non possa stampar, ne far stampar in questa nostra citta, ne in alcun luoco del dominio nostro, ne altro: ue stampati in quelli uender li elogii del uescouo Giouio clarorum uirorum, sotto le pene, & li modi nella sua supplicatione contenuti; essendo obligato di offeruar tutto quello, che per le lezze nostre è disposto in materia di stampe.

M. Ant. nouello  
Duc. Not.

**C**OSMVS MEDICES, II. FLORENTIÆ  
dux: Vniuersis & singulis; ad quos præsentēs aduenerint, sal.  
&c. Exponi nobis fecit Michael Tramezinus Venetus librorum  
impressor se nonnulla opere reuerendi Pauli Iouii episcopi Nuce-  
rini elogiorum, & uitæ Hadriani Ponti. Maxi. necnon & histo-  
riarum impressurum: uereri tamen, ne aliorum librariorum astutia,  
& cupiditate alienum lucrum sibi aucupantium denuo impriman-  
tur, & ab aliis impressa uendantur; ac proinde suppliciter petit in-  
demnitati suæ ( quantum ad nostram ducalem ditionem attinet )  
de oportuno remedio prouideri. nos igitur, qui doctis atque eru-  
ditis uiris pro uirili nostra semper fauimus, & Paulum Iouium præ-  
dictum præcipua semper dilectione, ob raras & egregias uirtutes  
prosecuti sumus, eius cum intuitu, tum uero & precibus moti, om-  
nibus omnino impressoribus, librariis, uenditoribus, & cæteris no-  
stræ ducalis ditionis hominibus, districtius interdiciamus, ne quis  
eorum aliqua ex operibus prædictis absq; Michaelis ipsius uolun-  
tate proximo decennio imprimere, aut ab aliis impressa uenum da-  
re audeat. quicumque uero interdicto huic nostro contrafecerit, &  
impressorum, & uenui expositorum librorum amissione, & confisca-



tione , necnon & quinquagenorum aureorum in singula uolumi-  
na se pœna ipso facto mulctandum sciat ; quæ Ducali fisco nostro,  
& ipsi Michaeli æqualiter applicabitur. in quorum quidem omnium  
fidem has nostras fieri, solitiq; nostri plumbei sigilli iussimus ap-  
pensionem uniri Dat. Florentiæ ex nostro ducali palatio die xxiii.  
Septembris M D X L V I.

Cof. Med. Florentiæ dux .

Io. Fr. Lottininus.

Io. Fr. Lottininus.

Lælius Taurellus .

Her. car. Marg. duchessa tut. del S. duca di Mantoua , &c.  
Facendo monsignor el uescouo Iouio stampare in Vinegia per  
Michel Tramezzino alcuni, elogi , historie, & altri libri, & opre  
sue, in uirtu di queste nostre proibimo, che niuno tanto suddito,  
quanto che no , possi per dieci anni continui prossimi a uenire  
stamparne; o farne stampare, uenderne, o farne uendere cosi in que-  
sta citta, come in tutto el dominio Mantouano, saluo che esso Tra-  
mezzino, o suoi , che da lui ne haranno la licentia, sotto pena a chi  
contrafara , di perdere e libri , & un scudo d'oro per ciascadun li-  
bro , & questo tante uolte , quante sara ritrouato contrauenire, di  
che la metà habbia da essere del fisco , & l'altra dell'inuentore .  
Dat. in Mantoua sotto la fede del maggior ducal sigillo lo primo  
di Decembre . M D X L V I.

Fran. Tosabetius cancell. ad man.  
dominorum ex rel.<sup>ne</sup> mag. domini  
Sabini Calandræ duc. secr.

Sabinus.



Errata in libro corrigantur, ut infra.


Pag.7	iuris, ruris	Iuuenis, Iunonis
Pag.9	principium, principum fiat, fuit descriptus, descriptos dicebat, decebat	Pag.48. Chiromantis, Chiromantes
Pag.11.	antiquitas, antiquitus	Pag.50. septringinta, sepiuaginta
Pag.12.	odorans, adorans	Pag.52. quo eum de, quo cum de aductus, adductus
Pag.14.	nomenq; nomen, q literari, literarij	Pag.53. offendit penē, offendit ut penē. Ægidius, Ægidij
Pag.16.	domestipatus, domi stipatus	Pag.54. audienter, audientes
Pag.18.	efficeret, efficerent	Pag.55. quem intellecta, quum intellecta
Pag.19.	ingenij, ingenijs	Pag.56. fugitiua, fugitiui
Pag.20.	mutis, multis Florentia, Florentina gallo, galli	Pag.63. uirtute, uirtutis
Pag.28.	condito, condito	Pag.64. absoletæ, obsoletæ
Pag.29.	cæteris, ætheris	Pag.74. honestissimo, honestissimos
Pag.32.	consideretur, consuleretur perfidia, perfidia sui metu, suo metu	Pag.81. more, mores
Pag.33.	ac ciuilis, hac ciuilis	Pag.82. ornatis, armatis
Pag.41.	docenti, decenti	Pag.85. iactatis, iactatus
Pag.42.	delibutos, delibutus	Pag.87. Didacum, Inachum. detractione, detractatione
Pag.46.	dignam, dignum	Pag.90. uota, uoto reuocaret, renouaret
		Pag.92. tenuatur, renuatur
		Pag.94. alendam, alendum
		Pag.95. miscebatur, miscebatur
		Pag.97. Barbaros, Barbarus

*HONORATI Fasitelli.*

*Næ debent IOV IO viri elegantes ,  
Bonis artibus omnibus politi ,  
Næ debent IOV IO elegantiarum  
Parenti , artibus omnibus polito ,  
Quantum uix animus capeſſat ullus :  
Nec uiui modo , qui uident , amantiſq;  
Vrbani ſenis & ſalem , & lepores :  
Sed quos lumine adempto auarus Orcus  
Quis ſcit , quo cohibet loco miſellos ?  
Nam facit IOV IV S ſuis tabellis  
Excultis lepido ſuo labore  
Lethi funera non timere uiuos ;  
Vitam uiuere mortuos perennem .*



PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS  
EPISCOPI NVCERINI  
IMAGINES  
CLARORVM VIRORVM,  
AD OCTAVIVM FARNESIVM  
VRBIS PRÆFECTVM.



ERILLVSTRI quidem exemplo, & uerè  
more maiorum facis OCTAVI FARNESI  
Princeps iuuentutis, qui socero CÆSARI sin-  
gularis diligentiae, inuictæq; uirtutis Imperatori ar-  
matus comes uel in tanto castrorum fremitu, in cer-  
ta dubii oculi momenta Musis impertis: hac enim imitatione perno-  
bili non modo . C. Cæsaris qui unus summi iudicii, summæq; uir-  
tutis fastigium tenuit; sed Antonii, Bruti, Catonis, Octauii me-  
moriam recolitur. Quando hi, quod legimus, tui sanguinis uerèq; Ro-  
mani Heroes, uel paludati & canente clasfico nunquàm literarum  
studia remiscent. Quo fit, ut hanc excelsi, generosiq; ingenii in-  
dolem, quam non adulanter admirari licet, tibi magnoperè gratu-  
lemur: quum è Belgis iucundiore quadam epistola, quæ non in ca-  
stris cum peracri gallo hoste collatis, sed in præpingui ocio per-  
scripta uideri possit, ultimam historiarum mearum partem efflagi-  
tes; repetasq; item uehementer tanquàm promissam, & gerendo bel-  
lo gallico ualde opportunam Argentoni uiri grauissimi historiam,  
quam mihi nuper expetenti, Nicolaus Rentius uctus, ac humanis-  
simus amicus meus è Gallica lingua in Italicam, casta fide tradu-  
xit. Ante omnia uerò, tanquàm cruditi iucunditatis munus desi-  
deres Clarorum uirorum imagines, quæ in MVSÆO nostro ad  
Larium spectantur, & eas quidem per Elogia, quod nisi longo, dif-  
ficiliq; labore paruis in tabellis asfimilanter expingi nequeant, scilicet  
ut tantorum ingeniorum dotes admirabili uarietate stylo descri-  
ptæ elegantioris oblectamenti nomine ad animi iudicium transmit-  
tantur, multo enim grauius, pulchriusq; uidetur ingentium ani-  
morum uirtutes propriis annotatas Elogiis ad admirationem intue-  
ri, quàm ductas ex uero diligenter effigies, inani quanquàm iucun-  
da oculis uoluptate spectauisse. Verum & obiter quoq; requiris,  
A quod

quod nequaquam, saluo pudore, & integra fide præstari posse uide-  
tur, ut Musæum iucundè graphicèq; describam, postquam id tibi  
secus, ac maximè cupiebas, properante Cæsare, adire, spectareq;  
non licuit. Parebo itaq; lubenter honesta petenti, sed egregia fide  
debitum professio, aliquid mihi benignè condonandum existimo, sci-  
licet ut per partes huius aris alieni graue onus commodissimè dissol-  
uatur. Tu uerò singulari humanitate iuuenis facile hoc dederis iam  
planè seni ægroq; pedibus, ac his præsertim intempestiuis caloribus  
circumuento, quos nobis longè maximos ab æstuoso Buxeto, dum  
Cæsar belli, quàm pacis auidior, ad Algidas Germaniæ Alpes pro-  
peraret, in multo & puluerulento itinere subeundos reliquistis. Mit-  
to igitur ante omnia libellum, dulci breuitate periucundum, quo  
Elogia tabulis pictis supposita continentur. E' singulis enim imagi-  
nibus, singula exemptiles tabellæ dependent in membrana, uitæ atq;  
operum summam præferentes. Argentonus autem, qui Veneto præ-  
lo excuditur, totius Italiæ ciuitate donatus, ad te, ac ideo libenter,  
quòd ad Belgas suos redit, post paucos dies perueniet. Quod ue-  
rò ad historias meas pertinet, eas nequaquam tuto, Tabellariis com-  
mitti posse putauim, ne interceptæ quorundam animos offendant;  
nunquam enim uel æquisimus rerum gestarum scriptor, uictis par-  
riter, atque uictoribus satisfecit, quo minus utrinq; gratiam suam  
extenuet, uel odium quærat, quòd eum facile sit factiosa, superbaq;  
iudicia subire, qui inter uiuos libero ore locutus, tanquam postea  
ris gratum factururus, non procul ab inuidia fortunæ ludos, perscri-  
bit. Vale.

## MVSÆI IOVIANI DESCRIPTIO.

VBLICATIS, ac in MVSÆO tanquam augus-  
p sto uirtutis templo dedicatis Clarorum uirorum tabulis, il-  
la ipsa ueluti spirantes imagines, æquisimo iure depo-  
scunt, ut Musæum quoq; sua sacrata sedes, eodem conditoris stylo  
describatur; sed id uetat ingenuus pudor, qui tamen cruditis sub-  
rusticus uidetur; Quis enim uanitate ingenii non præclare stultus  
& ineptus est, qui quum sua miretur, ea demum pluris æstimet, quàm  
aliena? At is herclè multò stolidior euaserit, qui seuerè, parcèq; nar-  
rando, consilii atq; operis sui dignitatem eleuet, ut modestiæ laudem  
ferat, ille porro insanus poterit uideri, qui dum sibi tenerius blan-  
diendum existimat, certos ueritatis fines, ambitiosis excessibus per-  
turbet.



turbet . Sed ego , si Musis hospitibus placet , aureæ mediocritatis modum tenebo , ut has suburbanī , literatīq; ocii delitias ita exprimam , ut invidiam eorum iudicio qui hæc uiderint , facile deuitem : indeq; mihi securior , ac uberior uoluptas obueniat . Quando & hæc omnia Donius Ethruscus Vates miscellaneo opere edito , ac ob id incolumi pudore meo disertissime decantari . Neq; enim , quum nihil maius , & supra fortunam meam luculentius exprimi uelim , uel adulantibus , adeo uerecundè subirascor , ut dispudeat lata fronte confiteri id esse Musæum , quod elegantes , clariq; hospites sapius inuifunt , perpetuò ciues frequentant , ipseq; ante alios Alfonsus Daualus utranq; Lauream meritis , & præclarus inchoati , absolutiq; operis adiutor , omnibus æstiuis secessibus anteponit . Villa est in conspectu urbis peninsulæ modo in subiectum circumfusi Larii pelagus exporrecta , nam ad septentrionem , quadrata fronte , directisq; lateribus in altum excurrit , arenoso , puroq; in littore , ob idq; maxime salubri , in ipsis Plinianæ Villæ uestigiis excitata . hoc enim præclaro , religiosæ uetustatis testimonio , plurimum augetur ædificii decus , ac plena gloriæ , ac admirationis autoritas paratur . Iuuat herclè , longo obrutam situ , & penitus iacentem in patria clarissimi ciuis memoriam , non ignobili studio , & digna pietate suscitasse ; manet adhuc stabili naturæ munere latissima loci facies , ac æterna præcellentis structuræ fundamenta extant , quanquam absolutis operibus , & tempus edax , & Larius ipse , uel subitis incrementis admirabilis , potiusquam sæuus , dum perpetuò allidit , & fluctibus pulsatur , uehementer inuiderint . Visuntur in profundo uado , quum lacus molli , & uitreo æquore stratus , & liquidus conquiescit , quadrata marmora , ingentes columnarum trunci , deuorataq; pyramides , quibus antè portum lunatæ molis fauces ornabantur . Ab Oriente enim totius ædificii obiectu , & producta in cubitum lapidea mole aduersus Aquilones , tranquillius portus efficitur ; duplici quidem , & decenti podio coronatus . alterum è cauedii porta effusus , spectantesq; marmoreis sedilibus excipit , quum applicantes ab urbe , amicorum nauiculæ salutantur . alterum oblongam aræ marginem , quæ portui imminet , pectore tenus exornat , in hoc siquidem lata aræ definit , binis inclusa uiridariis , murisq; pinnatis , quæ hippodromi speciem præbet . Ad dextram medio lacu insula exurgit , firmissimo pariete circumsepta , iucundaq; eminentibus pomiferis arboribus : hæc Austri flatus arcet , & portum , obducto latere protegit , à cōtinente dirimitur Euripo , quem Plinius uiridem & gemmeum ,

A ii nihil

nihil adulatione mentitus appellabat . hunc præalto ponte , ut nauis  
 gia , inclinatis malis permeent , iungere cogitamus , si parta pace mi  
 seriarum finis ostendatur , ut , si lubet , uel inuito Neptuno , ad in  
 stitutam piscinam transire liceat . Ibi enim ab alto lasciue' prouecti  
 pisces , ac in insulam per oblata , & cœcis anfractibus insidiosa fora  
 mina penetrantes , crepto reditu , tanquàm latis carceribus asseruan  
 tur , ut duris tempestatibus exclusa piscatio , nihil expectitum dubiis  
 mensis eripiat . Ab ipso quoq; insulæ aduerso latere , illa immortalis  
 uirgo abdita intus , quæ Dorica uocatur Echo excitantibus , quum  
 læto clamore salutatur , celeri , liberaliq; obsequio semper respondet ,  
 nam duplicatas reddit uoces , ac hisdem accentibus recantat , & tum  
 quidem ex hoc inani , sed dulci ioco , blandissima capitur uoluptas ,  
 quum circumuchimur Cymbis , natantesq; pueros ad certamen ad  
 hortamur argenteolosq; nummos audaciæ præmia urinantibus in  
 alto dispergimus . Altera porro ad occasum area , minor quidem ,  
 sed liberiore cœli facie , & multa oculis occurrentium montium ua  
 rietate iucundior , quàm nominis uestri merito FARNESIAM  
 uocamus , matutinis opaca umbris , ita patescit , ut sub podio tutam  
 ab Euris stationem relinquat , sinuososq; Larii recessus , ac oppida  
 apricis promontoriis imposita , innumerabiles item uillas , & ueli  
 feras commœtantium classes longissimè prospectet . At hi à leua , de  
 xtraq; diuersi portus , quod opportune , decenterq; euenit , toto in  
 teriacentis Isthmi spacio coniunguntur . Sic ut non absurda Bimar  
 ris Corinthi similitudine , dum iocamur , hunc tanquàm ab Ægea  
 Cenchræum , illum ab Ionio Lechæum uocitemus , Nam quæ terre  
 stris aditus ad Villam patet , Isthmus binis ingentibus munitus por  
 tis , oblongo tractu totius ædificii frontem æquate complet , & exor  
 nat , dignumq; prorsus primaria Ianua , & perpicto atrio uestibu  
 lum præbet . hinc aliæ , atq; aliæ ex opposito aperiuntur ualua , quæ  
 rectissimo transitu , & ualdè grata intro spectantibus serie per con  
 cameratas topiario opere Iulianas uites , ad hortos , & ad syluosos  
 montes ducunt ; ab his per fictiles tubulos salientis aquæ perenn  
 nem , & limpidissimum fontem duximus in Doricam porticum ,  
 magno quidem labore , & reluctante sæpe Nympha , quod ea tan  
 quàm ex ore adibus egregiè syluestris , opaci & silentis ocii cupida ,  
 hæc tecta frequentia , occursumq; hominum , timidissimè deuitaret ,  
 nunc effecta blandior , sponte ascendit in statuam Dæ naturæ ere  
 ctam ; & per papillas erumpit , ut in marmoreum labrum effunda  
 tur . Hoc uno pulcherrimo fonte mirè gaudet Musæum , inde enim  
 ad



ad summum apicem florentis elegantiae peruenit, nam interiora con-  
clauia porticus, diatras, aestiua, hiberna quoque cubicula instaurasse mul-  
to luculentius, eximiis quoque picturis nobilius exornasse, quiuvis alius  
opibus, ingenio quoque ualidior facile potuit, nos autem loci genium se-  
cuti, ardenti quidem studio, sed dubia spe absoluendi operis, ita  
per partes aedificauimus, ut saepe sera poenitentia de fortunae libera-  
litate desperasse uideamur. Sed qui uillas à beatioribus, & Regu-  
lis, ac ideo supra ciuilem fortunae censum, magnifice aedificatas non  
uiderunt, aut benigniore iudicio, non insulsi operis elegantiam,  
parum eruditis sumptibus anteponunt, facile mirantur primam por-  
ticum ab hilari atrio statim occurrentem, quam à picturae argumen-  
to Personatam uocamus, quod prisco more hiantes comadorum per-  
sonas per intercolumnia uolitantibus suspensas strophis, dum oculos  
moratur, & detinet, intrantibus ostendat, nam inauratae per-  
sonae, elegantioris uitae praecepta, Laconica breuitatis effundere ui-  
dentur. hanc hyeme tepor eximius commendat, nam totam colle-  
ctis radiis plurimus sol implet. quum ad meridiem pertendens aesti-  
uam (quam Doricam diximus) adeo celeriter relinquat, ut pran-  
dere simul, ac cenare propter fontem, spumoso strepitu sonantem  
opacissimo loco possis, Nisi te Apollo Vates, nouem quoque sorores in  
illud spaciosum, perillustre quoque conclaue, à quo tota uilla Musae no-  
men accepit, blandientes alliciant. hoc enim pluribus undique fene-  
stris, ac Ianuis circumuectum solem, exortas quoque eodem cursu peregre-  
nes auras, aut admittit, aut quum lubet, obductis ualuis exclu-  
dit. In medio enim omnibus horis aequatae spirant aerae, adeo mo-  
derato, & salubri spiritu, ut syrium in caelo ardere non sentias, ob-  
id quoque damnosos menses, tanquam uerna temperie mitigatos, non-  
dum uenisse, aut certe silenter effluxisse, quum nec aestues nec pla-  
ne sitias, prorsus existimes. tota enim Villa ante meridiem, quum  
ex alto sol urget, obortis Etesis blandissime uentilatur. In fronte  
quoque podium ab insigni proiectura clatris ferreis circumseptum in  
subiectas undas prominet, quo nihil ad prospectum iucundius ex-  
cogitari potest. Inde enim ad proiectam escam allectos pisces ha-  
mata linea extrahere iuuat, & cum singulari uoluptate innumeras  
natantium acies intueri, nam Larius ipse argenteo nitore translu-  
cidus, dum colores & species piscium ad oculos transmittit, spectan-  
tibus arridet. Introitus autem Apollo Citharædus, & Musae suis  
instructae organis, cœnantibus applaudunt. Inuitat exinde loci  
mutatione gaudentes in proximum cubiculum suum Minerva ubi

A i i i Prisco

## SANCTVS THOMAS.

**DIVI THOMÆ AQUINATIS** hæc erat facies, quum in primis studiorum honoribus, decore iuuentæ hylaris uersa retur. Nondum enim, uti postea in flexu ætatis euenit, illa subtristis ac omni alia ferè durior parcissimæ mensæ disciplina, iugesq; demum lucubrationum uigiliæ, nobile, ac ideo tenerum corpus affligerant. Hic enim planè adolescens, abdicata antiquæ stirpis præclara nobilitate, ad quam hodie Alfonso Daualus inter Cæsaris Duces longè clarissimus, Maternum genus refert, & spreto demum omni patrimonio neq; familiæ dignitati, neq; ualetudini unquam pepercit. ut post ædita diuini ingenii monumenta in cœlum, undè uenerat, uitæ integer euolaret. idcirco defunctum in Volscis ad Amasenum amnem, quum supra naturæ potestatem, multa miracula operum ab eo ædita renunciarentur, Ioannes Romanus Pontifex ex Senatusconsulto non dubitauit, quin cum solenni cerimonia inter diuos referret. Obiit non planè senex, quum cum humanæ gloriæ, quæ ei ex studiis maxima obuenerat, sacietas cepisset, scilicet ut alteram, quam absoluta pietate promerebat, cœlum suspiciens certiore uoto sequeretur.

### INCERTI.

*Hic Thomæ cineres positi: cui fata dedere.  
Ingenium terris uiuere, cœlo animam.*

## IOANNES SCOTVS.

**NEMO EORVM QVI** non insano Christianæ pietatis amore flagrant, ultro sese cœnobiis in seruitutem addixerint **IOANNE SCOTO** in grauisimis studiis, aut acrior, aut subtilior fuit, quum admirandis commentationum uoluminibus æditis, nouam de nomine suo sectam conderet, & in Aquinatis scripta non dissimulanter inuheretur. Natus est in ultima Britannia, ad Calydoniam Syluam, ut minus mirum sit, Anacharsim summæ sapientiæ philosophum apud ueracissimos Scythas crasso, atq; ingeniis excolendis importuno cœlo patriam habuisse. Verum hic proteruo, captiosoq; differendi genere Christianis dogmatibus illusisse uidetur, quum passim inducta quæstione dubitabundus, sacrarum



crarum rerum fidem , nequaquàm tenui figmentorum caligine confudisset . Scuit enim ideo lites immortales , quando eius placita, uel grauius ab aduersæ sectæ professoribus oppugnata ex aduerso ab eius discipulis acerrimè defendantur ; Sed qui aliquot præclara eius ordinis ingenia , ad optimam frugem nata distorto scilicet ad ueritatem itinere suspendisse , perdidisseq; uidetur , manifesti aut certè occulti alicuius criminis apoplexia correptus , pœnas persoluit, ita quidem , ut nimis festinato funere pro mortuo tumulatus , quum redeunte uita , sero morbi impetum natura discuteret , frustra ad perendam opem miserabili mugitu ædito , pulsatoq; diu sepulchri lapide , eliso tandem capite perierit , & de alio quoque Ioanne Scoto quod ex Gallicis Annalibus Crinitus recitat , uerum esse crediderim , eum à coniuratis discipulis Diui Casiani exemplo , graphiis confossum , inulta morte concidisse .

### IANI VITALIS.

*Quod nulli unquàm hominum accidit , uiator ,  
Hic Scotus iaceo semel sepultus  
Et bis mortuus , omnibus sôphistis  
Argutus magis atque captiosus .*

### DANTHES.

PRIMVS ITALORVM DANTHES Aldigerius non instituto uetustatis ordine tantum ; Sed præcellenti grauis ingenii fecunditate primum locum inter imagines meritis, optimo iure conspicitur , hunc Florentia , factiosa eo sæculo ciuitas protulit, ab altaq; mentis indole cognitum Octouirali supremæ potestatis Magistratu insignem fecit ; ut mox fatali conuersa turbine , & summum ciuem , & Ethruscæ linguæ conditorem , tanquàm sæua , & ingrata patria proscriberet . Sed exilium , uel toto Ethruriæ principatu ei maius, & gloriosius fuit , quum illam sub amara cogitatione excitatam occulti , diuiniq; ingenii uim exacuerit , & inflammaret . Enata si quidem est in exilio comœdia triplex Platonicæ eruditionis lumine perillustis , ut abdicata patria totius Italiæ ciuitate donaretur . Plenus ideo gloria perenni , quum eam quæ piis mortalibus expetitur , cœlestis auræ felicitatem tanto ore, tantoq; spiritu decan-

B ii tatam

norum exempla imitanda , aut uitanda posteris tradiderunt ; harum  
imaginum populus stupenda uarietate mirabilis tum maxime incre-  
dibilem spectantibus afferet uoluptatem , quum per Elogia figilla-  
tim arguta breuitate describetur.

PRIMI LIBRI IMAGINES  
INCIPIUNT.

## ALBERTVS MAGNVS.

IT HOC tibi, quanquàm breue, Elogiorum omnium merito luculentissimum ALBERTE SVE  
 VE Artobrigensium sanctissime Antistes, postquàm  
 docendo scribendoq; Theologiae Philosophiaeq; totius locos omnes, miris celsissimi ingenii tui luminibus illustrasti, ut illud in literis nemini adhuc concessum, & quod uiuo rara felicitate contigit, MAGNI cognomen assequerere. Vixisti quippe ceteris aliquantò beatius, hoc est alterum & octogesimum aetatis annum scilicet, ut immortalitati tuae iusta gloria plenus interesses, accumulatoq; fecundissimi ingenii merito clarioris tituli munere, dignus censerere. Deferbat enim MAXIMI cognomentum, Gymnasiorum omnium consensus, nisi publico uoto, christiana uerecundia restitisses, Sed quid tibi maius Dii immortales dare potuerunt? quàm ut diu in terris uiuus, & incolumis inusitatae nec unquàm, nisi post fata obuenientis gloriae fructum perciperes?

## FERDINANDI BALAMII.

MAGNA parens, altrixq; uirum Germania, alumni  
 Incedit meritò laude superba sui,  
 Naturæ, ac rerum uires, causasq; latentès,  
 Hoc nemo nobis doctius explicuit.  
 Magnus ob egregias fecundi pectoris artes,  
 Dictus es, at Ioui nunc ope maior eris.

## IANI ITALIS.

NATURA has uiolas, Ratio hæc tibi lilia paschim  
 Ad tumulum spargunt, Theutone Magne tuum  
 Purpureis quarum tribulos auellis ab hortis  
 Et pulchris uiolis lilia mista seris,  
 Auiq; abstrusæ pandis penetralia causæ  
 Verè igitur Magni nomine dignus eras.

B SAN,



tatam contemplaretur , Nulla adhuc oborta canitie Rauennæ morbo interiit , adeo mentis compos , ut sex uersus sepulchro incidendos componeret ; Nec Rauennates in apparatu funeris publico totius Italiæ cui defuerunt , quum enim sepulchrum è marmore condidissent , non obscuræ exprobrata Ethruscis acerbitate , nouam sibi claritatem , gloriosa pictate uendicarunt .

### IPSIVS DANTHIS.

*IVRA Monarchiæ , superos , Phlegethonta , Lacusq;  
Lustrando cecini , uoluerunt fata quousque  
Sed quia pars cecisset melioribus hospita castris ,  
Actoremq; suum petiit felicior astris ,  
Hic claudor Danthes patriis extorris ab oris ,  
Quem genuit parui Florentia mater amoris .  
SED Tumulum uetustate collabentem , Bernardus Bembus ,  
Petri Bembi Cardinalis Pater , in ea urbe Prætor opere cælato , &  
concamerato additoq; , hoc epigrammate luculenter exornauit .  
Exigua Tumuli Danthes hic sorte iacebas  
Squallenti nulli cognite penè situ .  
At nunc marmoreo subnixus conderis arcu ,  
Omnibus & cultu splendidiore nites .  
Nimirum Bembus Musis incensus ethruscis  
Hoc tibi , quem imprimis hæc colucre , dedit .*

### FRANCISCVS PETRARCA.

FRANCISCVS PETRARCA eodem ciue Magistroq; suo Danthe , Ethruscæ linguæ facultatem constitutam planè , & certis adornatam numeris flagranter excepit , tanta ingenii solertia , duriora molliciendo , & singulari suauitate , uariis modis flexitendo numeros , ut enatam dudum , & uixdum flores ostendentem eloquentiam , ingenti cultura , ad absolutæ maturitatis fructum , summumq; ideo exactæ elegantiae fastigium perduxerit , eamq; laudem sit consecutus , ut in eo poesis genere , amatorioq; præsertim castitate , candore , dulcedine nobilium poetarum , & primus , & ultimus sanis à scribendo deterritis existimetur . Sed tanti uiri iudicium illudens fortuna grauitè fefellit , quum hac æternæ felicitatis spiritum habitura , tanquam temporaria despiceret , ut ex latina Africa ,

ca , unde ei in capitolio insignis laurea præmium fuit ; certiozem, & nobiliorem gloriam adsequeretur . Sed debeamus plurimum , ingenuo sudore semper æstuanti , dum literas à multo æuo misere sepultas è Gothicis sepulchris excitaret , modo eum tanquàm Italicæ linguæ conditorẽ, & Principem, ab incomparabili Diuini ingenii uirtute ueneremur. Concessit naturæ planè senex ad Arquatum Patauini agri uicũ ubi Tumulus carmine ab se cõposito nobilis conspicitur .

*Ærigida Francisci lapidis hic tegit ossa Petrarce*

*Suscipe Virgo parens animam , fate uirgine parce ,  
Fessâque iam terris cœli requiescat in arce ,*

### BOCCACIVS.

BOCCACIVS, eodem felici sæculo quo renata litera latina existimantur , Certaldo oppido editus , alteram in patria lingua pedestris eloquentiæ partem , primus inchoauit , & absoluit. Neglexerat cam Danthes in altitudinem Heroicæ Comediæ diuino furore carminum abreptus . Petrarcha uerò latina oratione delectatus, tanquàm ignobilem reliquerat, ut discipulo qui amore ei frater fuit, quota sua pars , tanquàm ex patrimonio nouæ laudis, legitimo nomine hæreditatis obueniret, Non defuere tamen qui censerent, neq; Boccacium uersu , neq; Petrarcham soluta oratione ualuisse tantorũ ingeniorum sortes alternante fortuna , ideoq; ambos acri iudicio in id munus intendisse neruos , ad quod pronior , atq; liquidior styli uena perflueret . Sed non dispari fato , & hic ipse in studiis opinione deceptus est , quum præcipuo, ingentiq; labore, ut certum sibi decus pararet; penè frustra desudarit . obsolescunt enim & agrè quidam uitæ spiritum retinent Libri de Genealogia Deorum , Varietateq; fortunæ , & de fontibus accurate potius quàm feliciter elaborati quando iam illæ decem dierum fabulæ Milesiarum imitatione in gratiam oblectandi ocii, admirabili iucunditate compositæ in omnium nationum linguas adoptentur , & sine ulla suspitione interitus applaudente populo cunctorum operum gratiã antecendant . Excescit è uita sexagesimo secundo ætatis anno: Sepulchrũ eius cũ marmorea effigie insculptis his carminibus in tẽplo maximo Certaldi cõspicitur.

*Hæc sub mole iacent cineres , ac ossa Ioannis*

*Mens sedet ante Deum , meritis ornata laborum ,*

*Mortalis uitæ genitor Boccacius illi ,*

*Patria Certaldum , studium fuit alma poësis .*

B iii MYR:

## MYRTEI.

*Si quæram cinêres tuos Bocaci ,  
Hic iacent , si animam , petiuit astra :  
Si qua gloria sit tuis libellis  
Maior , non ego , Lydius'ue linguæ  
Cultor patriæ , & æmulus latinæ :  
Sed iudex crit , aut iocis Cupido ,  
Aut gaudens facili Venus loquela :  
Aut , quem dicere malo , totus orbis ,  
Cui uiuunt Veneres , cupidinesq̃ :  
Quibus cultior est tuus Libellus  
Elegantior omnibus Libellis .*

## BARTHOLVS.

**BARTHOLVS** Sentini in Vmbria natus magno acumi  
ne perspicacis ingenii Ius ciuile professus , in omnibus Italiae gym-  
nasiis exactæ doctrinæ documenta reliquit. cum aduersus studio-  
rum labores indomitum extitisse ferunt , consueuisseq̃ uti in pertes-  
nui mensa , certis cibi , potusq̃ mensuris ad tuendam ualeitudinem.  
Ut quum sæpè memoria laberetur , obliuionis incommoda , assidua  
commentatione refarciret , Ob id uoluptates omnes adeo seuerè re-  
iecerat , ut ne horula quidem extra naturæ necessitatem studiis sub-  
traheretur: Sed eandem quoq̃ seueritatem supra æquum in torquen-  
dis , necandisq̃ noxiis exercuisse uisus est; quum rerum capitalium  
iudiciis præfset , adeo , ut reum furti , nec ritè confessum , & inson-  
tem , præcipiti sententia , supplicio affecerit. Ex ea acerbitate , quum  
inuidiam populari uoce conflata subisset , conspectum hominum  
a se uir- pudore uitabundus in arcanum <sup>uiri</sup> ~~uiri~~ ocium euoluendis Libris se ab-  
didit. è qua demum studiorum intentione audacter egressus , æqua-  
les suos , doctrinæ firmitate , & mira iudicii constantia superauit.  
Donatus est , uirtutis causa à Carolo Quarto Imperatore , gentili-  
tiis Bohemiæ Regum insignibus , quibus purpurei Leonis forma  
aurato in campo , cum bicipiti cauda salientis exprimitur . Perusiæ  
autem supremam in gymnasio claritatem consecutus fortunas suas  
collocauit; duxitq̃ uxorem ; sed irrita spe masculæ prolis . Verum in  
finitos propè discipulos , amore filiis pares , præcellentis doctrinæ re-  
liquit



liquit hæredes . Defuit ei latinæ eloquentiæ facultas , ne summæ gloriæ fastigium teneret , & tamen est quod maxime miremur , illum in perpetuo docendi munere occupatum , tot , & tanta uolumina perscribere potuisse , quum quadragesimosexto ætatis anno , fato ereptus , iustum de inchoatis , summa felicitate , nec dum perfectis operibus desiderium posteris reliquerit . Sepultus est ad Aram Maximam in templo diui Francisci .

### MYRTEI.

*HIC est Bartholus ille , iuris ingens  
Lux , & commodus explicator , hic est ,  
Quem mors ante diem abstulit maligna ,  
Heu mors inuida , & æuo iniqua nostro ,  
Quæ leges iterum iacere cogis .*

### BALDVS.

BALDVS honesta Vbaldorum gente , Perusiæ natus , Bartholum præceptorem subtilitate ingenii & uarietate doctrinæ superauit ; Nam à Patre Medico celebri , prius quam ius ciuile attingeret Dialecticæ , atq; Philosophiæ præceptis , haud mediocriter imbutus fuerat . Præcoci enim ingenio penè puer , non ad optimam modo frugem , sed rarissimo etiam naturæ dono , ad longam senectutem peruenit . Verum præalto ingenio multa conuoluenti , inuertentiq; stabilis scientiæ constantia decrat , quoniam subtilissimè disputando , atq; enarrando , non humani modo , sed diuini quoq; Iuris intelligentia summus ; refrigerato demum iudicio , post altercationes à Bartholo doctrinæ robore uinceretur . Eum eximia laude florentem , Ioannes Galeatius Vicecomes , potentia , & gloria Maximis Regibus æquatus , quum Ticini gymnasium conderet , magnis præmiis euocauit . Ibi nunquàm , senescente nominis fama , nunquàm in publico munere defessis uiribus ad septuagesimum sextum peruenit annum : Fatoq; functus est paulò antequàm ille Princeps , externarum gentium uictor , properante fato moreretur . Ferunt Baldum Diui Francisci habitum , quum expiraret , induisse . Tumulus in eius Diui æde , cum hac rudi inscriptione conspicitur .

Conditur

*Conditur hic Baldus, Francisci tegmine fultus,  
Doctorum Princeps, Perusina conditus arce.*

## LEONARDVS ARETINVS. IX.

PRIMVS in Italia Leonardus Areti natus græcarum literarum decus à multis sæculis Barbarorum inhumani tyrannide proculcatum erexit, atq; restituit. Eius enim incomparabili beneficio morales Aristotelis Libros optima fide traductos legimus. Historia quoq; ab eo eleganter conscriptæ in manibus habentur. hac ingenii fecunditate florentem, Innocentius septimus quanquam planè iuuenem grauissimo muneri parem, epistolarum Magistrum fecit, Ita demum eruditè, atq; integrè officio functus, ut succedentibus quatuor Pontificibus amplificada dignitate operam præstiterit. Senescenti opes creuerunt cum aliena liberalitate, tum sua tristi parsimonia cumulata, adeo, ut Arlottus mordaci sale perurbanus, in fabellis, eius genium relicto corpore in fuga sitientem ridenter exprefferit; mortuus, quod ei nullo pudori fuit, furti damnatus est, quod Gothicam historiam suppresso Procopii nomine publicasset, accusante Christophoro Persona, qui aliud exemplar nactus, & Gothicam, & Persicam simul atq; Vandalicam, Græci authoris titulum ingenuè profitendo transtulerit. Nouissimè reuocatus in Ethruriam populi Florentini res gestas perscripsit, nec multo post senex diuitiis, & gloria plenus Florentiæ uita functus est, dignus utiq; hoc sepulchri titulo ac marmoris ornamento, quod in æde sanctæ crucis spectatur.

## CAROLI ARETINI.

*Postquam Leonardus è uita migravit  
Historia luget, eloquentia muta est.  
Ferturq; Musus tum græcas, tum  
Latinas, lachrymas tenere non potuisse.*

## POGIVS.

POGIVS è Terra noua Florentinæ ditionis oppido in hac luce Romani cœli, optimis literis ingenium ita expoliuit, ut Pontificiis

tificiis scriniis sub Eugenio & Nicolao præficeretur , æquatus scilicet honore summis uiris , qui in eo munere fidelis , eruditiq; ingenii operam præstitissent . In his fuisse Leonardus , Mapheus Vegius , & Ioannes Aurispa . Erat consilio grauis , & quum luberet facetiarum sale perurbanus , ita ut mira , & sæpè subita uarietate ad ciendum risum modo prætextatis uerbis uteretur , modo grauib; & malignis scommatibus alienæ famæ nomen perfringeret . Sed amarulento Libello in Vallam importunè inuectus , ab eodem pessimè audiendo cumulas maladicentiæ suæ pœnas luit , quum Val la suo felle turgidus , & Facium , & Panhormitam , & Raudensem probrosis uoluminibus iugulasset . Erat quoq; Poggius adeo intemperans obiurgator , ut quum in theatro Pompei , loco , & die celebri , ubi bullatorum diplomatum censura habebatur , Georgio Trapezuntio malediceret , ab eo acriter duplici colapho caderetur . Transtulit demum è græco Diodorum Siculum : sed nobiles aliquot Libellos de infelicitate Principum , Varietateq; fortunæ , & de Auaritiæ peste ; Orationesq; item plures composuit , tanta ingenii fecunditate , ut facetias etiam ad excitandum hylaritatem ægris animis expectendas conscriberet . Sed quod gratum , & utile posteris fuit Ciceronis libros de finibus , & de Legibus à se in germania , descriptos in Italiam primus attulit : ita ut & ei quoq; Quintilianum in salsamentarii taberna repertum debere fateamur . Nouissimè ex multa peregrinatione , Romanaq; aula exactæ ætatis senex Florentiam reuersus , consumato oratore , ac optimo ciue dignam patriæ operam præstitit , conscripta latine historia populi Florentini , quæ à Iacobo demum filio in Ethruscum sermonem uersa legitur hic iam defuncto patre , ex Pactiano scelere , strangulatus in prætorii fenestra , cum cæteris pependit .

## MYRTEI.

*Olim Pierides , olim Florentia mater*

*Viuentis risit Poggio .*

*Nunc tumultum hunc adit , & donum pro carmine flores*

*Fert , proq; risu lachrymas ,*

*Quæ nisi pro uera sat sint pietate , rogabit*

*Arms ministret ut suas .*

C A M.



## AMBROSIVS MONACHVS.

AMBROSIVS MONACHVS ex ordine Camaldulensium , qui supra Florentiam in opacis Apennini iugis dicatam cœnobio uitam seuerè ducunt , Doctrinæ grauitate , ac ingenii præstantia æquales suos antecessit . Græcè enim , atque Latine doctissimus , complectente Cosmo , & mox Eugenio , & Nicolao admirantibus , summum eius ordinis honorem , qui generalis præfecturæ hodie dicitur , ita adeptus est , ut cum constanti iudicio patres purpuræ destinarent Dionysium enim Areopagitam de Cœlesti Hierarchia , diuino spiritu proloquentem , singulari eloquentiæ puritate latinis exprefferat , atq; item Diogenem Laërtium ; Verum non eadem cura , lima'q; perpolitum . Sed & sacris operibus , bibliothecam , quæ ad Angelos spectatur , cumulatè referfit , quibus existimari potest , nequaquàm ei uires & facultates , sed animum omnino defuisse , ut ad Romanæ facundiæ fastigium perueniret : abstractus enim in altitudinem christianæ contemplationis , uti pium , sacratumq; Virum decebat , totius uitæ ocium in diuinis literis consumpsit . Fuit hic uir ; quod raro euenit ; sine oris tristitia sanctus , semper utiq; suauis , atq; serenus , ita procul à liuore , contentioneq; , ut quum Vallæ Pogium reconciliare conaretur , eos neq; plane literator , neq; item christianos uideri diceret , qui inducta simultate sacrosanctum literarum decus probrosis Libellis importunè defœdarent . Excescit è uita planè senex , Tumulatusq; est ad Angelos , ubi hoc carmen pius Vates affixit .

## SPINELLI.

*Attica mella sapis , redoles quoque nectar ubique  
Tu qui diuino numine , nomen habes :  
Quod nisi dulce canis referens mysteria diuum ,  
Dulcius hoc certè est nectare , & Ambrosia .*

## MYRTEI.

*Viximus Ambrosia , sed enim concessimus orco ,  
Nunc iterum cœlo redditur Ambrosia .*

ANTO,

## ANTONIUS PANHORMITA.

ANTONIUS PANHORMITA SICVLVS  
 Bononia Equestri familia natus, qui à Pontano alumno elegantia-  
 rum pater appellatur, clatè genus suum ab ultimis Britannis, Becas-  
 dellaq; familia Bononiæ celebri repetebat, præclaro genti insignium  
 argumento, quod isdem militari in scuto, depictis alatis uiperis  
 uteretur. Sed maiorem profectò sibi, ex laude optimorum studio-  
 rum nobilitatem comparasse uideri potest. Moribus enim ac lite-  
 ris præstantibus exornatus, quum Philippo Mediolanensium Prin-  
 cipi, fertilis ingenii industriam obtulisset, tanta liberalitate susce-  
 ptus est, ut Principem, noscendæ historiæ cupidum familiariter  
 doceret, & publicè octingentis annuis aureis elegantiores literas  
 profiteretur. Hic est ille Philippus, qui summum clementiæ fru-  
 ctum generosis exoptatum Regibus gloriosissime decerpfit, quum  
 Alonsum Regem nauali prælio captum, non emisit modo, sed  
 auctum copiis, ac opibus in Regnum restituerit. Verum, eo gra-  
 uissimis bellis occupato, Panhormita Alfonso adhesit, secretioris  
 scrinii Magister, & studiorum, expeditionumq; omnium, terra,  
 mariq; perpetuus comes. Scripsit Epistolas candidiore stylo, sed  
 maxime iucundo, uictoris Regis triumphum, & de factis, dictisq;  
 optimi eius Regis aureum Libellum, quem Pius Pontifex, exem-  
 plis paribus intertextis, nobiliorem reddidisse uidetur. Sed cum  
 Valla demum ad exercendum maledicentiæ dentem naturæ acerb-  
 itate paratissimo simultatem concepit, eo quidem euentu, ut mutuis  
 ueluti confixi telis, fœde ad modum inimicis risum excitarent. Se-  
 nex Vxorem duxit Arcellam sibi magnoperè dilectam, Liberosq;  
 suscepit, quorum honesta soboles Neapoli uisitur. Postremo æger  
 uitæq; diffidens, in supremo morbo, hoc carmen composuit, quod  
 Tumulo inscriberetur.

## I P S I V S.

*Quærite Pierides alium qui ploret amores,  
 Quærite qui Regum fortia facta canat.  
 Me pater ille ingens hominum sator, atque redemptor  
 Euocat, & sedes donat adire pias.*

C ii ELI

## ELISII CALENTII.

*Qui molles Elegos, & Regum gesta canebat  
Sacra Panhormita: contegit ossa Lapis*

## IANI VITALIS.

*Has tibi dat uiolas, immortalesq; Amaranthos  
Ingeniorum altrix, & Martis alumna Panhormos,  
Non quia torpenti Musas excire ueterno,  
Aut Regum immensas potuisti assumere curas.  
Verum quod Crassos inter, ditesq; Lucullos,  
Integer Antoni uoluisti uiuere Codrus.*

## LAURENTIUS VALLA.

LAURENTIUS VALLA Romanus à Gothicis temporibus usq; ad Patrum nostrorum memoriam præalto sepultos somno, ciues suos ad nobilium literarum studium excitauit. Indignatus enim tamdiu corrumpi sæculum leguleorum, & sophistarum immani conspiratione, optimasq; artes inculta sermonis barbarie defœdari, elegantiarum Libros edidit, traditis Romanæ elocutionis præceptis, ex accurata ueterum scriptorum obseruatione, quibus iuuentus æmulandi studio ad detergendas corruptarum literarum sordes accenderetur; eam quoq; illustrati patrii sermonis laudem græcæ literæ cumularunt, quum Thucidides, & Herodotus Historiae parentes ipsius liberali labore è Græcia in latium transferint. Fuit Valla ingenio maxime libero, ob idq; mordaci, contentiosq; , ut potè qui aliena satyrico dente facile perstringeret, & lites in literis, quasi id opus esset, aduersus ignorantes acerrimas sereret. Extant enim inuectiuarum, & recriminationum aliquot Libri crudite falsq; perscripti, quibus dum laesi nominis famam tueretur, Facium Lygurem, Panhormitam, Pogium, & Raudensem iugulasse uideri potest. Flagellatis quoq; Regionum ludi Magistris, uti multabile redundans, quod nihil in aula Pontificis sibi placeret, Neapolim ad Alphonsum Regem se contulit, apud quem de Auitis bellis in Hispania, atq; Sicilia gestis historia perscripta est. Sed eo styli caractere, ut eius minime uideri possit, qui cæteris elegantiarum præcepta



præcepta tradiderit . Edidit etiam opus de falsa donatione Constantini , pio , & sacerdotis nomen professo criminofum , atq; nefariū , ut Pontificii Imperii authoritatem græcorum scriptorum adftipulatione confirmatam conuellere niteretur . Sed mox eadem inconstantia Regem deseruit , uel improbante Philelpho , ut nec planè senex in patria moreretur . Sepulchrum calato ex marmore cum effigie , ac Elogio , Catharina mater pientissimo Filio posuit , quod in Laterano ( eius enim templi flamen erat ) introëuntibus ad dexteram spectatur . Obiit anno Christianæ salutis . M. CCCC. LVII. Calendis Augusti.

## FRANCHINI COSENTINI.

*LAVRENS Valla tacet Romanæ gloria linguæ ;  
Primus enim docuit qua decet arte loqui .*

## FLAVIVS BLONDVS.

E FORO LIVII Viæ Æmiliæ nota urbe FLAVIVS BLONDVS prodiit , rudi adhuc ueteris elegantia saculo . Is magno ausu , singulariq; industria , nec infelici enentu , multorum annorum intermorientes res gestas è tenebris excitare orsus Decadas conscripsit , quibus ab inclinante Romano Imperio , funesta tempora , ac ideo ueritatis lumine orbata , in lucem proferuntur . De uetustate quoq; collapsæ urbis , ac eius demum resurgentis dignitate erudito , operosoq; uolumine publicato , quantam nec ambitiosè quæsitam exoptarit , in literis auctoritatem adeptus est . Vnde ei honestæ opes fauore Pontificum accessere . Liberis operam dare , quàm sacris initiari maluit , Suscepitq; Gasparem filium , quem uxor Margania Romani sanguinis nobilitasse uisa est . Sed posteris , quam adauctis fortunis , conditori familiæ minime responderunt . Fato functus est septuagenarius , Tumulatusq; in Capitolio , extralimen templi Deiparæ Virginis . ( id enim Iouis tonantis olim fuisse putamus ) quod non secus ac antiquitas , authore Tacito , censum gradibus adceatur .

C iii IANI

## IANI VITALIS.

*ERVIS* è tenebris Romam dum, Blonde, sepultam,  
*Es* nouus ingenio Romulus, atque Remus:  
*Illi Vrbem* struxere rudem, celeberrima surgit  
*Hæc eadem* studiis ingeniose tuis:  
*Barbarus* illam hostis ruituram euertit, at isti  
*Nulla* unquam poterunt tempora obesse tuæ.  
*Iurè triumphalis* tibi facta est Roma sepulchrum,  
*Illi* ut tu uiuas, uiuat ut illa tibi.

## PETRVS CANDIDVS DECEMBER.

**CANDIDVS DECEMBER** è Viglebano urbe,  
 quæ est inter Padum, & Ticinum, Laurentii Vallæ testimonio ex-  
 actissimæ censuræ grammaticus, Mediolani Græcè, Latineq; do-  
 cuit, præstanti cruditionis, ac eloquentiæ fama. Eius extat Appia-  
 nus Alexandrinus, è græco in latinum uersus, id expetente Alpho-  
 so Rege, qui studiosissimum quemq; eius ætatis, ut ad locupletan-  
 dam latinam linguam, occultos Græciæ thesauros proferrent, libe-  
 raliter inuitarat. Sed manci, passimq; corrupti exemplaris græci ui-  
 cio, uel laboriosus interpres in eo opere se se candidum præstare nō  
 potuit, quum alia multo felicius perscripserit. In uita enim Philip-  
 pi Vicecomitis, quæ circumfertur, Suetonium lepide admodum  
 æmulatus, ita quod proposuerat expresit, ut aliquantō inuerecun-  
 dius, quàm scriptorem odio uacuum deceret, stylum exercuisse iu-  
 dicetur, quum uitia hominis occulta, nec ulli magis, quàm ipsius  
 pudori nocentia, ob idq; uelanda prorsus, cupide nimis, mali-  
 gneq; detexerit, in eo præsertim Principe, in quo singularis illa,  
 diuinæq; simillima clementiæ laus, cum probro multorum Regum  
 gloriose refulset, Fato functus est octogenarius senex Mediolani,  
 non mediocri Fortunis à Francisco Sfortia decenter honestatus,  
 meruitq; maius sepulchrum cum effigie e suggestu iuuentu-  
 tem docentis, quod in uestibulo Ambrosianæ Basilicæ ad leuam in-  
 troeuntibus occutit. Hoc rudi carmine inscripto, quod respon-  
 dente Rythmo, non minus Inceptè, quàm ridiculè clauditur.

T M O

SCAN

SCANDERE Sydercas uirtus si nouit ad oras ,  
 CANDIDVS Astra tenet in templo numen adorans :  
 Pontifici Summo , Regi , Populoq; , Duciq;  
 Hic Ligurum secreta dedit laudatus ubique :  
 Miles eloquio clārus , grauiusq; camœnis  
 Instructus , Latium studiis ornauit amœnis .  
 Mundanis fessūs curis , & in Aethere pulchro  
 Elatus gelido , Linqvit sua membra sepulchro .

### DONATVS ACCIAIOLVS.

DONATVS ACCIAIOLVS Antiquæ stirpis Florentinus , quum exortis florentibus ingeniis de doctrinæ laude certaretur . In utraq; lingua generosè admodum se se exercuit , ut ex Moralibus Aristotelis luculenter apparet , quibus erudita , & pereleganti commentatione magnum lumen attulisse iudicatur , explosis scilicet sophistarum interpretum ineptiis , quum Eustratii Græci placita secutus , certiore utiq; uestigio niteretur . Vertit etiam in Latinum è Plutarcho Clarorum Heroum aliquot uitas longè omnium elegantissimè . Verum aliquantò nobilior euasit , quum Carolum cognomento Magnum , tanquàm alterum Florentiæ patriæ conditorem latino libro celebrasset . Sed Vir consilio grauis , ac ob id obeundis Reipublicæ muneribus occupatus , neq; satis ocii ad studia literarum furari , neq; ætatem , quod tenuissima uoletudine uteretur , longissimè proferre potuit . Fato enim functus est Mediolani , quum Legatus , in Galliam ulteriorem iter haberet ; ut inde , implorata ope , ciuitatem Pontificiis armis uexatam , periculo liberaret , Nihil enim remisso odio , Xystus , post uindicatum Pactianæ coniurationis facinus , Laurentium Medicem , ex ea iniuria firmiore dominatu potitum , uehementissimè persequabatur . Donati ossa , ad uetustum gentis Sepulchrum Florentiam relata id Carthusiano in templo , hoc Epigrammate inscripto legentibus indicatur .

*Donatus nomen , patria est Florentia , gens mi  
 Acciaiola domus , Clarus eram eloquio .  
 Francorum ad Regem , patriæ dum orator abirem ,  
 In Ducis Anguigeri mœnibus occubui ,*

Sic

*Sic uitam impendi patriæ , quæ me inde relatum  
Inter maiorum nunc cineres sepelit .*

## PHILELPHVS.

TOLENTINATES in publica Decurionum domo  
FRANCISCI PHILELPHI Cuius effigiem , cum eque-  
stris ordinis baltheo , laureatam , peregrinis hospitibus ostendunt ,  
adseruantq; etiam Regii , diplomatis membranam ad collatæ digni-  
tatis argumentum . Is græcarum literarum amore flagranter incen-  
sus , ut de Caballino fonte potaret , Parnasum montem petiuit , in  
Athenarumq; ruinis immortalium philosophorum uestigia pedibus  
calcauit . Porro inde Byzantium profectus Emanuelis Chrysolo-  
ræ filiam , uxorem duxit , quæ græcæ elocutionis magistra , quoti-  
diano usu Atticorum accentuum , inepto , sed docili coniugis ori-  
dulcedinem instillaret . Reuersum inde , & græcè pariter , ac latine  
passim orantem Italiæ Principes admiranter exceperunt . Suscepto  
enim legationis munere , Palæologi Imperatoris Constantinopolis-  
tani , Turcarum infesta arma ægre sustinentis preces afferens opem  
implorabat . Fauere ei ante alios Eugenius Pontifex , Rex Alphon-  
sus , & qui singularem iustitiæ , & bellicæ uirtutis coronam eo sæcu-  
lo promeruit , Franciscus Sfortia , ab eo Heroico poëmate celebra-  
tus . Ingenio enim in studiis æstuante , uario , ambitioso , quum ne-  
minem sibi exæquari literaria laude pateretur ; Plura quàm quisquā  
alius in omni dicendi genere uolumina publicauit , profitendóq;  
singulis in urbibus eruditæ iuuentutis academias excitauit , nullam  
spem nobilioris gloriæ Latinis æmulis de Romana facundia , nul-  
lam deniq; de græca , uel ipsis græcis relicturus , nisi tantus cloquen-  
tiæ fluuius , uti nullis moderati iudicii ripis castigatus , nimis latè  
exundans , & mutato sæpè aluce , turbulentus & incertus , dum se  
se diducit , & abscedit in paludes , perspicui , pro fluentis dignitate  
amississet . Inter græca opera latinitate donata , Xenophontis Pæ-  
dia Cyri , & ex Plutarcho aliquot heroum uitæ , & demum Hip-  
pocrates , non ita probantur à græcis , quàm à Latinis perleguntur .  
Vixit ad exactam ætatem nonagenario proximus , periitq; Bono-  
niæ adco dissipatis rei domesticæ copiis , ut ad efferendum funus ,  
& cubiculi & coquinæ instrumenta uenierint . Et Marius filius egre-  
giè doctus , paternæ potius uirtutis , quàm multæ substantiæ hæ-  
res



res relinqueretur . Sed in familia eruditæ uictoriæ trophæum permansit , nobili exceptum risu , quum Timothæo graculo , de ui syllabæ contendenti , uictorq; , barbam , ex pactione inexorabili superbia decessisset , uti lepide Myrteus his carminibus expresfit .

### MYRTEI.

*NON QUID Sat tibi non fuit Philelphe  
Linguae gloria nobilis latinae ?  
Ni graecas quoque peruagatus urbes  
Dignus coniuge , nuptiisque graecis  
Ferres Timothæi nouum triumphum ?  
Cui , dum una super ille dictione  
Tecum pignore certat , atque Barbam  
Abradi sibi ferre pollicetur  
Victus ; aut positam pecuniam abs te  
Victor auferat . Abnegasti eadem  
Barbam posse pecunia obtinere  
Victor : atque nouacula expedita  
Barbamillius habere maluisti :  
Iam nunc non Italæ Philelphe , sed sis  
Graecæ gloria nobilis Palestræ ,*

### NICOLAUS PEROTTVS.

**SENTINVM** Vmbriæ oppidum , cui hodie Saxoferræto nomen est , Bartholo Iureconsulto nobile , secundam à **NICOLA PEROTTO** Claritatem accepit . Huic , quum deessent opes , corporis Vires : munici pali frugalitate , atq; duricia constitutæ , perpetuis lucubrationum uigiliis minimè defuerunt . Iuuenis in ludo pueros honestos docuit tanto concursu , Vt mox Latinæ linguae rudimenta , utili compendio ad normam digesta , ob idq; facile pueris perdiscenda publicarit ; Exinde Romæ graecas literas pertinaci studio consecutus , fretusq; Bessarione generoso Meccenate , adeo exactè , feliciterq; profecit , ut ab eo Polybius grauisissimus historiæ scriptor , latinitati donaretur . Non defuere tamen ex æmulis , qui eius auctoris traductionem antiquissimam fuisse , fur-

D toq;

toq; surreptam existimarint, quòd Thucydidem, Diodorum, Plutarchum, & Appianum, clarissimo ingeniorum certamine conuersos, Vnus Polybius egregia fide latinus, æquabili, & prædulci Romani sermonis puritate prorsus antecedit. Composuit quoq; uolumen commentarii nomine in Martialem, Cornucopia, usurpato uetere græco lemmate, nuncupatum, perutile quidem, ac ob id fortasse sempiternum; Sed austero pudore suppressit editionem, quod humili, & parum pudico opere, quaesita laus dignitati minimè responderet, partis enim opibus, Archiepiscopatum Sipontinum adsecutus, seipso maior Perusiam, Vmbrianq; regebat. Excescit è uita senex apud Sentinum in Villa, Viridariis, & Fontibus peramœna, quàm à pingui ocio Fugicuram appellauit.

### MYRTEI.

*In Villa Fugicura obit Perottus.*  
*O Villam nimis, & nimis beatam,*  
*Quæ uiuentis heri leuare curas*  
*Possêt, nunc cineres tenet sepulti.*  
*O Villam domino beatiorcm,*  
*Cui curas moriens reliquit omnes.*

### PLATINA.

SACRA TI præsertim ordinis, boniq; mortales plurimum Platinæ manibus debent, quando cius ingenuo labore, ad exoptatam obscuri sæculi, nec idco perituram lucem, Pontificii principatus actionum incorrupta ueritas nunciatur: quæ procul eloquentiæ illecebris, uti pura, & incompta fidem præfert; & cæteris elaboratis operibus auget dignitatem. Neq; enim uel dialogi de uero bono, ueraq; nobilitate, & de optimo ciue grauitè conscripti: uel honestæ uoluptatis documenta scitè tradita diu superessent, nisi uiuacis historiæ lateribus adfixa felici societate succederent, & communi (quàm impari) perennis uitæ spiritu fruerentur. Is plane egens, & obscurus, unoq; tantum ingenio nobilis, Cremona Calixto Pontifice in urbem uenit; Cognitum Pius, atq; Bessarion, eruditio iudicio sacerdotiis minoribus exornarunt. Paulus uero Pontifex

fex perinique, maligneque delatum immaniter torfit: Xystus de-  
 mum, condita ab se in Vaticano Bibliotheca praefecit, quum co-  
 munere longe dignissimus haberetur. In ea nobili custodia iam se-  
 nex Fato functus est; Quirinali domum cum Laureto ad coro-  
 nandos poetas Pomponio relinquens, funus in Exquilias ad Ma-  
 ria maioris templum usque perductum est, flebili carmine celebra-  
 tibus poetis; Sepulchro autem quod à leua ad tertiam columnam  
 conspicitur, hoc Epitaphium ab alumno Demetrio inscribi iussit;  
 quum & haec quoque carmina amici lugentes affixissent.

*Quisquis es (si pius) Platinam  
 Et suos ne uexes, angustè  
 Iacent, & soli uolunt esse.*

#### PROSPERI SPIRITEI.

*Qui res Pontificum sacras, & gesta piorum.  
 Quique Ducum uitas nobile fecit opus:  
 Vixit adhuc Platina: & quanquam concesserit orco:  
 Nil tamen in Vatem parca seuera potest.*

#### IACOBVS CARDINALIS PAPIEN.

FUIT hic uir inter sacraei ordinis senatores pari uirtutis, atque  
 Fortunae munere lectissimus. Erat enim cum optimarum literarum  
 studio, & uigilantis ingenii fertilitate, tum animi iudicio styloque,  
 & perspicuis moribus Pio secundo persimilis, à quo adoptatus in  
 familiae nomen, & ad purpurae decus euectus est. Extant Commen-  
 tarii grauisimarum actionum, atque epistolae; quibus senatoriae pru-  
 dentiae potius, & Christianae seueritatis nomen, quam perfectae orationis  
 laudem petisse uideri potest: Quod in cursu honorum maximis  
 obeundis muneribus occupatus splendidum illud antea conceptum  
 illustris eloquentiae lumen festinato, & penè praecipiti, uti necessi-  
 tas ferebat, scribendi genere, uehementer infuscarit. Verum ea ru-  
 dis adhuc saeculi ingenia facile summa, ac admiranda censebantur,  
 quae hodie tamquam expergefactis Censoribus, uix in infimis literarij

D i i Theatri

Theatri gradibus sedem inueniunt. Sed fortasse populari commenda-  
 tione contentus, eam absolute scribendi gloriam uti leuem, & a  
 doctissimis tantum ideoq; paucissimis intellectam spreuit, ut inge-  
 nio ad sacrarum literarum studia reuocato, illam quam Dii superi  
 dederant personæ dignitatem religiosè tueretur. His enim moribus  
 sibi iter sternebat ad ipsum rerum fastigium, sed illudente Fortu-  
 na in summo ferè, deceptus hæsit, quum fata potiore ei uiam ad  
 calum permunirent. Periit enim non adhuc senex in secessu ad cryp-  
 tas laurentianas Vulsiniensis lacus, à circumforaneo medico mi-  
 serabiliter enecatus, quum uir in omni negotio præterquam in tuen-  
 dæ sanitatis ratione prudentissimus, ut quartanæ febris tedium discu-  
 teret, immitte ueratrum stulta propinatum manu, fato coactus ebi-  
 bisset. Scripserat antea ingenuæ piæq; liberalitatis Testamentum,  
 sed id Xystus Pontifex irritum fecit, quod pecunia satis grandis  
 apud mensarios occultè deposita tanquam frugi, atq; opes cõtennè-  
 tis censu, amplior æstimatione publica uideretur. Epigramma ta-  
 men ex eodem Testamento in fiscum non uenit, hæredibus utiq;  
 relictum, ut hoc modo marmoreæ sepulchri tabulæ inscriberetur.

#### IP S I V S.

*Luca ortu, Sena lege fuit mihi Patria, nomen  
 Dum uixi Iacobus, mens bona pro genere.  
 Papa Pius sedem Papiensem detulit, idem  
 Cardineo ornauit munere, gente, domo:  
 Quem colui uiuens non linquo mortuus, hic sum  
 Et propè sancta patris filius ossa cubo.  
 Vinite qui legitis, cœlestia quærite, nostra hæc  
 In cineres tandem gloria tota redit.*

#### DOMITIVS CALDERINVS.

CALDERIA VERONENSIS Agri oppidum cali-  
 dis aquis nobile DOMITIVM protulit; Eum acri, flagran-  
 tiq; ingenio ad gloriam anhelantem Bessarion Cardinalis excepit,  
 & extulit. Exinde, quum Romæ profiteretur, & obscurasensa du-  
 riorum poetarum admirabili reconditæ lectionis testimonio dilucis-  
 dasset, literarii splendoris assertor, ac omnis obscuritatis illustra-  
 tor



tor acclamatus est. Verum editis interpretationum commentariis, peracerbas, sed iuuentuti maximè utiles, cum æmulis similitudines exercuit. Ambitioso quidem, & nimis aculeato dicendi genere, ex aliena inscitia (dum intemperanter perstringit, atq; remordet) nomen quærens eo modo, ætate, laudèq; florentem, sed imbecilli stomachi temperaturam nimis lucubrationibus extorcentem; quum digna multis sæculis opera conciperet, rapida febris eripuit. Celebrante funus Academia, nobilis iuuentus cum lachrymis uestem mutauit; mortem uerò, uel æmuli, & principatum affectantis, Politianus his carminibus prosecutus est.

### POLITIANI.

*Hunc Domiti siccis tumulum qui transit ocellis;  
Uel Phœbi ignarus, uel malè gratus homo est.  
Intulit hic uatum coctis pia lumina chartis;  
Obstrusum ad Masas hic patefecit iter.  
Hunc Verona tulit, docti patria illa Catulli:  
Huic letum, atque urnam Roma dedit iuueni.*

### EIVSDEM SCAZON.

*Asta uiator, pulcrum uides sacrum,  
Quem uerticosi turbat unda Benaci;  
Hoc mutat ipsum sæpè Musa Libethron,  
Fontemq; Sisyphi, ac Vireta Permessi;  
Quippè hoc Domitius uagite solo primum,  
Ille, ille doctus, ille quem probe nosti  
Dictata dantem Romula iuuentuti,  
Mira eruentem sensa de penu uatum.  
Abi uiator, sat oculis tuis debes.*

### ANTONIUS CAMPANVS.

**QVIS IN PRÆPINGVIS** Simia rictu tantam excelsi, atq; habilis ingenii indolem? Quis in sordida stirpe tantam fortunam non miretur? **ANTONIUM** enim **CAMPANUM**  
D iii NVM

N V M Rustica Mulier in agro fessa opere , sub Lauro peperit,  
 & aluit puerum argute loquacem adituo sacerdoti in famulatum ,  
 & disciplinam tradidit . Ita feliciter perceptis literarum rudimentis,  
 Neapoli mox pædagogus erudiendo nobili puero mercede quasi-  
 tus est . Tantos autem in studiis latinis quinquennio processus fe-  
 cit , ut inde Perusiam transierit , scilicet ut in præclara frequentis  
 gymnasii luce profitendo illustri famæ limen aperiret : nec multo  
 post à Perusinis ciuitate donatus , Pii Secundi Pontificis gratiam  
 studiorû similitudine promeruit , à quo uirtutis honore Interamna-  
 tium Præsul est creatus , & à Paulo successore locupletatus: Sed po-  
 stremo cum Xystus immodicè Tiphernatium Tyrannis fauentem,  
 quum multis urbibus integra nominis auctoritate præfuisset, in exi-  
 lium egit . Fato functus est apud Senas à Pii memoria sibi gratis-  
 simas , Inuidente non planè seni longiorem uitam comitali morbo  
 inter multa orationum , & multiplicis styli opera , quæ extant , au-  
 dissimè Bracii incliti Ducis uita perlegitur , digna posteritate , nisi  
 rerum gestarum fidem adulatione poetica corrupisset .

### PLATINÆ.

CAMPANVS. *lacet hic humili contextus in urna ,  
 Qui uaga , dum uixit , sidera transiit .  
 Historicus scripsit : dixit : cecinitq; nec alter  
 Philosophus toto clarior in Latio .  
 Nil maius natura tulit : miracula cœli  
 Huius in ingenio cuncta steterc Viri .  
 Deserto lugent Parnasi fonte sorores ,  
 Et tumulus refugas lucis hic unus habet .  
 Vos quibus ingenium est : en quo contendimus omnes :  
 Virtutis sola est gloria : quæ superest .*

### POLITIANI.

*Ille ego Laurigeros , cui cinxit , & infusa crines  
 Campanus Romæ delitium hic iaceo .  
 Mi ioca dictarunt charites , nigro sale Momus :  
 Mercurius niueo tinxit , utroque Venus .*

Mi

*Mi ioca, mi risus, placuit mihi uterque Cupido,  
Si me fles, procul hinc quaeso Viator abi.*

### EMANVEL CHRYSOLORAS.

EMANVELIS CHRYSOLORÆ Qui primus græcas literas uariis Barbarorum irruptionibus expulſas poſt ſeptingentos annos in Italiam reportauit, tanta fuit in docendo liberalis ingenii humanitas, ut eius præclara facies, prima inter græcorum imagines illuſtri merito collocanda uideatur, quanquàm nulla exteſt, præter artis grammaſicæ Regulas grauioris doctrinæ monumenta. In docendo enim nunquàm feſſus, facile in ſcribendo, deſidioſus uideri poterat, quum altera pars laudis exoptata noſtris utili profeſſione peteretur. Is Byzantio emiſſus à Ioanne Imperatore, ut totius Europæ Reges adeundo pereunti Græciæ maturam opem imploraret, Officiuſm quidem laborioſa peregrinatione ita impleuit, ut in Italia ſuſſiſteret, Græcia ſcilicet præſenti metu liberata, quum Tamberlanes terror Orientis Baiazetem Othomanum à terribili celeritate fulguris cognomen adeptum, ad ſtellam montem uiuum cepiſſet. Itaq; Chryſoloras diro Græciæ hoſte ſublato lætus, Venetiis primum, & mox Florentiæ, Romæq; ac deſum Ticini euocante ingentibus præmiis Ioanne Galeatio Principe, græcarum literarum ſtuduſm excitauit, tanta felicitate uti ex eius ſchola ſumma, nec ideo interitura laudis ingenia prodierint; In quæis fuere Leonardus Aretinus, Franciſcus Barbarus, Philoſophus, Guarinus, & Pogius. Poſtremo, quum ad tollendam pseudo Pontificum controuerſiam, indiſta ſynodus tanti ſpectaculi cupidum exciuiſſet, exauctorato Balthaſare Coſſa; Conſtantiæ interiit; cuius Tumulum, Pogius his carminibus exornauit.

*Hic eſt Emanuel ſitus  
Sermonis decus Attici,  
Qui, dum quærere opem patriæ  
Affectæ ſtudet: huc iit.  
Reſ bellè cecidit tuiſ  
Votis Italia, hic tibi  
Linguae reſtituit decus*

*Atticæ ante recondita.  
Reſ bellè cecidit tuiſ  
Votis Emanuel ſolo  
Conſecutus in Italo  
Aeternum decus eſ tibi  
Quale Græcia non dedit.  
Bello perdita Græcia.*

B E S

## BESSARION.

IN CELEBERRIMO gentium omnium concilio , quo Florentiæ disceptantibus græcis, & Latinis, præsidenteq; Eugenio, christiani dogmatis fides, publici consensus autoritate firmata est, BESSARIONIS Niceni mirifica uirtus Senatorii ordinis ornamenta promeruit . Datum est enim honori totius Græciæ ab antiqua pertinacia discedenti, ut duo eius nominis Isidorus scilicet, atq; Bessarion in sacra purpura conspicerentur , sed in Bessarione uirtutes omnes usq; adeo præcellenti temperamento, concentuq; ad admirationem responderunt, ut nemo eo christiana probitate spectatior , nemo admirabilior doctrina , & nemo denique generosis moribus ornator, atq; splendidior , hoc ipso à morte eius sexaginta annorum curriculo in Senatu conspectus sit . Senatoriam enim grauitatem, ore probo , atq; blandissimo condiebat , ac ipsam Viri optimi famam domi, & foris nitida, ac hospitali disciplina , & liberalis animi beneficentia uerbatur , quum subactæ Turcharum armis, & ideo concidentis græciæ ingenia diu iactata Mari, & terris apud eum certissimum salutis portum inuenirent, & qui in Academia nomen darent , eodem Patrono atq; hospite uterentur . Habitabat sub Quirinali, ad Sanctos Apostolos, deducebatur autem mane in Vaticanum , non exulto quidem & numerofo, sed uno uirtutis nomine maxime decore comitatu , quandoquidem præclara græcæ, Latineq; linguæ Lumina peregrinorum requisita oculis, circa eum in triuiis ciuium digito monstrarentur . In his enim sæpè conspecti sunt Trapezuntius, Gaza, Argyropylus, Plethon, Philolophus, Blondus, Leonardus, Poggius, Valla, Sipontinus, Campanus, Platina, Domitius, nullo æuo perituri, quibus Viris domesticus usq; adeo extrà inuidiam gloriosa sui fama fruebatur, ut Eugenius, Nicolaus, & Pius eum sibi successorem, si fas esset, adoptare percuperent, neq; optimè de Republica merito, Senatorum studia decrant, Sed Paulo morte sublato, in Comitibus fatalis casus tantæ spei fortunam auertit . Ferunt enim tres summæ auctoritatis Cardinales, quum eo decreto, ut Pontificem salutarent, abditum in cella conclauis adissent, nec admitterentur à Nicolao Perotto Ianitore, quod tum Vir ineptus Lucubranti parcendum diceret, usq; adeo stomachatos, ut se se indignanter auertentes responderent. Ergo nec præfari, nec roganti quidem, summa dignitas erit inculcanda, ut quum è cœlo suffragia expectet, superbis demum ac stolidis

lidis Ianitoribus pareamus? statimq; suffragia Xysto detulisse, quo repente renunciato, adoratoq; Bessarion dixisse fertur. Hac tua, Nicolae, Intempestiua sedulitas, & Tiaram mihi, & tibi galерum eripuit. Nec multo post cum honore Legationis in Galliam est ablegatus, quod Xystus noua licentia Pontificatum nomine principatus gerendum ratus, liberè, & grauitè, religiosèq; sententias dicentis uultum non perferret. Sed Bessarion, dum è Gallia rediens concepto morbo Rauennæ substitisset, septuagesimoseptimo ætatis anno moritur. Funus autem Romæ celebratum in templo Apostolorum, ubi marmoreum Tumulum, uiuens sibi cum hac græca inscriptione extruxerat; hanc sic uertit Maiorianus Salentinus.

*Bessarion feci hunc Tumulum, qui conderet ossa :  
Venerat undè olim spiritus astra petet.*

### MAIORANI.

*Viuens adhuc feci hoc sepulchrum corpore  
Bessarion ad Deum remittens spiritum.  
Me docta genuit Græcia, at honores dedit  
Vrbs Roma, quæ mihi perpetuò est patria.*

### IANI VITALIS.

*Non tibi sit laudi sanctum celebrasse Platonem,  
Castaq; Socraticæ Frena pudicitæ:  
Non quòd uirtutum exemplum, quòd lumen honoris,  
Quòd sol extinctæ religionis eras:  
Verum quòd per te migrauit Græcia Romam;  
Et didicit latios Attica Musa sonos.  
Per te hinc Romanas miratur Tybris Athenas.  
Argolicam, & Romam Græcia, Bessarion.*

### GEORGIUS TRAPEZVNTIVS.

GEORGIUS TRAPEZVNTIVS. In Cretanatus, quòd paternam originem è Pontica celebri urbe duceret uetustæ  
E tustæ



iustæ patriæ nomen asciscere , quàm natale solum fateri maluit . Is  
 Græcorum fere primus Romæ eo tum sæculo renascentibus literis,  
 qui græca feliciore stylo in Latinum uerterit existimatus est ; uti li-  
 quidissimè constat ex Aristotelis, sacrisq; Eusebii Casariensis operi-  
 bus , & ex Rhætoricis præceptis Hermogenis . Erat enim ingenio  
 ad lucubrandum maximè ualido , uehementiq; . Sed uti mox appa-  
 ruit , tetrici liuoris pleno, nam quum se Peripateticum profiteretur,  
 Vnumq; Aristotelem extollendo celebraret , usq; adeo superba au-  
 re fuit , ut nec diuini quidem Platonis ingenium laudari pateretur,  
 cuius etiam dogmata, & mores peracerbè, ac insolenter edito famo-  
 so uolumine laceraret . Sed Bessarione , generosa cruditione , illu-  
 striq; facundia Platonem defendente, Georgius uim tanti fluminis  
 sustinere non potuit , quum publica inuidia deflagraret, quod sum-  
 mæ authoritatis Philosophum , Magistrumq; sanctioris uitæ , ac  
 ideo Christianæ disciplinæ proximum , impio ac incesto ore proscri-  
 disse . Habitauit iuxta Minervam , honesta domo sibi, & posteris  
 extructa , ad Diui Mauri minores obeliscos , ducta uxore , susce-  
 ptoq; filio , sed non eadem felicitate in literis educato . Is enim no-  
 mine Andreas, paternas lites excipiens Theodoro Gaza, tanquàm  
 Georgii patris laudi decus malignè subtrahenti rescripserat . Sed  
 Theodorus eam recriminandi libidinem , rabiemq; facile contem-  
 pfit . Porro Georgius ad exactam senectutem peruenisse fertur, ita,  
 ut repuerascenti, & propemodum deliro memoria tantarum rerum  
 elaberetur , & circuiret urbem solus obtrito in pallio pilcatus , &  
 nodoso scipione uacillantis gradum sustinente . Andreae filia hæres  
 Fausto Madalenæ Romano poëtæ lepido collocata est . hic multa  
 de Georgii prosoceri doctrina , & litium acerbitate narrare sole-  
 bat , quum Leoni ab amoenitate ingenii gratissimus in Academia  
 floreret , sed is ante diem clade urbis interiit .

## IN CERTI.

*Hæc Vrna Trapezuntii quiescunt  
 Georgi. Ossa , parum deis amici,  
 Quod acris, & nimium procace lingua  
 Platonem superis parem petiuit.*

THEO.

## THEODORVS GAZA.

THEODORVS GAZA Theſſalonica honeſto loco natus , Amurathe Græciam omnem uictoricibus armis quatiente in Italiam uenit , acumine, fertilitateq; ingenii nemini ſecundus, quum Græcos omnes linguæ peritia , eruditoq; iudicio ſuperaret. Victo- rino autem Feltenſe Magiſtro uſus uſq; adeo copioſe , & diligenter Latinas literas didicit , ut longè omnium Latiniffimè ſcriberet, nec planè dignoſci poſſet an exactius , & certius ab eo latina græcè , an ipſa græca latinè uerterentur . Hiſtorias enim Ariſtotelis de Animalibus , & Theophrasti , de Plantis ita latinas fecit , ut Romanæ linguæ facultatem , quum noua uocabula ſolenter effingeret, audaci , ſed generoſa translatione locupletarit . Tanta porro felicitate Librum Marci Tullii de ſenectute Græcum reddiderit , ut peritiſſimi præter adæquatos ſenſus , ipſam quoq; Ciceronis eloquentiæ Maieſtatem ſcitè, & grauiter repræſentatam admirentur ; Tranſtulit etiam Problemata Ariſtotelis , & Hippocratis Aphoriſmos, ut præſtantiffimis authoribus ad perſpicuam fidem , nec obſcurè ad ſalutem humani generis ſua dignitas redderetur. His uigiliis ſacerdotium in Magna Græcia, commendante Beſſarione promeruit, quod certè ſatis eſſet moderato, frugiq; homini , & aduerſus omnis luxuriæ uoluptates inuictò , niſi neglecta ratione totius redditus rapacibus Græculis , & Brutiis rei familiaris curam demandaffet. Nouiſſimè quum nobiliſſimas lucubrationes in membranis accurate perſcriptas Xyſto Pontifici detuliſſet ; nec pecunia ; uel ipſius Librarii premio digna redderetur , indignatus ſubagreſte iudicium , effugere hinc lubet , inquit ? poſtquàm optimæ ſegetes in olfactu præpinguibus aſinis ſordescunt . Atq; ita in Brutios ad ſacerdotii ſacram ſedem contendit . Nec multò poſt planè ſenex Fato functus eſt, nec iniqua quidem ſorte , quum in Græcia natus , & educatus in Italia , tanquàm de utraq; lingua benemeritus in Magna Græcia tumularetur .

## PONTANI.

*SVMME Lyram, dic Muſa modos, dum condimus umbram .  
Et puer, & coluit numina ueſtra ſenex .  
Indignus tellure, Deos Theodore petiſti,*

E ii Sera

*Sera quidem, tamen est longa parata quies.  
 Virtute, ingeniiq; bonis hoc ipse parasti,  
 Ut Cœli aspiceres aurea tecta senex.  
 Nos artus terra tegimus, tu caste Sacerdos  
 Da requiem, Aeternum iam Theodore Vale,*

## POLITIANI.

*HEU Sacrum caput occubuit Theodorus, & hora  
 Una obire omnes reliquæ generis.  
 Nec tamen hoc querimur, nimis est potuisse uideri,  
 Non erat hic nostro tempore dignus honos.  
 Hoc dolet heu, quod neutra patri est nunc lingua superstes,  
 Quæ mittat iustas manibus inferias,*

## EIVSDEM.

*CUM Terram hinc nosset Theodorus, & æra, & undas:  
 Iam restant, inquit, sydera, terra Vale.*

## ARGYROPYLVUS.

IOANNES ARGYROPYLVUS Byzantius eodem  
 Turcharum impetu Græcia eiectus, apud Cosmum Medicem glô  
 riosa liberalitate literis fauentem in honore fuit, tanta nominis exis  
 timatione, ut Petro filio, nepotiq; Laurentio præceptor datus, lo  
 co parentis haberetur. Publicè uerò Florentinæ iuuentuti Græcos  
 authores enarraret. Grati idcirco animi erga Medicæ gentis pro  
 cures uigiliarum præclara extant monumenta, consecrata in ea do  
 mo altrice ueræ uirtutis. Aristotelis enim naturalia, atq; moralia  
 generosè transtulit: ita applaudente Gaza uetere sodali, qui diuer  
 sas Aristotelis partes uertendo desumpserat, ut quædam ab se pari  
 ter translata combureret, ne amicissimi hominis crescenti famæ offi  
 ceret, si ad æmulationem odiosa comparatione certaretur. Latina  
 enim

enim ubertate facundior , & græcorum modestissimus , hoc facile dabat elatè ambizioso , & amplioris fortunæ percupido , quòd ipse omnis semper lucri , & præsentis tanquàm euanidæ laudis contemptor extitisset . Argyropyli autem , sermones cum fastidiosi , tum graues cruditis auribus essent, & tum maxime , quum Ciceronem græcas ignorasse literas illoto ore prædicaret . Pestilentia demum Æthuriam euasante , Romam uenit , Profitendoq; græcè Aristotelem , ita opimis stipendiis uitam traduxit , ut tota substantia quotidianis sumptibus æquaretur , & in extremo uitæ actu iocatus, ditiores amicos , æris alieni , condito testamento hæredes relinqueret . Vini, & cibi, æquè auidus & capax , & multo abdomine uentricosus , immodico Melopeponum æsu, autumnalem accersuit febrem, atq; ita septuagesimo ætatis anno , creptus est . Ioannes autem Lascars eundem ciuem , & Magistrum, hoc græco carmine laudauit, quod Maioranus Lascaris discipulus sic uertit .

*Hoc Argyropylus , patria procul , alta sophiæ  
Dogmata qui coluit , conditur in Tumulo :  
Dat patria huic nomen , sacrum dat Roma sepulchrum ,  
Nescio quæ potior huic fuerit patria :  
Illa genus , nomenq; dedit , uerum incluta Roma  
Nutriuit , coluit , perpetuoq; tenet .*

## MARVLLVS TARCHANIOTA.

MARVLLVS TARCHANIOTA GRÆCVS  
Inter Alarios Equites descriptus , Nicolao Ralla Spartano Duce in Italia militauit; ita labore, ac studio duri Martis cum tencerrimis Musis per Interualla feliciter adæquato , ut non græco tantum , sed latino carmine admirandus euaderet ; Nam Theodori, ac, Argyropyli decora uestigia subsequutus nihil iam græcè doctum esse satis ad laudem putabat , nisi tota patrii sermonis facultas Romanæ facundiæ iungeretur ; propterea Florentiæ Alexandram cruditi ingenii puellam uxorem duxit , Bartholomæi Scalæ Vexilliferatus honore conspicui filiam . hic est qui paulò ante Græcorum nomini fauens cum Politiano , eius gentis ingenii infesto maledicenti ssimis Epistolis li-

E iiii tes

tes extenderat. Verum Marullus inquieto ingenio nullibi sedem stabilem nactus in cursu studiorum, ac itinerum semper fuit ; transferendiq; munus tanta contentione , fama q; ab aliis susceptum semper contempsit , quasi minimè par, aut certè nobilis gloria periculo-  
so opere peteretur grauiora idcirco meditantem, post editos Epigram-  
matum Libellos , quibus Apollo pereleganter arriserat , in Volaterrano , Cecina amnis solito inflatior , fallente equum cæco uado, uiolenter abripuit; eo die quo Ludouicus Sfortia ab Heluetiis prodi-  
tus , ut Ferrato in carcere miser expiraret , in ulteriorem galliam est perductus .Luxere cum pari mœstitia Græci , Latiniq; .

## PONTANI.

*Hoc uacuum tibi Pierides statuere sepulchrum  
Et Graia , & Latia clare Marulle lyra .  
Ipse etenim Æonia in sylua , atque Heliconis in antris  
Lætus agens , illic otia grata teris .  
Illic formosæ ludunt ad plectra puellæ ,  
Et tecum ad Choreas carmina lecta canunt .  
Et tibi responsant syluæ , Peneiaq; antra ,  
Plaudit , & Ogygio roscida ripa lacu .  
Nil præter nomen tumulo , per opaca uagaris  
Culta per Elysium docte Marulle nemus :  
Hinc tibi se ad cantum adiungit formosa Corynna ,  
Cantat , & ad calamos Delia culta tuos ;  
Illic compositos exercet Cynthia saltus ,  
Exercet raros Lesbia blanda Choros .  
Nec Parca eripuit , Musæ rapuere Marullum ,  
Ærni di ne fieret grata rapina Deæ .  
Sis felix igitur Musis comes , & tua Musæ  
Ambrosio foueant membra adamata sinu .*

## TIBALDEI.

*HIS Situs est celebris cithara , gladioq; Marullus ,  
Qui Thusco ( heu facinus ) liquit in anne animam .*

Neptune



*Neptūne imitātis : meruit si mergier ille ;  
Mergier Aonio flumine debuerat .*

## DEMETRIVS CHALCONDYLES .

DEMETRIVS CHALCONDYLES Diligens Grammaticus, & supra Græcorum mores, quum nihil in eo fallaciarum, aut fuci notaretur: Vir utiq; lenis, & probus scholam Florentiæ instaurauit, desertam ab Argyropylo, & à Politiano deficientibus Græcis occupatam; sed ambitioso, peracriq; æmulo, multis bonis, malisq; artibus suggestus locum, & nomē defendenti Demetrius cecidit; Latina præsertim facundia inferior, & ob id rarellescente auditorio à Iuuentute destitutus, quandoquidem uel apprimè doctus, facile Iciunus, & hebes; lasciuis, & delicatis auribus uideri poterat: quibus Politiani decantantis, & uarios spargentis flores, iucunda, argutaq; uox, & falsa comitas, mira dulcedine placuisset. Sed mansit Demetrio honestus gratiæ locus apud Laurentium, uel infesto, & oblique semper incessente Politiano, qui quum neminem è Latinis sibi parem pateretur, Græcis ipsis eruditior existimari uolebat. Diuisit idcirco munera Laurentius, ut æmulationis lites dirimeret. & Filii præceptorum contentione ad discendum accenderentur. Sed eo Principe uirtutis eximiæ; morte sublato, Demetrius Mediolanum à Ludouico Sfortia accitus est, adducta secum uxore Florentina, è qua iam liberos susceperat; Nec multo post profitendo, perscriptoq; utili uolumine, Rudimenta grammaticæ publicauit, quod Theodori, quanquam insignis Liber de arte eadem, uti prouectis, & doctis scriptus, durior uideretur. Vxor uirili industria familiam regebat, ipso sene, & literarum studiis occupato, sed ea libertas in mirè fecunda uxore, dubiam pudicitiae famam fecit, quanquam tres filii ipsam ueri patris effigiem, ore græco penitus referrent: Theophilus natu maximus iuuenis turbulentus, quum Ticini Homerum profiteretur, nocturno, & petulanti certamine confossus interiit: & Basilius mira ingenii indole, euocante Leone, ut in Gymnasio Romano Iuuentutem doceret, paucis mensibus, ex lenta febre contabuit: Seleucus uero natu minimus ad pubertatem non accessit, cæterum Demetrius octogenario maior, non planè miser, quod nihil de obitu Theophili, occultante matre didicisset, Mediolani Fato functus est; Paulo ante quam

quàm Galliq̃ Iulii Pontificis, & Venetorum armis Italia pel-  
lerentur .

### INCERTI.

*VIVENS Corona nobilis Iuuentutis  
Circundabaris undequaque Demetri ,  
Dum ostenderes iter per Atticos campos .  
Certè Beatus , si obtigisset morienti  
Doctam uidere tibi supersitem prolem :  
Oculumq̃ claudi languidum à tuis natis ,  
Aut hoc sepulchrum lachryma illorum spargi .*

### MARCVS MVSVRVS.

MARCVS MVSVRVS genere Cretensis , exactæ  
diligentiæ grammaticus, & raræ felicitatis poëta, in gymnasio Pata-  
uino aliquandiu græcos authores interpretatus , secunda perspicu-  
cis ingenii fama ad integram doctrinæ maturitatem peruenit , Sed  
sæua coniuratione externarum gentium , afflictis bello Venetis in-  
de exturbatus , ita tranquillum otium quæsiuit , ut græco carmine  
Diui Platonis laudes decantaret ; extat id poëma , & in limine ope-  
rum Platonis legitur , commendatione publica cum antiquis ele-  
gantia comparandum . Leone autem ingeniis illustribus præclara  
præmia proponente, Romam uenit : nec multo post Manilio Rala-  
la eruditi iudicii Viro græco , morte sublato , Archiepiscopus Epi-  
daurensis effectus est . Eam autem secundæ fortunæ celeritatē, quasi  
ab occultis fatiis maiora præmia monstrarentur : Immoderato ani-  
mo tulit , sic ut insana , uehementiq̃ ambitione percitus , nouum  
illud sacratæ mitræ honorem nequaquam ingenii merito parem duc-  
ceret , nulloq̃ pudore præproperus ad purpuram aspiraret , quum  
sæpe quereretur , græci generis neminem quasi probro gentis les-  
ctum fuisse , quando Princeps in donanda purpura maxime libe-  
ralis , uno comitali die , supra triginta nationum omnium delecta  
capita , galero purpurco perornasset . Ab hac intempestiua siti con-  
tabuit corpus adeo celeriter , ut obrepente morbo Intercute , uix  
ostentatis Mitræ Insignibus expirarit ; In templo pacis tumulatus  
est .

est . Amiterninus autem Antonius , sepulchro hoc distichon inscripsit .

*M V S V R E Mansure parum , properata tulisti  
Præmia : nanque cito tradita , rapta cito .*

## IOANNES LASCARES .

IOANNES LASCARES Græcorum ferè omnium, qui Othomanicis armis patria pulsi in Italiam confugerint, nobilissimus, atq; doctissimus fuit. Stirpem enim sanguinis Incorrupti ad Imperatoris Constantinopolitani decus generosis moribus referebat, ut potè qui ab ingenua educatione, optimas literas imbibisset . Naufragum excepit Laurentius Medices, cui nihil antiquius unquam fuit, quàm ingenia liberali beneficio deuinxisse . Is, tum absoluendæ Bibliothecæ studio tenebatur. Ob id Lascarem, ad conquirenda uolumina Byzantium cum legatione ad Baiazetem bis misit : nec defuit honesta petenti, nusquam Barbarus Imperator, quipè qui erat totius philosophiæ studiosus, Auerroisq; sectator eximius, & de Laurentio priuatim tanquam de Illustri cultore uirtutis, optime sentiret : quum paulò ante Bandinum percussorem fratris, fuga in Asiam elapsus in cathenis ad supplicium tradidisset; singulari quidem religionis, atq; iustitiæ exemplo; quòd ille immane scelus in templo ausus, merita pœna plectendus censcretur. Itaq; Lascares, tutò abdita Græciæ perscrutatus, quum patriæ opes uictoribus cessissent, nobiliora diuitiis antiquæ dignitatis uolumina collegit, ut in Italia seruantur . Transiuit demum in Galliam, Legatumq; Ludouici Regis apud Venetos egit : nec multò post Leone ueteris amicitiae nomine liberaliter attollente, nobiles e Græcia pueros adduxit, instituto ludo in Quirinali, ne græca lingua scite loquentium soboles interiret . Valebat Latina facundia, ita, ut uersus, qui extant, perscriberet ; Sed adeo contumaci sterilitate desidiosus erat, ut in uertendo græca uix Polybii castrametationem efflagitantibus amicis expresserit, quòd id studium, recto an maligno iudicio incertum, penitus damnaret . Verum egregia cum laude præstitit, ut Latini haberent emendatiora, quæ minore ipsorum labore uerterentur . Honestæ facultates non certo nixæ reddi

F tu,

tu , sed aliena liberalitate quæsitæ , uel in rem negligenti , & sum<sup>2</sup>  
ptuosè uiuenti nunquàm defuerunt, ut nonagenarius ferè senex ar<sup>2</sup>  
ticulari morbo deformatus Romæ moreretur . Sepultus est in Æde  
Gothica Diuæ Agathæ supra Suburram ; Fecitq; sibi græcum Epi  
taphium , quod Maioranus sic uertit .

*LASCARRIS in terra est aliena terra sepultus ,  
Nec nimis externam quòd quæreretur erat .  
Quam placidam , ò hospes reperit , sed deflet Achæis  
Libera quòd nec adhuc patria fundat humum ,*

### TIBALDEI,

*LASCARRIS hic graium specimen ; ne credes cadauèr  
Illius esse sub hoc marmore , sed statuam .  
Altera quippè fuit Niobe , dolor impius illam  
Natorum ; hunc podagræ transfudit in lapidem ,*

### RODVLPVS AGRICOLA.

QVIS NON TE RODVLPHE AGRICO  
LA Inuitato , & planè portentoso conspirantium syderum conc  
ursu natum esse fateretur : Si uim cœlestis tam uariè radiosi lumis  
nis , non secus ac in astris cursum ; certior disciplina deprehende  
ret ? Hausisti enim hebraicas , græcasq; literas , usq; adeo stupen  
da celeritate , ut nequaquàm Gruningiæ in ultima Frixia : Sed hie  
rosolymis , Athenisq; natus , ac educatus à doctissimis credere . La  
tinas porro tanta felicitate didicisti , docuistiq; ; ut exacta puritas,  
ac illa nobilis ubertas Romanæ eloquentiæ , nostro cum pudore in  
squallenti , asperoq; Oceani littore quarenda uideatur . Viuent  
profectò in admirantium manibus tua illa , quæ auidè leguntur  
in Dialecticis , Rhetoricisq; præcepta , & diuini ingenii carmi  
na , quibus uel Illustribus poëtis numeros excussisti . Nos ue  
rò in magno uitæ tuæ desiderio , aut numinum , aut certè syderum in  
constantiam

constantiam indignanter usquequaque mirabimur , quæ tantis cumulatæ muneribus , terris tantum ostenderint , grauiore quidem Iniuria humani generis, quum ille Cælesti aura fortasse dignior, in secundissimo fecunditatis cursu raperetur. Defunctum Hingolstadio Germaniæ Vrbe gymnasio clara , Decuriones sepulchri honore perornarunt . Hermolaus autem Barbarus, apud Cæsarem Legatus , inscripto Epigrammate, supremum amicitie munus exoluit.

### HERMOLAI BARBARI.

*IN IDÆ* Clauserunt hoc marmore fata Rodolphum  
*Agricolam , Frixi spemq; , decusq; soli .*  
*Scilicet hoc uno meruit Germania, quicquid*  
*Laudis habet Latium, Græcia quicquid habet .*

### LEO BAPTISTA ALBERTVS.

LEONI BAPTISTÆ EX ALBERTORVM  
 Familia Florentiæ clara , Politianus , audita eius morte, nobile Encomium cecinit, nos autem eius ingenii acumen , & styli felicitatē in confragosa materia plurimum admiramur . Notum enim opus adificatoriæ facultatis , & propter linguæ inopiam ualde impeditū, nec satis eloquentiæ capax aggressus est , tanta facundia , ut imperitos obscuro , rudiq; eius sæculo , & certa disciplinæ luce carentes architectos in semitam rectissimæ rationis deduxerit, quum Vitruuii præcepta densissimis obseffa tenebris illustraret, ac inspectis antiquorum adificiorum reliquiis , atq; inde accurata dimetiendi ratione initiorum, & finium ordinem deprahendisset; Ita , ut inopem & corruptis artibus incultam ætatem nostram admirabili abditarū rerum copia locupletasse existimeretur . Scripsit etiam in pictura de Recesibus, & Vmbris , Lineisq; ex optices disciplina , quibus rerum imagines , in eodem sitas plano , tanquàm remotas , & extantes , erudita manus exprimere consuevit . Ex speculo quoq; , reflexis radiis suam ipsius effigiem arguto penicillo, pereleganter effecutus , quam apud Pallantem Oricellarium in hortis uidimus. Extat etiam Apologorum Urbani grauitatis Libellus , quo , uel Esopum Inuentionis amœnitate superasse iudicatur : & Momus, sum-

F ii ma

mae gratiae Dialogus; ac ideo cum antiquis operibus multorum sententia comparandus.

## IANI VITALIS.

*ALBERTVS* Iacet hic Leo, Leonem  
Quem Florentia iure nuncupauit,  
Quod Princeps fuit eruditionum,  
Princeps, ut Leo solus est ferarum.

## LAURENTIVS MEDICES.

**SALVE HEROS OPTIME MAXIME** Ingeniorum liberalis educator, artiumque omnium, & elegantiarum Pater, ac unicus verae uirtutis aestimator; Salue iterum Immortale preconium merite: quum te uigilanter excubante, non Ethruria modo tua, sed omnis quoque Italia, oppulenta pace floruerit; scilicet, ut mox orbata te custode, & Vindice Intestina, fatalique infania, & externa immunitate uastata concideret. Sed salus itidem, qui luculenter; & fouisti Musas, & feliciter exercuisti. Præclarus utique Vatum hospes, & amulus, Ideoque celesti munere, pomini tui debita, uirenti Laureæ dignissime: nisi hæc fortuna tua putetur inferior; quando Cosmum Auum eruditi sæculi decus gloria superasse summe arduum uideri poterit, nisi Leonem Decimum, ad ornandam uirtutem caelo datum felici prole genuisses.

## IANI VITALIS.

**NIL** Mortale unquam ultra tibi contigit omni  
O Patriæ Pater, & decus Immortale tuorum;  
Laurenti, nisi cum te mors immitis ademit.  
Illa quidem non te uitali lumine cassum  
Extinxit, uerum quicquid sanctis, bonisque  
Orbis habet, tecum simul abstulit: aurea quando  
Sæcula fœdauit scabra rubigine ferri;  
Non tamen ulla unquam uiderunt tempora dignum  
Te magis, & titulis, & maiestate decoro,

Cui



*Cui Magnus Cosmus Avus, & cui filius altum  
Maximus ille Leo Princeps Romanus, honorum,  
Atque æternarum laudum crexere Theatrum.*

### MYRTI.

*OCCIDIT* *Ut fato Medices Laurentius, ora  
Conuertens in sollicitas Florentia Musas  
Dixit, abite, aliud nobis nunc quarite tectum.  
Cui Musæ. Nos hospitium sancte perdimus usquam  
Querendum. Sed tu Medice Florentia raptio  
Amisum inuenies nusquam: Quin de sinis ipsa  
Esse illud decus, & Latæ Florentia lumen.  
Nos erimus Musæ: tum si quid nostra parente  
Ab Ioue dat pietas sperare, uidebimus ullo  
Tempore post herosa Deorum in sede suprema  
Immortalem alti nutu Iouis astra regentem.*

### PETRVS LEONIVS.

PETRVS LEONIVS. Spoleti-natus multo acumine  
perspicacis ingenii, cruditaq; facundia, Inter Medicos primus fere  
prolato Galeno, uerum medicinae limen aperuit, quum in Claris-  
simis Italiae gymnasiis profitendo, exercendoq; artem summa nomi-  
nis autoritate, non ex fæculentis Arabum Lacunis: Sed ex pu-  
rissimis græcorum fontibus haurienda præcepta artis, atq; remedia  
docuisset. Is erat ualidis disciplinarum omnium præfidiis instru-  
ctus, ita ut Astrologia, & ueteris item Magia potissimus habe-  
retur. quod de euentu grauissimarum rerum diuina prædictione  
iudicare consueuisset. Constat enim eum amicis sæpe dixisse, sibi  
subitæ mortis periculum in aqua portendi: Vnde flumina, crebrasq;  
nauigationes formidaret, quam ob causam, quum alia omnia ad  
quæstum, & decus secunda retinerent, à Patauio, Venetiisq; in Um-  
briam, & Spoletum emigrarit, ut mutata sede, nauigationum occa-  
siones effugeret. Sed fata ubiq; uiam inueniunt. Inde enim Lauren-  
tio Medice suprema ualetudine tentato, Florentiam accitus, adeo  
inani, aut certe fatali spe concepta, de salute decumbentis, oculis

F iii tans

tans atrocis morbi impetum contempsit, ut oblata ab aliis ex arte remedia rejiceret, & insurgentis naturæ uiribus nihil uerendam morbi uim, facile cessuram polliceretur. Verum non diu post ab ea cunctatione, detecta malignitate pituitæ, agroq; sensim deficienti, superuenit Lazarus Placentinus Illustris Medicus à Ludouico Sfortia Ticino missus, sera quidem afferens remedia, sed obliquè Leonium iam toti familiæ inuisum perstringens, quod neglectis morbi initiis, facillimæ curationis occasiones, temerè contemnentiis imprudentia deperissent. Per hunc modum, expirante Laurentio, Leonius ex Infamiae dolore, commota mente, exitialem insaniam, lugentiumq; familiarium letale odium contraxit; Ita, ut in proximæ Caregio Villæ puteum, sponte an illata ui incertum præceptus datus mergeretur. Fuere qui Petri Medicis feruida ira mortem patris more barbaro uindicantis, id scelus admissum crederent, uti Actius Syncerus Ethrusco carmine deplorauit: Sed nullum omnino præclarius patratae necis argumentum exortam inde suspicionem fouet, quàm ipsius authoris, par sceleri ad iustam poenam interitus, quum ille à clade Gallorum ad Lyrin aufugiens in Ostio, fluctibus nauē obruta, fæde perierit.

### IANI VITALIS.

*Diu timet Astrologus, sua fata, Leonius, undas;  
Et fugit e ripis magne Timaue tuis;  
Illa eadem frustra fugientem aduersa sequuntur,  
Qua rapitur tacita nobilis Arnus aqua:  
Hic tu florentem medicis Florentia curis  
Præruptum, o facinus, corripis in puteum:  
Astra repræsentant sic funera, dum fugit ille,  
Tutius hunc poterant quàm latuisse poli.*

### HERMOLAVS BARBARVS.

NULLA HERCLE CVIVSQVAM Defuncti insignis effigies, maiore merito, quàm tua in Musæo spectatur HERMOLAE Eruditorum omnium, omnibus numeris longè doctissime. Nouocomensibus enim C. Plinium Secundum Ciuem suum, ab Imperitis Inuidiosè surreptum, erudita, præclaraq;

ra'q; sententia reddidisti ; Eum'q; eductum tenebris, & multo squalentem situ , Immenso radiantis ingenii tui lumine penitus illustrasti , scilicet, ut recepta antiqua dignitate sibi persimilis in lucem prodiret , ac ea omnino quæ in Foro à Comensibus erecta est , dignus marmorea statua spectaretur . Sed tibi publico nomine debemus omnes , quod Themistium , tenebrosis Aristotelis operibus uiuido splendore lucem afferentem , Latino sermone donaueris , ut quantus esses in Physicis , Dialecticis , atq; Rhetoricis tot nobiles exuberantis ingenii forturae testarentur ; nec satis fuerit impeditissimam illam Geographiæ Syluam inaccessam multis , nulli'q; penitus exploratam , glorioso labore penetrasse : nisi ex ipso telluris , & naturæ germinantis gremio singulas salutare, & noxias herbas , traducto , ac explorato Dioscoride agris mortalibus demonstrasses. Sed qui linguarum, & disciplinarum omnium difficultates euasisse uideris longè maximo etiam Inuicti animi præconio , infestam uirtutis tuæ inuidiam generose' superasti, quum te speciosis honoribus perfunctum , & tum supremam idcirco'q; grauissimam legationem, Romæ agentem , Innocentius Octauus , admiratione uirtutis, Aquileiensem Patriarcham renuntiasset , uel non probante Senatu Veneto , qui nihil , uel inusitatae uirtuti , extrâ leges tribuendum censuerat , tulisti quippè æquo animo suffragiorum seueritatem , quum ex eo tamen , pari merito tibi purpura pararetur . Sed mors ante diem irrepsit , & pestilenti quidem morbo properata , adeo , ut quod à Pico , Politiano'q; Florentia laboranti per dispositos equos mittebatur miræ potestatis antidotum , Veneni celeritate prauerterit , scilicet, ut nimis seuera patria optimi ciuis ossa non haberet , quæ sub colle hortorum ad Flumentanam portam sepulchro condita è Campo Martio , ab erudita Romana Iuuentute saluantur ,

*BARBARIE M, Hermolcos latio qui depulit omnem  
Barbarus hic situs est, utraque Lingua gemit .  
Urbs Vinctum uitam, mortem dedit Inclyta Roma ,  
Non potuit nasci, nobilius'ue mori .*

## GEORGIVS MERVLA.

IN GEORGIO MERVLA Ab aquis statiellis Alexandrino ingenium subagreste, atq; ideo ad Lucubrationum labores maxime

ualidum ; nullisq; obiter uoluptatum illecebris lacesfitum emicuit, passim florentibus græcarum literarum studiis , quarum felici societate antiqui decoris ornamenta Latinæ facultati tradebantur. Ob id uariæ eruditionis laude celebratus quadraginta amplius annos, cum Venetiis, tum Mediolani Iuuentutem docuit ; In alienos sæpè Libros acerbius censuram exercens , quum sæpè Calderini, Galeotti , & Politiani errata, uel certè prætermisâ notare contenderet, publicatis annotationum Libellis , quibus latè nomini fama apud stupentes grammaticos quæreretur. Edidit etiam translationē Dionis de Traiani gestis : Sed petenti Ludeuico Sfortiæ historiam perscripsit, Vicecomitum Principum origines, & Bella continentem , sobrio quidem stylo , ac ex omni parte Latino , sed in quo Lectores minus austeri peramœna diuerticula passim requirant : Caterū postremi eius historiæ Libri meo iudicio iucundiores , æternum dormituri, denegata luce in abditis scriniis iacent , quum nemo è generosa stirpe Vicecomitum omnino prodeat, qui sepultum familiæ, patriæq; decus in lucem asserere uelit ; quandoquidem nemo ferè sit ex ea gente , qui non spreto ueræ uirtutis nomine , ab incondito luxu decoxisse uideatur . Perijt exactæ ætatis senex , consillis fauces occupantibus , Politiano obiter uehementi metu liberato , quum in Miscellaneam eius centuriam ; cohortes , & alas , quæ impetu obruerent, emissurus esse diceretur . Ludouicus Princeps optime de literis merito , Iustum funeris honorem persoluit, clatusq; est ad Ædem Eustorgia nam : & hoc Carmen sepulchro Lancinus inscripsit .

## LANCINI CVRTII.

*VIXI Aliis inter spinas , Mundiq; procellas ,  
Nunc hospes Cœli Merula , Viuo mihi .*

## POLITIANVS.

POLITIANVS à prima statim Iuuenta admirabilis ingenii nomen adeptus est ; quum nouo , illustriq; poemate Iuliani Medicis Equestres Ludos celebrasset , Luca Pulcio nobili poëta , omnium confessione superato , qui Laurentii Fratris ludicrum Equestris pugnae spectaculum , iisdem modis , & numeris decantarat. In  
id enim

id enim è Græcis , atq; Latinis delectos flores populo stupendos contulisse censebatur : Nec multo post Iuliano à Pacciis in templo immaniter interfecto , eius uindictæ coniurationis historiam , Latine , ornatisimèq; perscripsit; Professusq; demum in Gymnasio græcas pariter , latinasq; literas , tantos de se excitauit clamores , fauente Iuuentute , ut Demetrius Calchondyles Vir græcus , præstantiq; doctrina , uti aridus , atq; Ieiunus à discipulis desereretur . Exinde Herodianum Romanè loquentem publicauit , cunctis haud dubiè , crepta laudè , qui id generis munus ante susceperint , quanquàm amulicam translationem , uti nos à Leone Pontifice accepimus , Gregorii Tifernatis fuisse dicerent ; quòd passim , inducto fuco , & falsis neuorum coloribus interlita alieni styli habitum mentiretur . Sed eadem præcellenti studiorum omnium ubertate florentem , post editam Miscellaneorum Centuriam ; publicatq; latina poëmata , Immatura mors oppressit . Erat , distortis sapè moribus , uti facie nequaquàm ingenua , & liberali ab enormi præsertim naso , subluscoq; oculo perabsurda , Ingenio autem astuto , aculcato , occultèq; liuido , quum aliena semper irrideret , nec sua , uel non iniquo iudicio expungi pateretur . Ferunt cum ingenui adolescentis insano amore percitum , facilè in letalem morbum incidisse . Correpta enim Cithara , quum eo incendio , & rapida febre torreretur , supremi furoris carmina decantauit , ita , ut mox delirantem , uox ipsa , & digitorum nerui , & uitalis deniq; spiritus , inuerecunda urgente morte , desererent ; quum maturando Iudicio integræ , statæq; ætatis anni , non sine graui Musarum iniuria , dolorèq; seculi , festinante Fato eriperentur . Vix enim quadragesimumquartum ætatis annum attigerat : Sed eo præpropere uitæ exitu , profectò felix fuit , quòd imminentem conuulsæ Medicæ domus ruinam effugerit . Tumulo autem hoc carmen Crinitus discipulus affixit .

## CRINITI.

*HIC hic Viator paululum gradum siste .  
Vatem potentis spiritus uides clarum :  
Qui mente promptus acri , & arduum spirans ,  
Ac summa quæque , & alta consequi suctus .  
Is ille ego . Angelus Politianus sum .*

G Fouit

*Fouit benigno me sinu flora , & illic  
In fata , cessi , Parthenopæos Reges  
Cum gallica arma irruerent minabunda .  
Tu uale , & hoc sis meriti memor nostri .*

*POLITIANI TVMVLVS  
A' BEMBO COMPOSITVS.*

*DVCERET extincto cum mors Laurente triumphum ,  
Lætâq; pullatis inueheretur equis ;  
Respicit insano ferientem pollice chordas  
Viscera singultu concutiente uirum .  
Mirata est ; tenuitq; iugum : furit ipse ; pioq;  
Laurentem cunctos flagitat ore Deos .  
Miscebat precibus lachrymas , lachrymisq; dolorem :  
Verba ministrabat liberiora dolor .  
Risit ; & antiquæ non immemor illa querelæ ,  
Orphi tartaræ cum patuere uix ,  
Hic etiam infernas tentat rescindere leges ;  
Fertq; suas , dixit ; in mea iura manus .  
Protinus & flentem percussit dura poetam ;  
Rupit & in medio pectora docta sono .  
Hæc sic tu raptus : sic te mala fata tulerunt ,  
Arbiter Ausoniæ Politianæ Lyræ .*

*INCERTI.*

*POLITIANVS in hoc Tumulo iacet Angelus , unum  
Qui caput , & linguas , res noua , tres habuit .*

*MIRANDVLA.*

*IOANNES PICVS MIRANDVLA Merito' co-  
gnomine Phœnix appellatus est , quod in eum , Dii superi supra  
familia*

familiæ claritatem , omnis corporis, ac animi uel rarissima dona contulerint ; Mira enim altitudine subtilis ingenii , decora facie, letisimisque moribus , & incomparabili , quum disputaret , aut scriberet , facundia , omnes eius sæculi sapientes in admirationem sui facile conuertit : Grauisimo autem opere , nec dum absoluto , tanta eruditione , atque uehementia Astrologos totius diuinationis uanitate confutata persecutus est, ut subtilium disciplinarum professores à scribendo deterruisse uideatur . In Eptaplo autem, dum sacram literarum mysteria , diuino ore nobis recludit, & In Apologético grauisimis disciplinarum omnium rationibus proposita ad disputandum , ingenii sui decreta defendit , se ipsum doctrinæ, atque memoriæ felicitate supergressus esse uidetur . Excesit è uita dignus Cælo , trium & triginta annorum Iuuenis, eo die tam celebri, quam postea Italiæ maxime funesto, quo Carolus Galliæ Rex Octauus Florentiam est ingressus ; scilicet , ut tanti funeris luctus , quum sub signis ornatus in pompam externæ gentis exercitus urbem intraret , uel eo inusitato spectaculo , & in tanta receptæ libertatis lætitia minime uinceretur .

### TIBALDEI.

*IOANNES Iacet hic Mirandula , cætera norunt ,  
Et Tagus , & Ganges , forsân & Antipodes .*

### POMPONIVS LÆTVS.

**IULIVM POMPONIVM LÆTVM** Sanseuerina Illustri familia in Picentinis natum ferunt , adque insigni cura educatum , ut ex adultera Matre alioqui pudica , illudente ei Salernitano Principe genitus putaretur . Sed uigente demum bello , & labante fortuna principalis domus, animum ad literarum studia conuertit , tanta antiqui moris æmulatione , & naturæ temperantia optimas literas complexus , ut Romæ Inter præclara eius sæcula ingenia conspicuus monstraretur ; Nam Vallæ præceptoris æquata eruditionis opinione , locum exceperat ; Sed eum mox Pauli Secundi Iniuria percelebrem fecit , quum literatos quosdam , & in his Platinam, atque Callimachum , tanquam Impios, atque maleficos tormentis excruciasset ; Nam è Venetiis Romam pertractus ad dicendam

G ii causam,



causam , perpetua uitæ Innocentia tutus nihil terreri potuit ; ut In-  
 tegro , constantiq; animo indigna fateretur : Veterum enim inge-  
 niorum illustria nomina sibi ipsis indiderant , quum in cœtu soda-  
 lium Laureati Musas colerent ; Ea nominum nouitate , Pontifex  
 elegantia literarum imperitus , suspiciosusq; uehementer offende-  
 batur , quasi id esset occulta coniuratorum tessera ad obeundum in-  
 signe facinus . Xysto demum , Innocentioq; fauentibus in gymna-  
 sio docuit incredibili nominis authoritate , auditorumq; frequen-  
 tia ; adeo ut ante auroram profitentem , Romana Iuuentus à media  
 statim nocte præoccupandis subselliis præueniret . Descendebat è  
 Quirinali sæpè solus , Diogenis more præferens Laternam , quum  
 opes contemneret , & Iucunda frugalitate uenerabilis haberetur .  
 Simplici nanq; , & penè subagresti conuictu usq; adeo gaudebat ,  
 ut quum frequenti semper limine coleretur , Improvisi nobiles con-  
 uiuæ , non sufficiente eius puero per iocum admoniti coquinae ma-  
 nus admouerent . Vnde perurbani sales , multaq; facetiæ fereren-  
 tur . Scripsit grammaticæ Compendium , adultis pueris utile , &  
 grauiore demum stylo seriatim Romanos Cæsares , gratisimoq;  
 Libello in antiquæ Urbis ruinis , uera loca , atq; uocabula demon-  
 strauit : Sed in suggestu summam laudem promeruit ; quod eo ma-  
 gis mirum uidetur , quum in familiari sermone hesitant lingua  
 balbutire esset solitus , nec orantem demum , aut clara uoce lecti-  
 tantem , ulla omnino oris titubantia deformaret . Septuagenarius  
 excessit è uita , quum gelidissimo Vini potu uentriculi calorem op-  
 pressisset ; Elatus est auditorum Insignium piis humeris , honestan-  
 te funus . Familia purpurata Alexandri Pontificis , & Laudante  
 Marso Oratore : quum uariis autem Elegiis tumulus ornaretur ,  
 Epigramma Pontani , consensu publico , locum obtinuit ,

## PONTANI.

POMPONI Tibi pro tumulo sit Laureæ Sylua ,

Ossa , Maris rores , Myrteaq; umbra tegant :

Tæq; tegant , artusq; tuos uiolæq; , rosæq;

Ver habeat , Zephyros spiret , & ipse cinis .

Stillet & ipse cinis , quas & Parnasus , & Antra

Thespia , & ipsa suas Ascre ministrat aquas .

CAL.

## CALLIMACHVS.

CALLIMACHVS Antiquo nomine PHILIPPVS Geminiano Ethrurix Oppido editus Ingeniũ lectissimis literis Romæ excoluit; nec multo post Indignam in fonte animo subiit calamitatem, quum Paulus Secundus Illustres academix sodales odio temerè concepto, tanquàm malignè conspirantes persequeretur; Ita, ut ipse ante alios desumpti graci nominis reus tormentis, & carcere penas daret; Ab ea autem Iniuria indignabundus in ultimas terras profectus Casimiro Sarmatix Regi Ingenii operam obtulit. Is uirtute, fortunaq; Clarissimus; Sed Pontificii nominis hostis, quatuor Regum pater fuit; In honore tum erant optimæ literæ apud externos Reges uno præceteris Matthia Coruino studiis ac artibus eximiis liberaliter fauente. Itaq; Callimachus Alberto filio præceptor datur; à quo demum, post Casimiri patris interitum ad summum familiaritatis, atq; potentix locum euectus est, tanta Polonorum consternatione, odioq; ut eum tanquàm Impium, & Moldauicæ cladis authorem, Tyrannidemq; impotenti Imperio exercendam Regi suaderet aula extruderint. Maligno enim Iudicio nobilitatem quod Imperatæ pecuniæ, & suscepto bello auersa esset, sauo hosti obiectandam esse censuerat, ut nemo demum superesset, qui libertatis per manum traditæ Iura tueretur. Sed Callimachus, uel Alberto absentis desiderium uix ferente, quod Inuidiam minimè sustineret, semi exul in uilla Sarmatica apud ueterem amicum occultatus Fato cecidit, Ita, ut morte calata sine funere arefactus tepore Clybani in armario seruaretur. Id rescuit Albertus, & pietatis ergo, Cracouiæ in æde Trinitatis arco sepulchro honestandum curauit. Præcipuum eius ingenii monumentum, extat historia exactissimè conscripta de Rebus gestis Ladislai Sarmatix, atq; Pannoniæ Regis, qui ad Euxinum Varnensi acie, ab Amurathe superatus interiit; adeo enim eleganter eius grauisissimi muneris leges impleuisse existimatur; ut omnes, qui à Cornelio Tacito, per tot secula id scribendi genus attigerint, meo iudicio superarit.

## IANI VITALIS.

*ÆNEA, Callimachi, quæ circumplectitur ossa,  
Depositi meritis nobilis urna sui,*

G iii Ænea

*Aenea sit quamuis , multo est pretiosior auro ,  
 Ethrusci felix hospita Callimachi ;  
 Ipsi etiam , Italia ; tantum decus , auspice , adepti ,  
 Ad sacra conueniunt busta Boristhenides :  
 Exultantq; mero , & choreis , referuntq; uicissim ,  
 Dedicat hæc Crispo Sarmatis ora suo .*

## HIERONYMVS SAVONAROLA.

MEDICEIS GALLORVM Aduentu Florentia pul-  
 sis HIERONYMVS SAVONAROLA Ferraricnsis  
 ex ordine Diui Dominici cucullatus usq; adeo austera uitæ discipli-  
 na , ac erudito subtiliq; ingenio , & in sacris concionibus , admira-  
 bili facundia ualuit , ut populum instaurandis religionibus dedi-  
 tum , & tum nouo receptæ libertatis gaudio gestientem , quo uellet  
 facile Impelleret , priuatisq; familiarum , ac ipsis quoq; summi Ma-  
 gistratus consiliis misceretur . Futura enim prædicere , ueluti diuino  
 adflatum numine credebant , quando nihil ualidius esset ad persua-  
 dendum specie ipsa pietatis , In qua etiam tuendæ libertatis studium  
 emineret ; Sed nonnulli optimates , astutis ingenijs adeundo , con-  
 sulendoq; eius authoritatem in immensum adaugebant , tanta qui-  
 dem insania , quo illam sibi astruerent , ut ad Carolum Regem , Pi-  
 sas Legatus mitteretur , & integros quattuor annos Florentinorum  
 animis , ac opibus imperaret . Verum in eo christianis herclè mo-  
 ribus , ac optimis literis ornatissimo , Ingenium ab occulta ambitio-  
 ne , & nimio , exitiali q; proferendæ ueritatis studio inflammatum ,  
 adeo æstuanter efferbuit , ut capitale iudicium de suspectis nobilis-  
 simis septem ciuibus sæua sententia præcipitarit , moresq; Alexan-  
 dri Summi Pontificis Vesana declamandi libertate , quum acerbè  
 sugillaret , sacrosanctam potestatem in dubium deuocarit ; quamob-  
 rem reus Maiestatis , deposcente Pontifice , concedenteq; Senatu ,  
 & concrematis quidem templi foribus , nec incruenta irruptione  
 comprehenditur ; Nam inimicæ factionis Ciues , damnatorumq; pro-  
 pinqui arma ceperant : In eoq; tumultu trucidatus est Franciscus  
 Valorius partium Princeps , qui maturandæ Reorum necis author  
 extiterat , Cæterum de Sauonarola tormentis excruciato , confessoq;  
 Latronum more , in medio foro , miserabile supplicium est desuma-  
 ptum , ita , ut strangulati corpus , extemplo cremaretur , diuerso qui-  
 dem

Iam animorum habitu , quum alii ardentes odio, Iure execratum, atq; punitum succlamarent , alii uerò lugentes , tanquàm indigna morte percempti è rogo cineres religiosè colligerent. Eius autem Ingenii operum, præcipua cum laude legitur gloriosus Crucis Triumphus aduersus eius sæculi sapientes , garrulosq; Sophistas , Latine perscriptus . Vtramq; autem Pii, atq; impii nominis famam cumulatè promeruit; Si duobus contrariis cœnotaphiis credendum esse censeremus . Sed alterum quod Liuidus effudit , honestus supprimet pudor , ne supra miserabilis supplicii dolorem , insontis fortasse uiri manes hac etiã æterni carminis inurente nota crucientur.

### MARCI ANTONII FLAMINII.

*DV M Fera flamma tuos Hieronyme pascitur artus ,  
Religio sanctus dilaniata comas  
Fleuit ; & o dixit , crudeles parcite flammæ ,  
Parcite , sunt isto viscera nostra rogo.*

### MARSILIVS FICINVS.

Q V V M Clarissimi Græcorum Theodorus , Argyropylos, & Trapezuntius , ueluti ex condito inter se distributis operibus in traducendo Aristotele ad non obscuram æmulationem uersarentur. Vnus Latinorum MARSILIVS FICINVS Diuinæ Philosophiæ amore Incensus , transferendi Platonis negotium suscepit , atq; perfecit; usq; adeo festinata felicitis ingenii fecunditate, ut pleriq; in pusillo eius corpore, quod uix semihominem æquaret, tantam uim inusitati spiritus, & tantas utriusq; linguæ facultates uigere mirarentur : Nam eundem quoq; Insatiabilis studii tenorem secutus Plotinum , Iamblichum , Syncium , & Psellum Platonice Sæctæ nobiles authores Latinos effecerat . Hortante quidem Cosmo Medice , & mox tradita per manus summæ uirtutis hereditate , Petro filio , & Laurentio nepote suffragantibus , Ex ea siquidẽ ornatisimæ domus liberali disciplina Ficinus honestis adibus, per amœna Villa , sacerdotio , annuisq; stipendiis , atq; muneribus sese adauctum , & cumulatè perornatum sensit: Contemnebat enim maiores opes Vir minimè ambitiosus , & nitidæ , lucundæq; uitæ ad bonam frugem percupidus , quum unam studiorum laudem specta-

ret,

ret, nec ullis unquam contentionibus misceretur, quod rerum omnium, præterquam uini subdulcis uoluptates abdicasset, nulla quidem animi tristitia, quum esset omnino latissimus, sed exactissima ratione ad tuendam ualitudinem, sicuti deprehendere licet, ex Libris de Triplici Vita editis. Adeo enim morosè sibi ad spem uitæ blandiebatur, ut sæpè eadem die, quum aër incalesceret, aut aliquo spiritu moueretur, capitis tegumenta permutaret. Sed quum sodalium suorum acerba funera luxisset Laurentii, Hermolai, Politiani, Mirandulæ, qui uno anno perierunt, Landiniq; item, & Sauonarolæ in Caregiana ipsius uilla, septuagenario prouectior, febricula interiit, diro quidem omine, quum eodem die, punctoq; temporis, duo clarissima Italiæ lumina Ficinum ipsum, & Paulum Vitellium summæ, Inuictæq; uirtutis Florentinorum Imperatorem aliquantò certiore inimicorum rabie, quam noxa capitali supplicio damnatum uis ipsa fatalis extinxerit; & tum esset in alpibus Ludouicus Rex Gallorum, armatus irrumpens, ut singulas illustres domos, & ad unum ferè omnes Italiæ principatus euerteret.

### INCERTI.

*Mores, ingenium, Musæ, Sophiæq; sepulta est  
Laus hic cum magni corpore Marsilii.*

### INCERTI.

*En hospes hic est Marsilius Sophiæ pater,  
Platonicum qui dogma, culpa temporum  
Situ obrutum, illustrans & Atticum decus  
Seruans Latio dedit: Fores primus sacras  
Diuinæ aperiens mentis actus numine  
Vixit beatus antè Cosmi munere,  
Lauriq; Medicis, nunc reuixit publico.*

### GALEOTTVS MARTIVS.

GALEOTTVM MARTIVM Narnia genuit, robusto ingenio disciplinas omnes complectentem. Is Matthiæ Corui  
no

no Pannoniæ Regi præceptor , Epistolarumq; Magister , & in castris Miles ; & in Palestra multarum palmarum Athleta fortissimus operam præstitit , adeo feliciter , ut omnium horarum amicus , & comes haberetur . Scripsit Librum de homine , uaria eruditione , potiusquàm eloquentia mirabilem, in quem nō multo post inuectus est Georgius Merula grammaticorum exactissimus ; Sed ea uehementia Galcottus se se defendit, uti Apologeticus priore Libro uarietate eruditionis multo uberior censeretur . Scripsit etiam, & malo quidem Infortunio , quædam in sacra , moraliq; Philosophia, nā ex ea lectione , quum omnibus gentibus integrè , & puriter ueluti ex iusta naturæ lege uiuentibus æternos cœlestis auræ fructus paratos diceret , à cucullatis sacerdotibus accusatus , damnatusq; est ; Sed cum periculo celeriter exemit Xystus Pontifex , qui in minori fortuna eius fuerat Auditor , non sine graui tamen contumelia ; Nam in Foro Veneto ad geminas columnas ad Tribunal perductus est , ut impetrata uenia se falsa scripsisse fateretur . Sed accidit , ut id iudicium exortus in turba risus euerteret falso , ac repentino Galcotti dictorio excitatus : Nam quum fortè non ignobilis Venetus , è turba proximus strigosa proceritate, & impudicæ uxoris probro insignis traductum ludibrio prapinguem porcum appellasset : extemplo Galcottus, renidentiꝝ ore pinguis , ait , porcus , quàm macer hircus esse malo . Erat enim Galcottus usq; adeo tumenti abdomine , ut quum sub uasto obesi corporis pondere , uel pręgrandia iumenta fatiscerent , rheda curuli ucheretur: ac demum senex ad Montem Annianum circa Atcste , aruina suffocatus interiret .

### IANIUITALIS.

*HANC galeam hunc posuit Galcottus Martius ensẽ  
Mars tibi , & hanc citharam docto cum pectine Musis ,  
Militia functus , decantataq; posui .*

### ELISIVS CALENTIVS.

*HVIVS ex Amphraeta oppido semiappuli Musa, regnantibus Aragoniis Neapoli insignis fuit, uel illustrium Poëtarum amulatione proposita . Tum enim Pontanus , Altilius . Graulina , &  
H Actius,*

Actius , immortalī ingenio præditi uates , diuina carmina factitabant . Sed Calentio amatoria uanitatē incendiis iuueniliter uſulato , æquo torrentior uena uti ſubitis impulſa caſibus , nequaquam liquidiffimè profluebat ; in uarios alioqui carminum modos repentina largitate mirabilis . Adamauit cum unicè à puero contubernalem Pontanus , ſuſpexit Altilius , Actius uero Syncerus meritis laudibus exornauit . Extant eius Elægiæ teneris affectibus peramœnæ , & Ranarum cum Muribus prælia homerico ſpiritu latinè decantata . Dicauit eas uigilias Angelo Colotio ab eruditi ingenii candore uiro lectiſſimo , quem hodie uiuido ingenio ſenem , & ſacrata inſula clarum ſalubris eloquentiæ præcepta in hortis ingenuè tradentem , Romana iuuentus colit . Moriens Calentius Lucium filium reliquit ad quem legitur epiſtola Pontani , ad paternos mores , ſtudiaq; eadem , adoleſcentem accendentis . Porro Calentius ipſe quum amore perditus , obliuſq; rei , elegis inanibus diu hæſiſſet , Fortunam ſibi ad parandas opes deſuiſſe ſerò ſenſit , ut hoc ſuo carmine fatetur .

*Talia poſt cineres de me toto orbe legantur ,  
Scriptaſq; ſint tumulo carmina digna meo .  
Ingenium natura dedit , Fortuna Poëtæ  
Deſuit , atque inopem uiuere fecit amor .*

*Moriens autem hoc carmen inſcribendum Lucio filio mandauit .*

#### IP S I V S .

*Si tibi ſit felix , & fauſtum iter ,  
Qui ſim diſcito paucis ſodes  
Hic ego uates iaceo Calentius  
Somno ſapiens graui ,  
Donec me Tubicen ætheris excitet  
Vocans ad pias ſuperum ſedes .  
Legiſtin ? amabo dic abiens uale .*

PANDVLPHVS COLLENCIVS .

PANDVLPHVS COLLENCIVS Piſaurenſis ingenio peracri , & ſtudiorum , rerumq; omnium erudita notitia perornato,



perornato , Nobilissimarum Italiae Urbium Præturas gessit ; Functusq; grauisissimis Legationum muneribus Illustri facundia, & gestu pernobilis latini Oratoris nomen impleuit : Cæterum tanto ingenio temperantia deorat , ut nulla in arte summum laudis fastigium teneret : Infaciabili etenim cupiditate semper uagus in omnes disciplinas ferebatur , cum esset ex professo iureconsultus : ut facile reliquarum facultatum Principes disputatione , scriptisq; lacefferet : quod nihil , nisi ualdè excellens probare esset solitus, & quæq; mediocria fastidiret . Indignatione siquidem superba , & ostentatione præcipiti Plinium aduersus calumniatorem Leonicenum disertissimè defendit. Scripsit & Libellum de Vipera: ac Item Facetissimum capitis & pilei Dialogum ; Postremò etiam Neapolitanorum Regum res gestas Ethrusce quidem sermone in gratiam Herculis Atæstini , qui Latinas minime didicerat . Multa autem lectu iucunda , eleganter inchoata absoluerè nequiuit, quum apud Ioannem Sfortiam Pisaurensem Tyrannum , quem deprehensis literis offenderat , supra ueterum officiorum memoriam, dissimulata recentis odii libido ualuisset : Vir enim incautè Tyranno fidens , ea necce indignus , in carcere strangulatus interiit .

## FERDINANDI BALAMII SICVLII.

*Ignoscit Cōlenuccio Tyrannus*

*Mox illum necat : ò scelus nefandum*

*Vincens scuitiam Neromanam .*

## IOVIANVS PONTANVS.

IOVIANVS PONTANVS Vir ad omne genus eloquentiæ natus Cereto Vmbriæ oppido metu profugiens , quòd ibi pater à factiosis ciuibus esset interfectus, Neapolim planè iuuenis, & inops contendit: Ibi enim liberali Alphonsi Regis studio, condita celebri bibliotheca literas in honore esse didicerat . Nec defuit honestus uirtuti locus Antonio Panhormita , cruditi ingenii uim admirante , is tum erat excellentis doctrinæ nomine Regii Scriniæ Magister . Aspirauit demum his cœptis Fortuna , usq; adeo benignè ; ut Ferdinandi Regis castra secutus , in demortui Panhormitæ locum sufficeretur . Vnde illi mox honestæ opes sed obsequii

H ii fide,

fide , ac merito , uti scripsit , inferiores nisi ad opimi muneris pro-  
uentum Ariadnae uxoris dotalis hereditas accessisset . Hac parta  
dignitate , liberiore ueluti studio , Musas per omnes numeros exer-  
cuit ; tanta habilis ingenii fecunditate , ut neq; poetis , neq; Orato-  
ribus , qui tum maxime florerent , dignum secundae famae locum  
relinqueret . Erat austero supercilio, & toto oris habitu subagrestis;  
sed stylo , & sermone perurbanus, quum sapissime uel in seriis mul-  
to cum sale iocaretur. Habitus tamen est in omni censura quanquam  
absolute pius supra aequum mordax, uel eo quod non homines mo-  
do sibi notos ; sed gentium , & urbium quoq; omnium mores acer-  
ba scribendi libertate perstringeret , sicuti ex uariis dialogis , Cha-  
ronte q; praesertim intemperanter ostendit . Sed in pangendo carmi-  
ne , quam texenda prosa cultior , atq; sublimior multis uidetur, qua-  
doquidem in historia non semper integra grauisimi incessus digni-  
tate ab eius muneris disciplina deflexisse existimari possit , quum po-  
stea ab Hesperidum hortis Citriorum suauissimis odores spirans,  
atq; inde diuino carmine in altum euectus, ad illa ipsa excello ore de-  
cantata sydera propius accesserit . Vixit annos septuaginta septem.  
Fato autem functus eodem mense , quo Alexander Sextus Pontis-  
fex uita excesserat . Tumulatus est in Sacello ab se sepulchri cau-  
sa extructo e Regione Daualorum domus, ubi Elogium ab se com-  
positum in marmorea tabula spectatur .

*Vivis domum hanc mihi paravi  
In qua quiescerem mortuus .  
Noli obsecro iniuriam mortuo facere ,  
Vivens quam fecerim nemini .  
Sum etenim Iouianus Pontanus ,  
Quem amauerunt bonae Musae ,  
Suspexerunt Viri probi ,  
Honestauerunt Reges Domini .  
Scis iam qui sim , uel qui potius fuerim .  
Ego uero te , hospes , in tenebris noscere nequeo ;  
Sed te ipsum ut noscas rogo , Vale .*

## MYRTI.

*QUI uos sydera clara , citriosq;*

Flores

*Flores hesperidum hortulis uirentes  
 Versibus cecinit laboriosis ,  
 Pontano date sydera alma lymphas  
 Vos horti date ferta , quæ sepulchrum  
 Ornent perpetuo cadente flore ,  
 Spargant perpetuo cadente rore .*

MARCI ANTONII FLAMMINII.

*Quæ cecinit claro fulgentia lumina cœlo  
 Pontani doctis uersibus Vrania ,  
 Phœbe tuis magnam lucem addidit ignibus , utq;  
 Nunc melius nitcant sydera cuncta , facit .*

MARCVS ANTONIVS COCCIVS  
 SABELLICVS.

MARCVS ANTONIVS COCCIVS Sabellius ad Vicum Varronis in uia Valeria , iuxta Anienem Fabro Ferrario patre genitus ingentem , & propè ferream uim ingenii ad perdiscendas literas attulit, tanto prouentu , ut planè imberbis apud Tyburtes ludum aperiret . Indè uero , collecta mercede, & togula cœrulea excultus nobilioris doctrinæ cupiditate in Urbem ad Pomponium se contulit , à quo uberrimi ingenii merito in collegium sodalium solenni cerimonia cooptatus, Sabellici cognomen tulit; Mutabat enim nomen, qui in Quirinali sacra lauro coronabatur. In ea schola , quod censura literarum acerrimis iudicum ingeniis ageretur, multum sibi de incondita, & subagresti Latinæ Orationis exuberantia detraxisse fertur . Nec multo post, Roma excedens Utino in oppido non procul ab Aquileia , nobiles Regionis adolescentes docuit : Parta demum insigni nominis fama , quum Regionem uetus statis autoritate percelebrem lepidè descripsisset ; decantato etiam uersibus carnico incendio, & deplorata clade Sonciaca ; idcirco cum Vicentini celebritate nominis exciti , ambitiosè, duplicato stipendio conduxerunt; nec ibi diu mansit , euocante Senatu Veneto, ea conditione , ut ciuitatis res gestas à fine Iustiniani conscriberet, & trecentis aureis in gymnasio profiteretur, in hoc munere perutilem iuuentuti operam præstitit , quum in altero adulatione parum sobria

H iii rerum

rerum ueritatem adumbrasse uideretur: Sed in Enneadibus omnium temporum, ab orbe condito memoriam complexus, uti necesse fuit, ingenti operis instituto festinanter indulgenti, res Illustres præclara cognitione dignissimas perobscura breuitate adeo uehementer offuscavit, ut excitatam uberrimo titulo legentium cupiditatem passim eluserit, quum omnia in aceruum angustissime coarctata; nequaquam certa effigie; sed exiguis tantum punctis, & lineis annotata designentur. Id susceptum munus nauiter secutus scribendo ad septuagesimum ferè annum peruenit, gallica tunc, ex uaga Venere quaesita non obscure consumptus. De sepulchro autem, Viuens, & incolumis, tempestiue sibi cauit; scilicet degeneri filio diffusus, quem ex concubina susceperat, compositumque ab se carmen lapidi insculpsit, insigne quidem, & meritum Elogium, sed certè honestius, si alieni ingenii pietas inscripsisset.

*Quem non res hominum, non omnis ceperat ætas,  
Scribentem capit hæc Coccion urna breuis.*

## LAURENTIVS LAURENTIANVS.

LAURENTIVS LAURENTIANVS Aliquandiu Florentiæ, & Pisis Philosophiam, Medicinamque Professus, ingenium elegantibus literis deditum ad traducendum Hippocratem conuertit, quod Theodorus Gaza alioqui diligentissimus interpres circumscripti Authoris Laconicis minime serio respondere uideretur. Extant & eius cruditiæ lucubrationes in Galenum, Medicinæ Principis arcana perobscurè interpretantem. Sed in commentationum cursu planè miser atrabile correptus est. Empturus enim domum ea pactione tertiam prætii partem numerarat, ut, nisi intra sextum mensem totius summæ pecuniam repræsentaret, Arrabonis pecunia lucro uenditoris amitteretur. Aduentante uero die, quum multa ei aduersa spes fecerant, diffusus amicorum liberalitati, & iacturæ dolore perculsus, animum despondit, In profundumque puteum se coniecit. Sub id tempus quo Petrus Soderinus erecto populari dominatu, tanquam Dictator perpetuus, summa cum moderatione, Florentinæ Reipublicæ præsidebat.

MYR:

## MYRTEI.

*SP E destitutus commodum sibi domum  
 Parandi ; & angustè magis , quàm patria  
 Florentia natum ædibus mirabili  
 Decebat , infelicem agens uitam miser  
 Laurentianus se puteo in præceps dedit  
 Angustiori : ne sepulchrum largius  
 Esset cadenti , quàm fuerat uiuo domus :  
 Quæ nunc parata literis illi patet.  
 Talis polo , qualem nequeat orbis dare ,*

## ANTIOCHVS TIBERTVS.

ANTIOCHVS TIBERTVS Casenàs ingenuus  
 puer , à milite in ulteriorem galliam perductus , amore literarum  
 Lutetiæ consedit , non abnuente hero , ut docilis ingenii adolescens  
 optimis literis imbueretur ; Post aliquot autem annos inde rediens  
 in Italiam , profiteri cœpit diuinatorias artes Magiæ proximas. Ele-  
 ganti enim Libro de Chiromantia edito tantum nouæ famæ pro-  
 meruit , ut insigni concursu , à curiosis , & anxiis de toto uitæ for-  
 tunæq; euentu consuleretur ; nam ad corroborandam eius discipli-  
 næ authoritatem , opportuna bonarum artium præsidia contulerat,  
 usq; adeo solerter , atq; feliciter , ut Viri doctissimi planè conscii de  
 uanitate incertæ artis , id asseuerarent , quod uulgi testimonio cre-  
 deretur . Primus enim post Petrum Aponensem Magiæ peritia ce-  
 lebrem , duobus sæculis iacentem , & à cucullatis explosam artem  
 excitarat , tribus etiam Libris de Physiognomia , & Pyromantia cō-  
 positis , ea tamen opinione ut nequaquam ex arcano artis auidissi-  
 mo cuiq; futura prænoscenti rerum abdicarum euentus prædiceret,  
 sed ex miræ prudentiæ coniectura , tanquàm illustri ratione demon-  
 strare putaretur . Prædixerat Guidoni Balneo , cui in togata Gal-  
 lia propter inusitatum militaris animi uigorem , guerræ cognomen-  
 tum fuit , atq; item Pandulpho Malatestæ Ariminensium Tyran-  
 no , ex uolæ manus lincis , futurum esse , ut hic pelleretur patria,  
 & dominatu ; exulq; in extrema egestatis miseria periret ; Ille uero  
 ab insigni amico , perfidiæ suspicione necaretur . Memorabili herclè  
 non omnino incertæ artis argumento , nisi Antiochus imminentem  
 uitæ

uitæ suæ exitum ignorasset , de quo tamen , sed fatali deceptus hora minime dubitarat . Interfecit enim Pandulphus suometu , uel Bentiuoli soceri iussu nimium saeuus à suspecta uirtute uirum fortem quamuis amicum , & partium ducem , ac ipsum Tibertum custodiæ tradidit , ut ex cuentu , supplicio seruaretur : sed quum occultam , exitio fata uiam aperirent captiuus , & compedibus nexus custodis arcis filiam mollis animi puellam ita orando , & blandiendo ad misericordiam , amoremq; pellexit , ut ab ea restem impetraret , & in fossam dmitteretur ; Sed compedum sonitu prodita fuga miser retractus , & pari sorte cum puella , securi percussus interiit : Nec in Pandulpho prædicentis fidem eadem fata fecellerunt , quando omnium egentissimus in hospitali diuersorio desertus à liberis , sauitia infamis , ac egestate , senex miser perierit .

### FLORIDI SABINI.

*Exilium domino quod uaticinare potenti ,  
Dira morte insons perderis Antioche .  
O Miseras artis , quæ non docuere salutis ,  
Cum tibi monstrarint hæ quoque mortis iter .*

### PHILIPPVS BEROALDVS.

BEROALDVM Inter nobiles grammaticæ professores summi nominis celebritate , & incredibili auditorum frequentia Bononiæ docentem externa præsertim iuuentus effuse mirabatur , quum ex multa lectione , feliciq; memoria , abstrusæ doctrinæ opes uenusto oris gestu proferret , & interpretando intacta ab aliis auidè sectaretur . Cupiebat enim obscuris authoribus lucem dare , & rancidæ uetustatis uocabula iam planè repudiata à sanis scriptoribus in usum Romanæ Linguae reuocare , uti apparuit ex commentariis in Asinum Aureum Apulei : cuius familiaritate , horridum eloquentiæ genus , peruersa quadam libidine induerat , ita ut honestæ aures illud asperum impuræ nouitatis mirari primo , & mox admittere cogerentur : Sed ingenio maxime liberali , & perhumano , hæc obsoleta , & ridenda doctioribus opportunè condiebat , ea fama , ut qui omnia didicisse , & sedulo docuisse uideri potuit , in delectu pinguis , & sapinus euaserit . Obiit non planè senex , paulopost id tempus,

pus , quo Bononia terremotu concussa est ; & Tyranni Bentiuoli domum mirabili subsecuta calamitatis præfagio , dira fulmina percussissent . Exceptit doctrinæ hæreditatem , eiusdem nominis fratris filius . Is nitidiore ingenio , quum ad poëticam se contulisset , dignas æternitate Odas conscripsit , Indeque à Leone Pontifice in intimam familiaritatem est receptus , Collata ei Vaticanæ Bibliothecæ præfectura ; sed paratis honoribus , immatura mors celeriter inuadit .

## MYRTI.

*Sæpè nouos linguæ mirata Bononia flores  
Non alios legit , quàm Beroalde tuos .  
Te nunc amisso languent cum floribus horti ,  
Et flet delitias ad Tumulum illa suas .*

## HERCVLES STROZZA.

HERCVLES STROZZA Ferrariensis Tito poëta genitus patrem longo interuallo carminum nobilitate superauit. Illustri enim quedam lepore generosi , & solertis ingenii in aula Principis adeo clarus eminebat , ut præter grauioris consilii munera , in quibus egregiè prudens , & paratus erat , Theatralium etiam ludorum , ac omnis elegantiae arbiter censeretur ; nec quicquam de cultu corporis , sumptuosisque munditiis , & splendore uitæ Atestinis iuuenibus concederet . Sed cum , ac ciuilibus Magnificentiae laude florentem , amatoriisque uanitatibus intemperanter deditum , ille impotens Deorum , ac hominum dominator , ut Fabulae ferunt , Cupido saeuus in præcipitem locum arripuit ; Concepti si quidem amoris insaniam , adeo perditis sensibus alebat , ut multa , ac erudita largitione , tenerrimisque carminibus summi nominis matronam colere aliquantò procacius quàm liceret minimè uereretur , qua improbitate , si non molestus palàm , grauis tamen quibusdam in arcano esse cœperat , quum tot illecebrae una illa morum eleganti libertate malè regerentur , ob idque ab odiosa obrectatione timeri inciperet , quanquàm luxato olim poplite claudus , nec alioqui planè formosus

I sus



sus esset, aut iuuenis, præualida scilicet apud Zelotypos suspitione, quum ille inter iocos cum fœminis ad eleuandam cruris deformitatem, lepido exemplo diceret, non insulsam esse Venerem, quæ Vulcanum probè Virum, quanquàm loripedem libenter admitteret. Sed demum Taurellam illustrem forma, & natalibus uiduam, usq; adeo, diris auspiciis adamauit, ut quum Riualem haberet impotentem Tyrannum cum ea fatales nuptias faceret, ut pudore coniugii repulsus Riualis arceretur; Sed id non tulit Vir atrox, & superbus breuiq; Hercules, dum à Cœnadamum noctu mula reueheretur interfectus est, neq; cædis quisquam authorem, silente Pratore nominauit.

### B E M B I.

*Te ripa natum Eridani Permessus alebat;  
 Fecerat & uatem Marsq; Venusq; suum.  
 Inicere manus iuueni, & fatalia duris  
 Stamina pollicibus persequere Deæ.  
 Vxor honorata manes dum conderet urna;  
 Talia cum multis uerba dedit lachrymis;  
 Non potui tecum dulcem consumere uitam:  
 At iam adero amplexans te cinerem ipsa cinis.*

### T I B A L D E I.

*HERCVLIS hic Strozze tumulus quem condidit uxor  
 Taurellæ mœrens Barbara gentis bonos  
 Plus dederit quamuis, non hæc Mausole meretur  
 Plus tua fortuna; hæc non pietate minor.*

### B A R T H O L O M E V S C O C L E S.

**B A R T H O L O M E V S C O C L E S** humili genere Bononiæ natus, ingenio, nec mediocribus quidem literis imbutus, sed à cœlesti quodam munere diuino, ac admirabili uaticinandi artes curiosè,

curiosè , atq; feliciter excepit erectas nuper, ac illustratas ab Antiocho : se enim Metoposcopum , & Chiromantem profitebatur magno herclè Astrologorum pudore , qui laboriosis genituræ supputationibus sæpissime fallerentur . Publicarat enim ingenti famæ codicem cum effigie linearum, characteres, & notas artis continentem, ut & hac quoq; liberalitate tanquàm promulgato totius doctrinæ mysterio , ignaras uitæ euentus curiosorum mentes circunduceret , ualido herclè accedente patrocinio Achillini summi Philosophi, qui luculento prohemio aduersus artis calumniatores , Coclitis scripta, tanquàm insigni galca muniuerat , usq; adeo studiosè , ac appositè, ut intertextis passim ex physica ratione quibusdam neruis , probè constituta , uallataq; , uel inanis facultas una iam nec ignobilis liberalium artium , acclamatione publica censeretur ; & eo quidem clariore authoris existimatione , quod ipsius Antiochi , & Corui Mirandulæ placita grauibus argumentis , tanquàm incerta conuellerentur , Ita pronis ad credendum auribus, ut multi stabilis alioqui prudentiæ , ab hoc adumbratæ rationis præstigio circumducti , penderent ab ore Coclitis, & de priuatis rebus statuerent, quandoquidem quotidianis prædictionibus , futura tanquàm præsentia sentirentur. Extat de his præclaræ , ac admirabilis fidei catalogus ipsius Coclitis manu perscriptus, de iis , quibus uaria uiolentæ mortis pericula denunciauit , exactissimo post eius interitum fortunæ obsequentis euentu comprobatus. Quo fit , ut me quoq; inueteratæ exercitationis in hac luce Romana non facile credulum senem , in sententiam adducat ipse exactæ ætatis, & integri iudicii Lucas Gauricus, quum ingenuè fateatur se à Coclite seuerè , amiceq; admonitum , ut uiolenti cruciatus causas effugeret , quum id ipse, sui natalis, negligentia patris , ignarus, ex syderum scientia anteuertisse nequiuisset , à Ioanne enim Bentiuolo arreptus, & ex præalta troclea suspensio fuisse quinquies quassatus , ideo pœnas dederat , quod excessurum patria , & dominatu in eius anni prognostico pronunciaisset. Sed aliquantò acerbior non irritæ diuinationis pœnam Cocles promeruit ; quum inuitus , & plane coactus Hermeti Tyranni filio, dixerit Futurum esse , ut exul in acie caderetur . Non tulit sanguinari Hermes fatali metu percussus , uel prouocatam oris libertatem , iussitq; Copono , ut Cocles tanquàm futuris inferiis suis expiando dolori uictima , mactaretur . Præuiderat necis discrimen Cocles : ideoq; secreta galca caput munierat , Ingenti gladio, quem peritissime ambabus manibus regebat , semper armatus sed fatales

I ii insidias

insidias uitare non potuit , quum à personato baiuli habitu Copo-  
no , dum seræ ostii , calculo iniecto præpeditæ clauem infereret , ad-  
acta in occipitium securi sterneretur , non aliam quoq; patrati faci-  
noris causam afferente Copono , quàm quod ipsi Cocles , breui , &  
scelerate homicidam futurum edixisset .

GVIDONIS POSTHUMI. COPO-  
NVS LOQVITVR.

*QV*IS melior Vates ? Quis Coclite uerior augur ?  
Falsa canit , atque hæc cogit habere fidem .  
Grande mihi nuper scelus , ac graue crimen inusfit ,  
Quale uel ipsius pectus habere neges .  
Puriter exegi tamen , ac sine crimine uitam  
Hactenus , ille autem dicere uera solet .  
Quid nam hoc Phœbe igitur ? Certè illum haud multa fefellit  
Linea , quam heu nostras damnat habere , manus :  
Nanque ubi ob hoc nostra cecidit malus ille securi  
Cæpi ego , ne falsum diceret , esse nocens .

IOANNES COTTA.

IOANNES COTTA apud Alieniacum pontem, id est  
oppidum supra Athesim , humili genere ortus , præaltum in literis  
ingenium ostendit , in agresti enim ore , generosi spiritus indoles ,  
ita latitabat , ut in sermone , scriptoq; mira felicitas emineret; hauserat enim pertinaci studio , euolutis utriusq; linguæ optimis authori-  
bus , tantas eruditionis opes , ut à stupenda memoria clarus haberetur , & antiquæ dignitatis carmina perscriberet. Aperuerat Ludum ,  
Laudi Pompeiæ , quod ibi nupta erat eius Matertera . Sed demum  
indè Neapolim ad Pontanum se contulit , secutusq; aliquandiu San-  
seuerinum , & Cabanilium procures , transiit ad Liuianum Vene-  
torum Ducem , qui Musarum liberalis hospes Academiam in agro  
Taruisino ad Portum Naonem instituerat ; euocatis in contuber-  
nium præcellentibus poëtis , in quibus longè demum clarissimi ( præ-  
ter Cottam ) Fragastorius , Naugerius , & Hieronymus Borgius  
euaserunt . Ad Abduam autem , ex ipsa Gallorum uictoria, Liuias  
no

no fuso , captoq; Cotta , insigni pietate , se totius calamitatis, & carceris comitem obtulit , Sed Galli inhumana acerbitate , non misero tantum comitem : Sed Libros , & calamum , ac omnia denique tenebrosi otii solatia denegarunt . Impleuit alterum officii munus Cotta : susceptisq; à Liuiano mandatis , quum ad Iulium Pontificem Viterbium peruenisset , paucos post dies , oborta pestilenti febre , octo & uiginti annorum iuuenis interiit . Epigrammata , ac Orationes eius extant ; Sed Chorographiæ opus nobile uersibus inchoatum , & in Plinium , erudita scholia perierunt .

## ACTII SYNCERI.

*S P E R A B A S* tibi docta nouum *Verona Catullum* :  
*Experta es duros bis uiduata deos .*  
*Nulla animum posthac res erigat : optima quando*  
*Prima rapit celeri parca inimica manu .*  
*Quæ tamen , ut uidit morientis frigida Cottæ*  
*Ora : suum fassa est crimen , & crubuit .*

## MARCI ANTONII FLAMINII.

*Si fas cuique sui sensus expromere cordis ,*  
*Hoc equidem dicam pace Catulle tua .*  
*Est tua Musa quidem dulcissima , Musa uidetur*  
*Ipsa tamen Cottæ dulcior esse mihi .*

## PETRVS CRINITVS.

*PETRVS CRINITVS* iucundo , eruditoq; ingenio iuuenis , quum à crispa patris coma , Ethrusco nomine Riccius uocaretur , idq; nomen fastidiret , Crinitus appellari maluit . Is non iniquo iudicio habitus est inter Politiani discipulos disertissimus . Extant enim , præter non illepida poemata Libri de honesta disciplina , supra uiginti peramœna , & copiosa uarietate delectabiles  
I iiii les:

les : ac item quinq; de poëtis Latinis , laboriose eruditèq; perscripti . Mortuo Politiano , patritiorum iuuenum , qui ingenia literis excolebant ; uel genere , & censu impar promeruit , ut apud eos , & sodalis , & magistri munus adimpleret . Nobiles enim adolescentes more Socratis adamandos , pariter ac erudiendos , corporis , ac animi pulchritudine ductus pradicabat . Sed tanta familiaritas nequaquam certis grauitatis , atq; modestiæ finibus descripta , contumeliæ , ac item exitio locum aperuit . In Scandiciana enim Petri Martellii Villa , post hylarem cœnam , quum petulantis conuiuæ manu inter iocosam rixam frigida cantharo perfusus obriguisset , insolentis iniuriæ dolore saucius paucis diebus interiit , eo quidem sodalium grauiore pœnitentia , acerbiorèq; iactura , quòd nondum quadragesimum ætatis annum attigisset .

## MYRTËI.

*Priscos poëtas uiuere  
 Crinite dum doces , obis .  
 Ergo tibi superstites  
 Debent poëtæ non minus :  
 Ipse amplius nihil uolens  
 Debere , dono carmine  
 Hoc , te sepulchro conditum .*

## HIERONYMVS DONATVS.

ENIT VIT IN HIERONYMO DONATO  
 Patritio Veneto supra oris , atq; stature dignitatem , senatoria prudentia singularis , præcellenti doctrinæ præsidio , & multo rerum usu constituta . Attulisse siquidem uidetur in omnem actionem , mores longè lectissimos , & præclaris disciplinarum omnium luminibus illustres , quibus postea Iulium Secundum Veneto nomini grauius iratum , & conspirantibus externis Regibus , sæuo bello Maiestatis iniuriam uindicantem , non leniuerit modo , sed impetrata pace , ictoq; fœdere conuerterit . Quo felicitatis ingenii supremo opere , iam penè conuulsum radicibus eius Reipublicæ statum , septennio

ptennio restitutum uidimus; Sed industriae suae fructum sentire non potuit, paulo ante Romae morbo extinctus, quam Gallus grauis hostis Italia pelleretur. Verum, ex ea Legatione, eximia laus totius Italiae iudicio parta, perpetuis annalibus ad posteros transmittitur, nec erit ingrata patria, quin meritum decus optimo ciui, in-  
 staurata nominis memoria persoluat. Monumenta eius ingenii digna luce, quod publicis occupationibus absolui nequiu-  
 erant, Filii suppresserunt, edito Libro aduersus Gracos, uanisime de sacro-  
 rum principatu cum Romano Pontifice contendentes. Legitur etiam Libellus Alexandri Aphrodisi, de intellectu e Graco in Latinum puriter, ac appositè traductus. Extant etiam aliquot Epistolae, multa styli grauitate conscriptae, ex his ea praesertim, quae gallici Fœderis compedes Maximiliano Casari exuendas persuadet, altera quae concussa ingenti terremotu Cretae insulae, quum ipse praesideret, clades, terroresq; describit.

### MYRTEI.

*Donate diuom munere  
 Fudisti ut orbi neclaris,  
 Quantumq; manat gratiae  
 Diuino ab ore coelatum,  
 Seruasti, & exul patriam;  
 Diis restitutus denno  
 Orbi querenti descris  
 Nil praeter ossa, & Lachrymas.*

### ALEXANDER ACHILLINVS.

ALEXANDER ACHILLINVS Bononiensis accuratus Auerrois interpres, quum Patauii Philosophiam profiteretur, solidae, constantisq; doctrinae famam obtinuit, uel ipso Pomponatio acri æmulo insidiosa ambitione, scholam eius depopulante. Erat enim à summa ingenii simplicitate ambiendi, adulandiq; prorsus imperitus, usq; adeo, ut falsae, petulantiq; iuuentuti, quam doctrinae nomine in honore esset, ridendus uideretur; & tum maxime, quum deambulare undulatis passibus, coccinea in toga exoleti moris, astrictas scilicet habente manicas, & nullis à tergo defluentibus

discipulorum iniuria perperam secando cadauera , ipse uiuus meritam talionis pœnam subisset . Natus est Turrianus ex ea perillustri familia quæ ante ducentos annos Insubribus imperarat , patre peracuto , excellentiq; medicinæ professore , ita ut non mirum sit ab incun- te ætate in eadem educatum disciplina multo maturius quàm quisq; alius ad primos suggestus honores Patauî , & Ticini peruenisse . Præferbat os maximè uenustum serena quadam comitate occurren- tium animos alliciens ; uerum docendo , & disputando mirus , pro- latis Græcis authoribus , pudendos errores , & uitæ quidem exitia- les ostendebat , in quos medici ex herbariæ facultatis , ac Anatomes inscitia cecidissent . Hoc eximio præceptore in Gymnasio Ticinensi studiorum nostrorum uigilias pro concione laudante de liberalibus disciplinis , atq; arte medica lauream , & annulum comprobatae di- gnitatis ornamenta accepimus . Nec multos post menses quum ad ripam Benaci lacus secessisset pestifera febre Trigintatrium anno- rum iuuenis creptus est , quum Iulius Pontifex in pseudo Cardina- les fauentesq; eis Gallos uicticia arma in luctuosum utrisq; Rauennatis pugnae euentum expediret . Luxere Turrianum cuncta Gym- nasia , & diuturnis quidem lachrymis . Nemo enim eo in literis ab- solutæ uirtutis illustrius specimen , nemo certiore consummata glo- riæ spem dederat . Ad meritos autem titulos Veronæ nobili tumu- lo inscriptos , Nicolaus Archius hoc lepidum carmen apposuit .

### NICOLAI COMITIS ARCHII.

*Ante annos sciuisse nocet , nam maxima uirtus  
Persuasit morti , ut crederet esse senem .*

### LANCINVS CVRTIVS.

LANCINVS CVRTIVS Mediolani honesta ortus familia , inter Merulæ sectatores græcè , & latinè doctissimus euasit ; sed quadam uolucris , nec planè sana ingenii libertate , per om- nes scientias euagatus , nusquàm ad integrum decus constitisse ui- detur , utpotè qui passim utroq; stylo , & scaber , & obscurus dissi- pato uariæ doctrinæ lumine , euoluisse cuncta uolumina uideri malle , quàm puri , & circūscripti Poëtæ nomen appetisse . Eius enim syluæ , quæ iam pridem in publicum exiuerunt , quanquàm densa  
illa,

illa , & peragrestis arborum luxuriæ , uti maximè frondosa , altèq; surgentes quibusdam placere possint ; præpedientibus tamen uepribus horridæ , inaccessæq; existimantur , adeo ut Urbanus lector reformatata situs nouitate , in limine hæreat. In libris porro Epigrammatum uidere est in multa duritie nonnunquam molles facetias , quarisum falsè permoueant . Sed hoc multo iucundius , atque lepidius consecutus uidetur , quum præpingui in subrum lingua scitè numeros iocanter effunderet . Anguineos etiam , quos uocant , uersus miris modis & numeris conformabat , ita ut recto , & conuerso quoque ordine quadrati Epigrammatis introrsus exempta uerba aliud carmen efficerent , quod priori sententiæ per costas , & diametros ex obliqua serie mirabiliter arriderent : inani herclè , & planè ridenda cum laude , quum tanto sudore delirantis ingenii ab inepta , & rectis literarum studiis exitiali uoluptate , fama quæreretur. Caterum contentus paruo , sibiq; soli (uti sæpè dicebat) & genio suo uiuens , & cœlebs , & liber sine labe nominis ad senectutem peruenit , nihil obiter immutato uetere cultu , quum cæteri ciues non obscura confessione seruitutis aduentu Gallorum , peregrinam induti uestem , & capillum ad aurem subtondentes , cum pristino more togatum , prolixèq; comatum petulanter irriderent. Moriens de sepulchro sibi cecidit , quod in templo Diui Marci extra Beatricem portam cum uera effigie , & hoc carmine spectatur ,

STEPHANI DULCINI CREMONENSIS.

*EN uirtutem mortis insciam ,  
 Viuet Lancinus Curtius  
 Sæcula per omnia ,  
 Tantum possunt Camœnæ .*

BAPTISTA MANTVANVS CARMELITA.

BAPTISTA Carmelitani ordinis Princeps , Mantuæ ex Hispaniola gente honesta , uerum ex damnato coitu natus , naturam ad carmen attulit , uerum insatiabili hebraicorum studiorum cupiditate ita occupatam , ut quum magnus & admirabilis in omnibus uideri contenderet , in excolendis Musis curam , ac diligentiam re-

K ii mittere



mittere cogereetur ; quibus unis non dubius ad aternitatem gradus parabatur, si certa laude contentus, in reliquis inane nomen tempestiue contempsisset, Sed incidit in ea tempora, quibus nullus mediocribus poetis locus erat, reperit tamen sibi amulum incondito furore Consalui Magni res gestas decantantem cuius explosione claresceret. Is erat Cantalicius pro bono Poeta ab optimo Duce mediocritas etiam uirtutis amantissimo liberaliter ditatus. Verum & hunc, & ipsum quoque Carmelitam desumpto eodem argumento, Grauius malae partae laudis loco strenue deturbauit, quum incohatum Poema nobile, Pontano, atque Actio censoribus recitasset. Ceterum Carmelitae satis ad laudem fuit, quod per quindecim saecula neglectos a ciuibz Andinos fontes salubriter ebiberit, scilicet ut fatali monitu limpidioris eius aquae Siphones Lelio, ac Hippolyto Capilupis fratribz monstrarentur. Octogenario maior Mantuae decessit non plane felix, quum in extremo uitae actu defensionem contra Criticos scribere cogereetur, qui eius Poemata Obeliscis non inanibus misere confodisset. Sacro Poetae mortuo cucullati eius ordinis sacerdotes, prolixè parentarunt: Federicus autem Princeps marmoream effigiem cum laurea posuit, quae in arcu lapideo, iuxta Virgilii Maronis simulachrum. Pia hercle si non ridenda comparatione conspicitur.

### MYRTI.

*Alter hic iacet à Marone Vates  
Natus Mantuae, & is quidem Poetae  
Dignior titulo, nisi incidiisset  
In Fluctus uarios scientiarum  
Quo Musas Coluit minore cura  
Primus hic tamen à Marone natus  
Mantuae coluit Poeta Musas,  
Andinosque bibit sacro ore fontes.*

### FRANCISCVS MARIVS GRAPALDVS.

QVVM PARMENSES Post exactos Gallos ad Iulii Pontificis auctoritatem se contulissent MARIVS GRAPALDVS à praestanti facundia, & insigni corporis proceritate Legationis

gationis Princeps: Luculentam de laudibus inuicti, optimiq; Pontificis habuit orationem, ediditq; item pari argumento carmina eximia grauitatis. quo demum officio appositè, ac eleganter patriæ præstito, honoris causa Lauream à Pontifice de manu, erudito capiti impositam solemnî cerimonia, in Vaticano consecutus est. Ex: inde tanto honore, alacer, Musas, tanquàm non obscure propitias uehementius lacesiuit, ut ex publicatis poëmatibus ostenditur. Sed multo uberius, & latius ingenii, famam propagauit, edito Libro de partibus ædium, quo per optimas disciplinas perornatum diligenti cultura ingenium demonstraui. Fato functus est in patria post quinquagesimum ætatis annum, quum interiores meatus, emittendo lotio globosior calculus obstruxisset.

### GEORGII ANSELMII.

*E' meritam hic laurum Anides, plectrumq; Lyramq;  
Grata tibi ex merito turba Grapalde dicat.  
Ut tumuli misera erexit leue nomen inanis,  
Solut, & ad uacuos, ut sua iusta rogos.  
Nam te, nec fas est humili cohibere sepulchro  
Tam rara insignem qui struis arte domum.  
Redditæ ubi doctis uoces, uulgoq; receptæ,  
Haud dubiam faciunt non obuisse fidem.*

### IANI VITALIS.

*Tu Grapalde tibi magna pro mole sepulchri  
Erigis ingentem, perpetuamq; domum  
Occupat illa suis immensum finibus orbem  
Altaq; sublimis sydera tangit apex  
Et merito, neque enim tumulo tua gloria claudi,  
Cum uolitet mundi claustra perampla, potest.*

### THOMAS LINACRVS.

THOMAS LINACRVS ex insula Britannia ad perdiscendas græcas literas in Italiam profectus, Florentiæ Demetrium  
K i i i &

& Politianum audiuit, ea'q; enituit morum suauitate, atq; modestia, ut à Magno Laurentio liberis suis, familiari studiorum consuetudine quanquam ætate maior socius adderetur. Inde uero multis uariæ doctrinæ ornamentis adauctus, quum Romana quoq; ingenia certius agnoscenda, ac opulentiores bibliothecas inspiciendas existimaret ad urbem contendit. In primo autem appulsu forte accidit, ut Hermolao Barbaro amicitia iungeretur. Nam ingresso Vaticanam bibliothecam, & græcos codices euoluenti superuenit Hermolaus, ad pluteumq; humaniter accedens, non tu herclè inquit studiose hospes, uti ego planè sum, Barbarus esse potes, quod lectissimum Platonis Librum (is erat Phædrus) diligenter euoluas; ad id Linacrus læto ore respondit, Nec tu sacratè heros, alius esse iam potes, quàm ille, fama, notus Patriarcha Italarum Latissimus: Ab hac amicitia (uti casu euenit, feliciter conflata) egregiis demum uoluminibus ditatus in Britanniam rediit: datusq; est præceptor Arcturo Regis filio: cui dicatam Procli sphaeram legimus. Transtulit demum, ex felici uigilia Galeni Librum de tuenda ualitudine, quum in arte medica æquè doctus, & fortunatus spectaretur. Verum, ab eo munere, ueluti quaestioso, potiusquàm ad parandam perennem gloriam nobili, refugit ad antiqua optimarum literarum studia reuocatus societate Latomeri, atq; Gracini, qui constituto Triumviratu, ad immortalem laudem, uertendum Aristotelem communicato labore susceperant; Sed Gracinius, ad oblatum sibi sacerdotium à decreto, fidèq; discessit, & Latomerus consilio, excussus est; ita, ut Linacro egregiæ uoluntatis decus maneret apud Henricum Octauum. Sexagesimo autem, & quarto ætatis anno, ex dolore disruptæ herniæ, uita excedens, honestam domum, Londini Medicorum collegio dedicauit.

## IANI VITALIS.

*Dum Linacrus adit Morinos patriosq; Britannos*

*Artibus egregius diues ab Italia,*

*Ingentem molem saxorum in rupibus altis*

*Congerit ad fauces alte Gebenna tuas,*

*Floribus hinc uiridiq; struem, dum fronde coronat,*

*Et sacer assyrias pascitur ignis opes;*

*Hoc tibi ait mater studiorum, o sancta meorum*

Templum

*Templum Linacrus dedicat, Italia;  
Tu modo cui docta assurgunt cum Pallade Athenæ  
Hoc de me pretium sedulitatis habe.*

## ANTONIUS NEBRISSENSIS.

HISPANIA per mille amplius annos, uandalicis, puni-  
cisq; armis occupantibus Latinarum literarum splendore caruit,  
alioqui non obscura telluris, cœliq; temperie maximorum ingenio-  
rum ferax, si Lucani, Senecarum, Silii, Martialisq; memoria re-  
colatur: ut hic Auerroem in Arabica lingua, sapientiæ lumine cla-  
rissimum omittamus: Hispaniæ enim proceres, totaq; nobilitas  
peruersam opinionem de literis induerant; sic, ut earum studia, quæ  
pro libertate aduersus externas gentes dimicarent, publica conspi-  
ratione damnarentur, quasi aliena, importunaq; uirtuti bellicæ, qua  
una salus, & libertas omnium certiore laude pararetur: Sed post  
punicum nomen, uirtute Ferdinandi Regis Hispania pulsum An-  
tonii Nebrissenis ingenium emicuit par antiquis grammaticis si  
par fortuna sæculi anhelanti ad ueterem laudem opportunè respon-  
disset. Hic Nebrissæ, quæ olim Veneria fuit, ad Bethim natus,  
scribendo & docendo iuuentutem, admonitis, castigatisq; natu-  
maioribus, ad antiquum decus literarum uehementer crexit. Con-  
stat enim cum, literarum amore spontè exultantem, ferè totius Ita-  
liæ gymnasia collustrasse; collegisseq; dignos nobili uoto, græcæ,  
latinæq; linguæ thesauros: quibus terra, patria ditaretur. Dicebat  
enim proceribus ad arma natis, sero exactæ artis, & disciplinæ  
exempla, uel longo usu percepturos, si literarum lumine carerent;  
quo uno stolidè sublato, tota bellica laus celeriter euanescit, & in-  
tercidit. Paucis itaq; annis, effectum est, ut nemo, qui literarum  
studium reformidaret, satis nobilis haberetur. Ipseq; Antonius,  
non secus de restitutis, postliminio literis, quàm Ferdinandus, Gra-  
nata capta, Maurisq; pulsus, gloriose triumpharet. Scripsit ingen-  
ti cursu orsus à grammaticæ præceptis omnes ferè liberales discipli-  
nas, & sacras literas peruagatus, multa uolumina, quæ extant.  
Expectatur autem summæ utilitatis Dictionarium, quo Latine,  
græcè, ac hebraicè linguæ documenta continentur, ab hærede fi-  
lio, hætenus impie suppressum, quum & ipsa quoq; penè ad exi-  
tum perducta, Bethici Belli historia in lucem non prodeat: Oppres-  
sit

fit cum repentina Paralyſis, quum ad ſeptuageſimum ſeptimum æta-  
tis annum perueniſſet: tanto quidem corporis , ingeniūq; uigore,  
ut nihil de ſtudiorum labore omnino remitteret : & ut natura mu-  
lieroſus , ad ſupremum uſq; diem uenereis uteretur : Obiit ſub id  
tempus, quo popularibus ulterioris Hiſpaniæ ad arma cōſternatis,  
aduerſus Belgas præſides , tanquàm auarè imperantes , grauiter eſt  
tumultuatum .

### MYRTEI.

*Me putat æternum ſaxo poſuiſſe ſub imo  
Acerba mors , & fallitur .  
Non ingrata etenim mea gens uolitare per ora  
Dat , & per oras omnium .  
Hæc mihi pro reduci ſtudio , latiūſq; camœnis  
Certè trophæum non minus ,  
Quam tibi pro Mauris debet Fernande fugatis  
Et pro recepta Batia .*

### BERNARDVS BIBIENNA.

HOMO Valdè mirus in utraq; fortuna extitit BERNAR-  
DVS DIVITIVS in oppido Bibienna, undè ci cognomen,  
ad ſummas Arctinorum alpes natus . Is à pueritia inter Mediceæ fa-  
miliæ clientes , primum ſolertis indiſtriæ locum meritis, Leonipa-  
tria pulſo , atq; exuli , ſingulari fide comes fuit , & conſiliorum qui-  
dem omnium particeps : in multa enim , & uaria rerum commuta-  
tione , diuturnoq; uſu grauiſſimarum actionum peracutus, efficax,  
& quod unum in aula maxime conducit , iucundus ueterator eua-  
ſerat; ita , ut cum Leo rerum potitus inter propinquos maturato  
honore legerit in Senatum magno ſi quidem adiumento fuiſſe con-  
ſtabat in comitiis ad promerendas ſuffragatorum uoluntates, quum  
antea nobiliſſimis Cardinalium hero conciliatis, ad petendum Pon-  
tificatum , expeditam uiam , aſtuta quadam Urbanitate muniuiſſet.  
Conuiuia enim in quibus crudito luxu certabatur, miris facetiis con-  
dire , ſeria iocis miſcere , adulari, resq; arduas diſſimulanter confi-  
cere ſolitus , ingenium nuſquàm abſurdum, aut ineptum , in otio  
pariter, atq; negotio feliciter afferebat . Scripſit admirabili lepore  
Comœdiam

Comœdiam Calandram , quæ acta est in Vaticano Ludis Lupercalibus , per nobiles comœdos Romanæ iuuentutis , in gratiam Isabel- læ Mantuani Principis uxoris , usq; adeo decenti apparatu , ut ni- hil ad elegantiam theatralem , ab eximio Poëta Comico doctius atq; facctius compositum , aut magnificentius in Scœna editum , confis- teri liceat ; nisi tum cæteris patribus sacra purpura pudorem expres- sisset ; quum tamen à minus seueris dignitatem attulisse putaretur : Abdicauit in ea numeros primus , ut uernaculos sales dulcius , atq; liquidius scæminarum auribus infunderet : quo multi risus hilarior uoluptas excitaretur . Id enim unum peti , quæriq; debere à nō in- sulso poëta disscerebat , quod in Terentiana Scœna , Verecundi salis prudentiam admirari quidem , non satis possint spectatores , ridere certè nequeant , quod nullam , uel cruditæ fabulæ inesse gratiam putaret , nisi ab excitato populo , mixtus cachinno plausus reddere- tur . Perit non planè senex , quum è , Legatione gallica in urbem redisset intempestiua ambitione , ad Pontificatum aspirans , si Leo uti in fatis erat , uita excederet , quod ei Rex Franciscus , ex proli- xa pollicitatione suffragaturus crederetur , id multo iunior , habituq; uiuacior Leo , in imbecillo sene adeo indignanter tulisse fertur , ut ip- se Bibienna , tabifico ueneno ex Frixis ouis , de manu in mensa por- rectis , se petitum suspiciosius , quàm decebat existimaret , inani cer- tè argumento , quod insignium medicorum , uel iterata , exquisitaq; remedia minime profecissent .

### BOCCARINI ARETINI.

*Trunca fides , lugent Charites , periere lepôres  
Desipere sales , desipere ioci .  
Lurida nimirum mors , quæ Vrbi inuidit , & orbi ,  
Diuitium immiti funere corripuit .  
Purpureos meruit titulos . Romæ occidit , ortus  
Est Bibiennæ . hoc te scire sat hospes erat .*

### IASON MAINVS.

IASONI MAINO MEDIOLANENSI , uti ip-  
se in gentilitiis insignibus præscribere solebat , uirtuti fortuna co-  
L mcs

mes non defuit ; natus enim ex concubina nequaquam eodem cultu , quo aequales propinqui , sed eodem pedagogo sibi tantum inamiti , atq; aspero utebatur , ut ab eo familiariter audiuius , ex hac schola ; missus Ticinum ad ius ciuile perdiscendum , primo anno ita ingenium ad uitia , illamq; supra cetera pestilentem aleam deflexit , ut cum hospite decoqueret , & iuris codicem in membranis scriptum magno emptum pretio fœneratori tradere cogeretur. Ipse uero demum sordida in toga , capite tonso , quod id tinca deformis obsideret , ridiculus uidebatur ; Sed mature , & peracerbè castigatus , se ipsum collegit , bonæq; frugis personam , nequaquam mentitus , tanta contentione in studiis disputationibusq; se se exercuit , ut doctores ipsi , æqualisq; iuuentus , cum adeo celeriter , atq; feliciter profecisse mirarentur . Exinde suggestu dignus , institutiones enarrauit , concessitq; demum Patauium : Sed inde , quum secunda fama profiteretur , euocante Ludouico Sfortia Ticinum reuersus est . Ab eximia tum grauitate , atq; facundia summi oratoris laude fruebatur : nam optimis literis , usq; ad poëticum decus instructus , dicta , scriptaq; lepidissimè condiebat , canoram uocem , ualida latera , gestum oris excellentem , ad suggestum afferens , explicati & perillustres , solidiq; doctoris nomen tuebatur ; consultoribus pretio grauis uideri poterat , nisi pecuniam acceptam si causa decidisset ; liberali pactione , se continuo redditurum profiteretur : me audiente interrogatus à Ludouico gallorum Rege , cur nunquam duxisset uxorem , ut te commendante inquit , Iulius Pontifex , ad purpureum galcerum gestandum , me habilem sciat. Audiuerat enim honoris causa eo die aurata in toga profitentem , Rex ipse quinque Cardinalibus , & centum proceribus subsellia implentibus , quum Genua subacta , de Lyguribus triumphasset . Ea enim lectione dignitatem equestrem ob spectatum in acie facinus de manu Regis traditam , accendendæ uirtutis ergo ad posteros manare diffiniuit. Mortuus est Ticinii ualde senex , extructa nobili domo , emptisq; in Placentino Latifundiis : Suburbano autem in templo Diui Pauli sepulchrum cum histitulis ostenditur .

## DARDANI PARMENSIS .

*Quis iacet hoc hospes tumulo ? Quis ? Summus Iason .  
 Ille'ne Frixæ uellere diues ouis ?*

Clarior

*Clarius hic illo longè est. Quis'nam oro? Maynus ,  
 Excellens iuris gloria Cæsarei.  
 Non fuit hoc quisquam iuris consultior alter ,  
 Qui extinctum posset reddere ius melius .  
 Sed tamen hoc summi uetuit mens dia parentis ,  
 Cæsaribus cupiens usque fauere suis .  
 Te audit , ò nimium felix , qui iura legentem ,  
 Damnantemq; acri plurima iudicio ,  
 Nec tamen infelix , tua qui monimenta reuoluit ,  
 Et memori condit lecta , fouetq; sinu .  
 Et quanquam obloqueris plebs inuida , solus Iason  
 Hic legum nodos difficiles soluit.  
 Amborum sic fama omnem uulgata per orbem :  
 Ille nitens belli laude , sed iste togæ .*

## CHRISTOPHORVS LONGOLIUS.

CHRISTOPHORVS Longolius Maclinix Belgicæ  
 sacerdote Antistite genitus , & Lutetiæ in scholis frugaliter educa-  
 tus , partis disciplinarum omnium peramplis opibus, aureo Leonis  
 principatu Romam uenit; adeo dissimulata ingenii professione , ut  
 rubro pileo , & astricta penula semi germani militis habitum menti  
 retur, quippè cui mens erat auidè peregrinanti priscae felicitatis mo-  
 numenta spectare, scrutari ingenia, Bibliothecas excutere, atq; illud  
 demum crudita censura iudicium, quod frustra alibi, quam sub Ro-  
 mano Cælo quæritur, certius, atq; liquidius adipisci; sed intranti  
 gymnasium, & acute disputanti, non insulsi literarum professores  
 celeriter, & comiter personam detraxerunt, ita, ut mox honestissimi  
 Ciues Romani Flaminius, Tomarotius, & Marius Castellanus alter-  
 na hospitii liberalitate intrà penates receptum triennio aluerint, ciq;  
 uirtutis merito Romanæ ciuitatis ius, & nomen impetrarint. Verum  
 aliquantò post, emerfit liber execrabilis maledicentia ueneno delibu-  
 tus, quem iuuenili declamatione perscripserat Romani nominis anti-  
 quū decus Barbaro liuore proscindens: infremuit Populus Romanus  
 ea cōtumelia perturbatus, Celso Mellino adolescēte clarissimo, genero  
 sa oratione in Capitolio, tāquā reū Maiestatis accusante. Sed Longo-  
 lius

L ii



golijs totius aulæ clementia præmunitus , duabus orationibus publicatis se se eo nomine defendens , iudicium populi subterfugit , quod nequaquam malignitate animi ; sed more sophistarum , exercitationis studio materiæ difficilis , ac insolentis ; ideoq; damnatæ spei argumentum desumpsisset , scilicet , ut sodales eius temerè suscepti muneris , uel infelicem audaciam mirarentur . Transiit inde Patavium , his præsertim actionibus claritatem consecutus . Adhæsitq; Petro Bembo, & mox Reginaldo Polo Britanno , in quorum hodie sacra purpura summam pietatem, atq; doctrinam ueneramur. In eius contubernio , quum ingentibus uigiliis Libros aduersus Lutherum disertè , & grauius elaboraret, editis iam ad imitationem Ciceronis Epistolis , febre consumptus est . Tumulum autem , hoc carmine Bembus honestauit .

### B E M B I .

*Te iuuenem rapuere Deæ fatalia nentes  
Stamina , cum scirent moriturum tempore nullo  
Longoli , tibi si canos , seniumq; dedissent .*

### A V R E L I V S   A V G V R E L L V S .

NON EST cur miremur in pusillo corpore uiuacissimi hominis A V R E L I I A V G V R E L L I præaltum ingenium enituisse . Fit enim plerunq; natura , ut innati spiritus uis ipsa collectior parvæ compaginis membra aptissime regat , & quod mentis est ad excogitandum plenius , atq; ualidius illustret . Is Arimini natus , uitam in literis perdiscendo , docendoq; ad octogesimum tertium ætatis annum , feliciter extendit , Venetiisq; imprimis habitus est , multò doctior , & purior , quàm quisquam alius , qui Latinis , græcisq; literis , priuato quodam officio, ac ob id quaestuosiore proficeretur . Extant eius Ode plures , & pauca Elegia Romana simplicitate decantata , sed iambico uersu à paucis hætenus prospere tentato , uisus est ad antiquæ laudis metam propius accessisse. No- uissime ridendus ille morbus certæ egestatis, & casu laboris comes, curiosis ingenijs familiaris totum homunculum occupauit , metalla & succos in abditis fornacibus recoquẽtem, ut ex argento uiuo concretum , & ductile argentum ad cudendam monetam efficeret, &  
admirabilem

admirabilem abditarum naturæ rerum massam conflando , purum inde aurum crearetur. Sed ea cura inani uoto suscepta , nequaquam magno damno ei cessit , quum ingenium ab irrita spe ad factitanda carmina uerteretur , ut fallacis , & irritæ artis certitudinem , carminum autoritate demonstraret ; quum ipso conscientia pudore inanis artifex proderetur : Scripsit enim Chrysopæiam ad Leonem auri contemptorem , ut prodigè utenti ad alenda ingenia , festosq; & planè Regios sumptus , inexhaustæ opes , sine iniuria humani generis , abundè suppetere . Edidit etiam Geruntica , Petro Lipomano discipulo dicata , quem hodie , Veronenses , uirtutis merito , Antistitem uenerantur . Taruisii , ubi flamen erat , quum ad Forum in taberna Libraria disputaret , apoplexia correptus , subito interiit. Depicta est Tumulo effigies , cui hoc ipse carmen subscripsit .

### IPSIUS.

*AURELII Augurelli imago est , quam uides ,  
Vni uacantis literarum serio  
Studia , & iocoso , dispari cura tamen :  
Hoc , ut uegetior sic fieret ad seria :  
Illo , ut iocosis uteretur firmior .*

### GVIDO POSTHVMVS.

GVIDO POSTHVMVS Pisaurensis lepidus , & comi , argutoq; ingenio poëta , quum Elegias , & uariis numeris carmina factitaret , in aula Leonis conspicuus fuit . Patebat enim ea liberaliter , meridianis præsertim horis , quum Citharedi cessarent , his omnibus , qui eruditæ suauitatis oblectamenta ad ciendam hilaritatem intulissent : Sed benigna Principis manu sæpè donatum , & non insulsè ad honores aspirantem Regius inuasit morbus , ex moribunda Patriæ sede procul dubio conceptus . Medici suaferunt , ut Capranicum secederet Sutrini agri uicum , aëris salubritate percelebrem ; atq; ita humanitate , ac indulgentia Herculis Rangoni Cardinalis , cuius opibus familiariter utebatur , eo deuectus est . Verum non multo post exusto , lenta febre , toto uiscere , uel adhuc iuuenis , uim morbi , fatiq; sustinere non potuit , in Æde Diui Francisci tumulatum , poëtæ sodales his carminibus profecuti sunt.

L iii TIBAL

## TIBALDEI.

*Posthumus hic situs est, ne dictum hoc nomine credas  
In lucem extincto quòd patre prodierit.  
Mortales neque enim talem genuere parentes  
Calliopea fuit mater, Apollo pater.*

## IANI VITALIS.

*Quærite nunc alium Musæ, quem semper ametis.  
Qui uos semper amet, Posthumus occubuit.*

## NICOLAUS LEONICENVS.

NEMO PROFITENTIVM, MEDICORVM,  
NICOLAO LEONICENO Vicentino uera salutaris  
scientiæ dogmata purius, atq; nitidius explicauit: Nemo errores So  
phistarum importuna garrulitate cuncta fœdantium, eloquentius,  
atq; ualidius confutauit: Nemo co demum ad illustrem certioris  
peritiæ fidem longius, atq; salubrius uitam produxit. Primus enim  
græca Galeni uolumina latine interpretando studiosis perdiscenda  
demonstrauit, Imperitorum latratibus, publicatis summa eloquen  
tia commentariis occurrerat, ut potè qui ab incunte ætate, optimis  
literis deditus, ingentes opes capacis, & maxime constantis inge  
nii ad illustrandam medicinam contulisset. Cibi enim, & uini ma  
ximè abstinens, somniq; minimi præsertim, uero ueneris cōtinen  
tissimus, usq; adeo mollioris uitæ uoluptates abdicauit, ut pecunias,  
luxurie instrumenta, nec agnita quidem monetæ nota contineret;  
oblatum, & nulla delectum cura cibum caperet; nec unquam de for  
tuna quereretur, quòd unam uir acutus studiorum laudem respice  
ret; nec opportuna mediocris uitæ subsidia benignitate Ferrariens  
ium Principum Herculis, Alfonsiq; filii sibi defutura prospiceret:  
Eum herclè perfectum stoicum putasses, nisi honesto ori liberalis  
hilaritas affuisset. Edidit cruditum, & perelegantem Librum, qui  
Romanus Medicus Antisophista inscribitur, quum antea de ordi  
ne trium doctrinarum, & de uirtute formatiua perutiles Libellos  
publicasset; Dionis quoq; historia, & Luciani Dialogi, uernacula  
loquentes

loquentes lingua , Herculi Latinarum literarum imperito mirè placuerunt . Peruenit ad nonagesimum annum integerrimis sensibus , uegetaꝫ memoria , nec incurua quidem cervice , quum esset staturæ cellioris , & sine scipione uenerabilis . quum ego aliquando comiter ab eo peterem, ut ingenuè proferret, quonam arcano artis uteretur, ut tanto corporis , atq; animi uigore uitia senectutis eluderet , uiuidum inquit ingenium, perpetua , Ioui , uitæ innocentia, salubre uerò corpus , hylari frugalitatis prasidio facile tuemur; Tumulus eius in Atrio adis .

### MYRT EI.

*Cui neque sat fuit , & terras euoluere , & undas ,  
Quæq; arcana tenent flumina , terra , mare ;  
Dum rerum causas late uestigat , & ægra  
Morborum reuocat corpora colluie :  
Nunc Leoniceus tegitur paruo aggere terræ :  
Cuius utramq; uolat fuma per Hesperiam .*

### PETRVS POMPONATIVS.

PETRVS POMPONATIVS Mantuanus , in philosophia præceptor meus inter Peripateticos illustres primum suggestus locum obtinuit: Enarrabat enim Aristotelem simul, ac Averroem suauiter , & præclara uoce ; Elocutione autem emendata , & leni quum proponeret ; uolubili , & concitata quum infringeret ; porro quum diffiniret , atq; decerneret , adeo graui , sedataq; , ut auditores in subselliis scriptitando , explicatas sententias notis exciperent . At in coronis , confessuq; doctorum , quum exercitatione perutili ad Prætoriam porticum disputaretur , ita mirus euadebat , ut sæpè anticipiti , & cornuto Achillini enthymemate circūuentus, superfuso factiarum sale aduersarii impetum , ex illis gyris , & maxandris explicatus eluderet . Erat pusilla admodum , sed quadrata corporis statura , capite nulla ex parte enormi, uel insulso , ut potè oculis ad omnes animi habitus aptissime paratis , & intentis . Exorto bello Veneto , post Achillini mortem , Bononiæ professus est ; ubi cucullatos sacerdotes contra se in caput, & nominis famam uehementissime concitauit;

concitauit; edito scilicet uolumine, quo animas post corporis mortem interituras, ex sententia Aristotelis probare nitebatur, secutus Aphrodisci placita, cuius dogmate ad corrumpendam iuuentutem, dissoluendamq; Christianæ uitæ disciplinam, nihil pestilentius induci potuit: quanquàm in exemplo dudum fuisset, qui pariter scriptis assentiretur, uir sanctissimus, atq; doctissimus Thomas Caietanus Cardinalis. Scripsit etiam de fato, & de incantationum occulta potestate. Sexagesimo autem tertio ætatis anno, stranguria oborta Bononiæ, Fato functus est: relatusq; inde Mantuam, nobile sepulchrum, Herculis Gonzagæ Cardinalis, erga ciuem, & Magistrum, liberali pietate promeruit.

## IANI VITALIS.

*En animarum ingens globus, en legio omniuagantum,  
Quas tu perpetua luce carere negas.  
Mortuus, ut discas æternam has uiuere uitam,  
Ad cineres ululant Pomponiate tuos.*

## ANDREAS MARO.

NULLIS OMNINO certioribus lineis, nulloq; exactiore pennicillo ANDRÆ MARONIS ingenium depinxerim, quàm si eisdem utar coloribus, quibus illud, dum ille uiueret, diligenter expressimus in Dialogo nostro, quem in Ænaria insula, dum Vrbs Roma à Cæsarianis, capto Pontifice uastaretur, perscripsimus. Interrogante enim Daualo, his sermè uerbis respondi, quum de uiris, & fœminis ætate nostra florentibus, iucundissimo censuræ ordine disputaretur, & non temerè in mentionem Andræ Maronis incidissemus. Is erat Brixianus, quanquàm dimidiam patriam ab Eugancis, foroq; Iulio repeteret. Cupiebat enim Dux generosus cultorq; Musarum, Poëtam inusitata uirtute præditum è funesta clade urbis cripere. quod, ex me, illum ter captum, cruciatumq; diu, ac omnibus fortunis expoliatum, miserabili, ridendoq; famescientis baiuli habitu in urbe plena funeribus mendicare didicisset. Non est inquam Daualæ, cur tantoperè, Ethruscos Vates ad expeditæ facundiæ laudem, arguta Cithara personantes admiremur, in eam enim peramœnæ uoluptatis consuetudinem, mos patrius illos

los adduxit; quod faciles ad ueniam aures dicere audentibus plurimum indulgeant, ita, ut nec eos, uel leui sibilo notandos putent, qui hæsitando, amissa celeritatis laude, uel in dissona, uel in dispari syllaba peccauerint. Verè siquidem admirari, & plaudentis clamorem attollere iuuat, si nouum Maronem audiamus. Is enim cum summa cruditorum admiratione ex tempore ad quam iusseris quæstionem, Latinos uersus, uariis modis, & numeris fundere consuevit. Audax profectò negotium, ac munus impudentiæ, uel temeritatis plenum, nisi id à natura impetu propè Diuino, mira felicitas sequeretur. Fidibus, & cantu Musas euocat, & quum semel coniectam in numeros mentem, alacriore spiritu inflauerit, tanta uis in torrentis morem citatus fertur; ut fortuita, & subitariis tractibus ducta, multum ante prouisa, & meditata carmina uideantur. Canenti defixi exardent oculi, sudores manant, frontis uenæ contumescunt, & quod mirum est, eruditæ aures, tanquàm alienæ, & intentæ, omnem impetum profluentium numerorum, exactissima ratione moderantur. Exceptus est secundissimo plausu, ac idcirco à Leone repræsentatæ facultatis nomine, sacerdotio donatus. quum post celebre conuiuium, cui Regum Legati, Senatoresq; aderant, de suscipiendofacrobello dicere iussus iucunda figurarum uarietate decantauit, orsus hoc nobili carmine. **I N F E L I X** Europa diu quassata tumultu Bellorum. Tum enim Selymus Turcarum Imperator, Campsone, & Tomumbeio ultimis Ægypti Regibus, una, atque altera acie deuictis, ac interfectis, magnum Europæ, intestino bello deflagranti terrorem intulerat. Perijt, amissis Poëmatibus infelix Maro in uili caupona ad Scrofam lapideam, Campi Martii ab omnibus desertus, quinquagesimotertio ætatis anno; quum è Tybure, quo perfugerat, uagantibus etiam ibi Barbaris, in pestilentem urbem, urgente fato rediisset.

### MYRTEI.

*Postquàm secundum publica abstulit clades.*

*Maronem, & urna caruit infelix, campis*

*Quæsitus Elystis, nec inuentus Musis.*

M Phœbus

*Phœbus furoris nam minister illius ,  
Quo carmen edere inclytum Maro suerat ,  
Inter Sybillas rapuit , æternum ut uiuat .*

ANDREAS MATTHÆVS  
AQVAVIVIVS.

NEMO Ex his qui illustribus orti familiis ætate nostra clau-  
serunt , quum peculiari bellica laude ducerentur ANDREA  
MATTHÆO AQVAVIVIO ad Præcutinos Has-  
drianorum Regulo se luculentius optimis disciplinis exornauit ; uti  
præclare constat ex eo Libro nobili pariter , ac crudito , qui Encyclo-  
pædia inscribitur , & de morali uirtute Plutarchi plenior liber subti-  
li , & copioso commentario per similes ostendit . Hic heros antiquæ  
uirtutis , uti casus tulit , bis bello , prælioq; aduerso , & uulneribus  
honestissime susceptis captus , forti animo tetri carceris calamitatem ,  
studiorum solatio , ita leniuit , ut ad eam exculti ingenii frugem ,  
quæ ab impotenti fortuna cripi non potest ; generosa meditatione  
peruenerit . Sed quum cum uictor Consalius cum reliquis capti-  
uis in Triumpho ducendum in Hispaniam mitteret ; Rex Ferdin-  
andus prudentiæ , & Lenitatis nomine maxime clarus , Libertati ,  
pristinæq; fortunæ restituit . Tanto itaq; usus beneficio per uiginti-  
quattuor annos egit iucundo in otio uitam dicatam Musis adco-  
splendide , & uigilanter ; ut ad idem literarum honestissimum de-  
cus Belisarium Fratrem Neretinarum Regulum æmulanter inuita-  
ret , quem de Venatione , & de singularis certaminis prouocatione  
scripsisse uidemus . Cæterum uir tantus , quum Neapolitanos pro-  
ceres , candore , innocentia , & Liberalitate facile superaret . Visus  
est parum accuratus , & diligens in tuenda rei familiaris dignitate ,  
quum in ultimo uitæ actu præaltus animus contemptor opum in-  
stitutæ Liberalitatis neruos inconditis sumptibus incidisset . Fato  
functus est ad Conuersanum Bario finitimum , septuagesimo secun-  
do ætatis anno , quum Lotrechii Galli infelicibus armis , Apulia  
quateretur .

1771

MAR.

## MARCELLI PALONII ROMANI.

*Non minus æternum ex Aquinio habet Hadria nomen ,  
 Nobilis immenso , quam dedit ipsa Mari .  
 Adde , freto suus est supero quod terminus : illi  
 Nec Limes tellus ulla , nec unda datur .  
 Nam Musis ubi honos , martiꝑ , togæꝑ manebit ,  
 Et lucebit ubi sol , Aquinius crit .*

## PETRVS GRAVINA.

NATVS EST PETRVS GRAVINA Catinæ in Sicilia, sed ipse primam domus originem à Capua repetebat; Natura ei admodum indulgenter , præter excellentis ingenii uim, summam etiam procerò corpori , & uenusto tribuit dignitatem, firmitate imprimis , & agilitate quadam singulari , quum in ludo pilæ usq; ad admirationem , & gladiatoria arte, equestribusq; armis ad militarem laudem exerceretur, nataretq; sapissimè ad incredibilem urinandipatientiam, quibus agitationibus ita firmauit corpus, ut nulla paulò sæuiore tentatus ualitudine ad extremam propè senectutem , integro , & planè iuuenili uigore peruenerit, utebatur parcior mensa , sed ea semper nitida , uinum à uescuo , surrentoq; in honore erat ; sed semper sobriè , & moderatè perpotanti . Vitæ genus adamauit quietum , cunctis solutum curis , & litibus , hilariq; imprimis, & tenera studiosorum adolescentium familiaritate gaudebat; ingenio enim erat aperto liberali, perblando, cultu corporis nitido, & sumptuoso , quum undulata toga uteretur , & serico latiore uiloso pilco argenteam comam morosè perornaret . quum in Aragonia aula uersaretur , emanarentq; ab eo uersiculi ex nobili semper occasione , argutè , lepideq; perscripti ; Pontano carus esse cœpit , qui erat ingeniorum censor longè grauisissimus , idq; Diuinis operibus ad immortalem amici laudem benignè testatus est ; Spectata demum eius uirtuti externus Meccenas adfulsit Magnus Consaluuus , qui ipsius uictorias , & trophæa gallica heroico celebrantem in templo maximo Neapoli sacerdotii honore nobilitauit : Sed Consaluo in Hispaniam abducto , quod Regi in suspicionem affectati Regni uenisset , Prospero Columnæ adhesit . In pangendis

M ii Elegis,



Elegis , tenero quodam lepore , sibi genium respondere fatebatur : Sed in scribendo Epigrammate uni ei haud dubiè palmam tribuebat Actius Syncerus ; qui , & parcus , & amarulentus in alieni operis censura Laudator esse consuevisset. Heroica poemata perisisse tulerunt , nisi iampridem à nobis lectitata compareant , quum Casariam à Gallis Neapoli obsessi , tanquam non in socia urbe , diuina , ac humana omnia conturbarent , ita , ut non miretur quispiam , tam paucis quæ extant ingenii monumentis , præclari poetæ famam constituisse : nam & multa ipse lugentibus amicis spontè deleuit , ueluti strepentibus armis , sæculum indignatus , aut iratus Musis ; quòd externi duces conceptæ spei minus liberaliter arrisissent. Sed dispari iudicii sorte id poemata propè amissum querulus lugebat ; quo Surrentini otii delitias elegantissimè depinxerat . Sed Scipionis Cyprii Pictas dignum egregio , nobiliq; poetæ , colligendi dispersa & publicandi officium præstitit , ut penè intercepta amico poetæ uita redderetur. Non carebat quoq; compositi Oratoris nomine , quanquam dum publicè oraret una actionis laude contentus esse uideretur. Decessit septuagesimoquarto ætatis anno , ad Concham oppidum Sigidini agri , quum ei in umbra meridiant , Castanæ echinus tibiæ suram leuissimè pupugisset : temerè enim scalpando enatum est ulcus accersita letali febricula : Adeo enim subtiles mortis causas fata inueniunt , quum ex decreto urgent .

### IANI VITALIS.

*Hanc tibi pro tumuli Ianus Vitalis honore  
 Ramosam Laurum Magnæ Grauiua dicat.  
 Hic ubi odorata manes requiescere in umbra  
 Floribus in mediis , & inuict esse tuos :  
 Illa , Notis quoties rami quatiantur , & Euris ;  
 Perstrepet in Laudes Sanctæ Poëta tuas .*

### POMPONIVS GAURICVS.

ARGIVÆ Iunonis Fanum , quod est Picentinorum nobile oppidum , Geminos Fratres Gauricos præstanti ingenio protulit ; Lucam ipsum , quem Astrologiæ peritissimum , feliciq; sæpè euentu futura prædicentem , in aula PAVLI TERTII Pontificis admiramur

admiramur ; & Pomponium non incelebrem Poëtam , ualidaq; in uarias artes , ardentis ingenii fecunditate mirabilem , nisi instabili genio abductus , dum feruidè transcurrit , & sectatur operum noui tatem , in cunctis , nusquam accuratus , & diligens firmæ prudentiæ dignitatem amisisset . Is Græcorum Poëtarum uitas , Petri Criniti æmulatione , qui de Latinis Librum adiderat , Latine perscripsit ; atq; item geminos de Physiognomia , & de Architectura Libellos : Exstat & eius Volumen de Metallicis , curiosorum insanæ turbæ gratissimum . Neq; enim desunt , qui Aurum pariter , & Argentum , ex ignobili materia , inanibus recoctionum artificiis procreari , atq; exprimi posse arbitrentur . Exierunt etiam in publicum Epigrammata aliquot , & Elegiæ , non dubia amatorix uanitatis inditia ; nam illustrem fœminam arsisse constat , enudasseq; animi ægritudinem procaci Musarum Lenocinio , adeo incautè , & flagranter , ut quum Surrentina uia , Stabias peteret , in eoque itinere ab obuiis salutatus fuisset , nusquam demum apparuerit . Frustra cum , Luca fratre , per sexdecim annos expectante , quum procul dubio , ab ea suspitione trucidatus , & cum seruis , & iumentis , ne ullum cædis uestigium extaret , in subiectum Mare præcipitatus existimetur .

### MYRTËI.

*Ibat Gauricus ad suos amores  
Sed diu haud potuit suos amores  
Vti Gauricus . abstulere fata .  
Verum nulla manet sepulchri imago .  
Nanque ( quod coluit pari labore  
Musas & Venerem ) uel à Camœnis  
Raptus creditur inter alta montis ,  
Qui iacet Stabias super uetustas :  
Vel Pulchræ Veneri datus sacerdos  
Tyrrheni Maris in Sinum profundum .*

### MARCVS ANTONIVS CASANOVA.

MARCO ANTONIO CASANOVÆ Comens  
se ; patre Romæ genito , arguti Epigrammatis palmam detulit illa  
M iii ipsa

ipsa Roma seueræ auris iudicio superba ; nec unquam inconfesso pudore poëtis adulatrix . quod lepida, & falsis finibus, aculeata carmina factitaret , Elocutioni tamen casta puritas , ac in numero sæpè duro lenitas defuit ; qualis in Catullo prætenere poëta conspici-  
tur , quum ingeniosè mordaci, & impuro Martiali , persimilis esse mallet , & una præsertim peracuta , circumducta'q; sententiæ gloria duceretur . Sed miscuisse utrumq; genus tum iuuit , quum paucorū uersuum spectanda posteris Elogia Priscis Romanæ uirtutis heroibus , tanquam manentibus eorum statuis inscripsisset . Nemo autem eo simplicitate , ac innocentia uitæ melior ; Nemo urbana comitate iucundior existimari potuit ; nisi Columnæ familiæ alumnus in gratiam Pompeii Cardinalis , Clementis Pontificis famam intemperantissimè lacerasset . Sed Clemens se ipso , & toto deniquè desumpto nomine maior , & augustior , reo Maiestatis , capto'q; ad supplicium facile pepercit , præclara C. Caesaris imitatione qui Catulliani dentis æternum uirus , & liuidam libertatem generosa dissimulatione contempserat . Periiit pestilenti correptus morbo , quo cladem urbis , fortuna nec innumeris saturata funeribus accumularat , quum obseffo , capto'q; Pontifice , Pompeius ipse , diuerso ingenii habitu inimici calamitate lataretur , & ruentis patriæ casum inani pœnitentia deploraret . Tumulatus est iuxta Naumachiam campi Martii Laurentiano in templo : quod olim Lucinæ dicatum fuerat , Et Blossius Palladius sodalis, quod funeris honore caruisset, hoc picè inscripto carmine , tumulum spectantium oculis ad lachrymas indicauit .

## BLOSSII PALLADII.

*Comensis Casanova , dum priores  
Et Duces canit, & canit poëtas  
Præcurtis Epigrammatis : perennem  
Ac longam sibi gloriam parauit .*

## BALTHASAR CASTELLIO.

HIC EST ILLE BALTHASAR CASTELLIO  
Mantux natus , ingenii laude , Maroni Ciui suo planè secundus ,  
qui ad exactam principalis Aulæ normam , militari, ciuiliq; munere uirum

re uirum elegantem instituit ; pariq; disciplina illustrem foeminam ,  
 descriptis Lectissimorum morum finibus effingit , quo opere iucun-  
 disimo græcæ , Latinæq; facultatis peramœnos flores decerpisse ui-  
 detur ; ut in unum uolumen nobilioris uitæ præcepta , oblectamen-  
 taq; honestissimi otii conferrentur , placere siquidem magnæ Fortu-  
 næ uiris , ut sæpe literarum expertibus , ipsisq; præsertim foeminis  
 magnopere cupiebat ; ob idq; maluit uernacula quàm Latina Lingua  
 stylum Ethrusca molliorem exercuisse ; scilicet , ut imperiti ex anti-  
 quis arguta manu surripita , translataq; scitissime non agnoscentes ,  
 ea omnia tanquàm noua mirarentur . Scripsit & Latinas Elegias ,  
 & grandi Heroico Cleopatram , sed paucis admodum Ethruscis  
 Rhythmis , quum amatorii doloris finem superba comparatione de-  
 speraret , nobilis poëtæ , famam tulisse iudicatur . In sago autem ,  
 togaq; pariter habili ingenio , & generoso quidem ore pacis , belliq;  
 muneribus interfuit , obiuitq; subitarias Legationes ad Reges , atq;  
 Pontifices , quum momenta grauisimarum rerum , non modo præ-  
 stantis animi fidem , sed expediti corporis diligentiam , celeritatemq;  
 requirerent . Nouissime annis prouectum , sed medicamentis , occul-  
 tata canitie , & multis cultus munditiis , iuuentæ decus affectantem ,  
 quum eruditæ artes in eo uigerent , Clemens ad Carolum Quintum ,  
 in Hispaniam misit ; ei , non dubio honore purpuræ destinato , nisi  
 Fortuna Romanæ urbi immane excidium struens utriusq; uota fe-  
 fellisset . Corruit enim mox Roma , Casarianorum Ducum , simul-  
 latis indutiis prodita , uideriq; potuit Castellio in ea re non satis di-  
 ligentem , aut certè parum felicem operam præstitisse , quum dela-  
 tum sibi in ea lugubri clade Episcopatum Abulensem , munere Cæ-  
 saris accepisset . Verum ea dignitate diu perfrui , uel uberiores expe-  
 ctare non licuit . Sublatus est enim , occulta febre , quum uix quin-  
 quagesimum sextum attigisset annum , ad Mantuam in Carpentari-  
 nis . Funeri eius Aulæ procures officium præstitere : nec eum Chi-  
 romantæ Ariolus fefellit , qui ex dextræ uolæ lineis , eum dignitate  
 auctum Mantuæ : sed nequaquam in Hispania moriturum prædis-  
 xerat .

### IANI VITALIS.

*CASTALIONEVM ad Tumulum dum Hispania tota .  
 Conuenit , & sancto iusta parat cineri :*

*Scipiadum manes referunt dixisse secundum  
Hic docta amisit Mantua Virgilium.*

## MARCI ANTONII FLAMINII.

*Si truculenta ferox irrumpis in agmina, Marte  
Diceris inuictæ Castalione satus;  
At molli cithara si condis amabile carmen,  
Castalia natus diceris esse Dea.*

## EIVSDEM.

*Horrida terribilis cum tractas arma, Maronis  
Castalione tui carmine digna facis:  
Idem cum molli uacuis requiescis in umbra  
Castaliæ, æterno digna Marone canis.*

## ANDREAS NAVGERIVS.

ANDREAS NAVGERIVS Patritii ordinis, Sabellico Venetiis proficiente, Latinas literas, græcas autem à Marco Musuro Cretense Patauî hausit; Sed in Latinis delectu, ac obseruatione præceptore diligentior, illum, quem superior ætas in salubri, atq; aspera styli nouitate delectata contempserat; candorem antiquæ puritatis assecutus est: ut funebribus Liuiani Ducis, & Principis Lauredani laudationibus apparet. Proposito quidem Cicero ne ad imitandum, quem Politianus, & Hermolaus fastidisse uidebantur, utpotè qui omnis eruditionis exundante copia instructi, aliquid in stylo proprium, quod peculiarem, ex certa nota mentis effigiem referret, ex naturæ genio effinxisse nobilius putarint, quàm seruili imitatione enata ad nouam frugem ingenia distorsisse. Magno tum quidem probro erat doctis, ridendis pares simiis uideri. Eodem quoq; præstanti iudicio, quum Epigrammata lepidissimè scriberet, non falsis, aculeatisq; finibus, sed tenera illa, & prædulci prisca suauitate claudebat; adeo Martiali seuerus hostis, ut quotannis statò, die Musis dicato, multa eius uolumina, tanquàm impura, cum execratione Vulcano dicarentur. Nec minore felicitate  
Ethruscos

Ethruscos numeros attigit : Sed in Liuiani contubernio castra secutus studiorum diligentiam remisit , & salubri quidem remedio , quum ingenium bilis atra ueterum Lucubrationum Vigiliis accersita haud leuiter afflixisset . Propterea scribendæ Venetæ historiæ munus à Senatu demandatum , acceptoq; liberali stipendio susceptum præstare non potuit , quanquàm non desint ; qui cum in ipso statim limine feliciter exordientem , religiosi operis grauitate deteritum existiment , quum infinita curiositate , summoq; labore , & pertinaci memoria tantarum rerum notitia paranda uideretur. Verum in ea cogitatione , ut Reipublicæ operam præstaret à Senatu ad Carolum Cæsarem in Hispaniam missus infauftam Legationem suscepit , quum in id tempus incidisset , quo Italiæ Principes,seruitutis metu ad arma consternati , affectanti dominatum Italiæ , Cæsari restitissent ; Secunda autem suscepta Legatione , quum exitiali festinatione , mutatis ad celeritatem iumentis in Galliam percurrisset , uix dum salutato Rege Blesio in oppido ad Ligerim febre correptus interiit , quadragesimo septimo ætatis anno , omniq; cum funeris honore , Rex Musarum amicissimus nec sine luctu prosecutus est .

## MARCI ANTONII FLAMINII.

*NAVGERI* ne quis tibi certet , nèue laboret  
*In cassum , laudes æquiparare tuas ;*  
*Siue Epigramma facis iuncto pede , siue soluto*  
*Defles Magnanimum funera acerba uirum .*

## IOANNES MARIUS CATANÆVS.

IOANNES MARIUS CATANÆVS No-  
 uariensis , Merulæ , Demetrii'q; discipulus , quum iustas ex utraque lingua facultates comparasset . C. PLINII Cæcilii secundi Epistolas , erudito commentario interpretatus est : collectaq; inde non mediocris eruditionis fama , Romam se contulit in domoque Bendinelli Sauli Cardinalis , cui ab Epistolis operam præstabat . Tres Luciani Dialogos diuersi caracteris in Latinum uertit , prætenere scilicet *AMORES* , uel  
 N parum

parum pudicos ; iucundo Lapithas , graui uerò , illum de Legibus conscribendæ Historiæ , tanquàm in usum suscepti à me , eius muneris Iouio nomini dicatum , ex censura quidem Scipionis Cartheromachi , quum ille in Academiam nomen daret , magnopere laudatos . Descripsit demum carmine Genuam in Heri gratiam , atque inde poësis amore iam planè senex correptus est ; sera & parum ideo felici libidine , quum Musas nunquàm tentatis numeris in iuuenta lacesisset ; Itaque Gotifredi Bolionis sacrum bellum sub titulo Solymidos , quo potuit ore decantatum est ; in quo poëma te non morosus , & æquus lector , argumenti pictatem , & quadam schemata iucundæ nouitatis admirabitur , si carmina , tanquàm salebrosa , & distortis numeris luxata probare noluerit . Id opus auctor , quum alieni ingenii iudicium subiturus , ad Bembum , me præsentem detulisset ; Lecto statim titulo , Bembus hylari comitate , nunquàm Catanæ putassem inquit , te alioqui uirum de utraque Lingua optimè meritum , hac ipsa , qua nos gaudemus carminum facultate ualuisse , quum nihil omnino , ad quod Musæ dulces arideant , in seucro , & militari uultu tuo prorsus emineat ; quo uerbo ille perstrictus , argutè respondit ; Ergo nec tu Bembe satis peritus Physiognomus uideri potes , quum te Philomusi poëtæ gratia tua florentis à dedolatis ruditer maxillis , & repando naso , enormis uultus omnino deceperit ; quo responso , omnibus exortus est plenior cachinnus ; quod Philomusus poëta , utique non insuauis , & Lyristes Bembo sodalis , è patria Pisauro Vespillonis senis Buxeam faciem referret . Nondum autem , perfectò poëmate , rediit ad pedestrem orationem , non obscure ipsa spe conceptæ laudis destitutus : perscripsitq; duos exactæ eruditionis Dialogos de potestate , & cursu solis , ac Lunæ ; & de Ludis Romanis : sed ingruente fatali morbo , absolui nequiuerunt . Periiit in urbe , quum abesset Clemens , Carolo Cæsari Romani Imperii insignia Bononiæ traditurus . Ideo , calata morte , quòd ita impetrandis sacerdotiis ex mora caueretur , ut sepulchri , & funeris honore caruerit , quum ab Academicis ad uetulonias aquas secessisse crederetur .

## MYRTËI.

*Vide uiator , quanta iactura occulti  
Esset sepulchri , ni ingeni sui claris*

Perenn

*Percennioribusq; monumentis tectus ,  
Adhuc ubique uiucret Catanæus .*

## IACOBVS SANAZARIVS .

IACOBVS SANAZARIVS Equestris ordinis poëta Neapoli natus , atq; educatus , quum præclarum fecundi , atq; felicis ingenii specimen daret , repudiato auito , gentilitioq; nomine , **ACTIVS SYNCERVS** appellari uoluit , adhortante Pontano , qui Iouiani cognomen , amicorum imitatione desumpserat : Sed origo uetustæ stirpis è Sancto Nazario, Laumellini agri, oppido , inter Padum , & Ticinum non ignobili , undè maiores aduenerant , non obscurè petebatur . Floruit amicitia Federici Regis senescente Pontani gratia : qui Aragonum nomen uehementer offenderat , quum ueluti personæ oblitus , Victorem Carolum inuidiosa , uel intempestiua Oratione publicè laudasset . Permansit in ea belli procella in officio Actius, Redeuntiq; Ferdinando iuniori armatus inter fideles ciues operam præstitit . Vndè ei conspicuus in aula gratiæ locus . Sed infestius demum urgente Fortuna, quum Federicus Regno pelleretur ; constanti studio, atq; integra fide, cum exulem in ulteriorem Galliam secutus est ; qua gratisimi animi testificatione singularem laudem promeruisse , uel eius inimici iudicabant . Scripsit , tanquàm ambi dexter , Ethrusca simul , atq; Latina carmina , pari lepore , salcq; , arridentibus utrinque Musis , quum multo felle odii subamarus præpilata iacula iambis intorqueret ; aut amorum suorum dulcedine resolutus tenerrimè lasciuires . Graui autem , & sacro poëmate , **De Partu Virginis**, uiginti annorum lima perpolito, summum decus frustra expectasse uideri potuit ; quum illæ quæ iuueni exciderant, Piscatoriæ eclogæ publico exceptæ plausu reliquorum operum famam oppresserint ; ita , ut eam publici tanquàm iniqui iudicii querelam , aperto cum pudore , nec tam sine tacita uoluptate deuoraret . Vixit annos septuaginta duos , peramceno , uirentiq; semper ingenio , accuratoq; , & planè iuuenili cultu inter amatorias oblectationes ; nunquàm non festiuus , & hylaris, ex dolore autem indignantis animi supremum concepit morbum, quod Philibertus Aurantius Dux Cæsaris Mer-  
gillinae uillæ suæ delitias temerè, excisa turre deformasset, ea ad Pau-  
N i i filypi



silypi radices conspicitur . Sed Aurantio demum acie interfecto ,  
quum hora fatalis adueniret , audito eius interitu se se in cubitum  
erigens , excedam , inquit , è uita hoc meo non inani uoto latus ,  
postquàm Barbarus Musarum hostis ultore Marte , immanis iniur-  
ria pœnas persoluit . Sepultus est iuxtà uillam Mergillinam in tem-  
plo Deiparæ uirgini ab se dedicato . Marmorco autem Tumulo  
Bembus hoc carmen inscripsit .

### B E M B I .

*DA* Sacro cineri flores : hic ille Maroni  
Synecrus , Musa , proximus , ut Tumulo .

### M A R C I A N T O N I I F L A M I N I I .

*Quantum Virgilio debet Sylua Maroni ,  
Et pastor , donec Musa Maronis erit .  
Tantum penè tibi debent piscator , & acla  
Acli diuino proxime Virgilio .*

### IOANNES MANARDVS .

IOANNES MANARDVS Ferrariensis in Panno-  
nia Vladislao Rege, medendi artem exercuit ; eandemq; demum in  
gymnasio Ferrariæ professus Epistolarum Librum edidit ; quo ma-  
gna medentibus , & pharmacopolis utilitas paratur ; quum terræ fru-  
gibus , indicisq; præsertim in Medicinæ usum adoptatis , obsoleto  
antiquo nomine , & incerta uirium potestate , perobscuris eruditam  
claritatem attulerit . Duxit autem uxorem planè senex , & articu-  
lorum dolore distortus , ab ætate , formaq; florentis iuuenis toro di-  
gnam adeo leui iudicio , & lætali quidem intemperantia , ut matu-  
rando funeri suo , aliquantò prolis , quàm uitæ cupidior ab ami-  
cis censeretur .

PEz

## PETRICURSII.

*Dum Manarde Vigil cum prole Coronidis esses ,  
 Vidisti uitam perpetuam esse tuam .  
 At dum formosa cum Pallade coniuge dormis ,  
 Sensisti mortem curuus adesse senex .  
 Hic nunc clarè iaces , & quem Podalirion esse  
 Vidimus , amosum sustulit ipsa Venus .*

## CAMILLVS QVERNVS ARCHIPOETA.

CAMILLVS QVERNVS è Monopoli , Leonis fama excitus , quum non dubiis unquam præmiis , Poëtas in honore esse didicisset in Urbem uenit , Lyræ secum afferens , ad quam suæ Alexiados supra uigintimillia uersuum decantaret. Arrisere ei statim Academia sodales, quod Appulo præpingui uultu alacer , & prolixè comatus , omnino dignus festa laurea uideretur . Itaq; solenni exceptum epulo in insula Tyberis Æsculapio dicata , potantemq; sapè ingenti patera , & totius ingenii opes , pulsata Lyra proferentem , nouo seriti genere coronarunt ; id cratex pampino , Brassica , & Lauro eleganter intextum , sic , ut tam falsè , quam lepidè , eius temulentia , Brassicæ remedio cohibenda notaretur ; & ipse publico consensu Archipoëta cognomen , manantibus præ gaudio Lachrymis latus acciperet , salutareturq; itidem cum plausu , hoc repetito sapè carmine ,

*Salue Brassica uircus corona ,  
 Et Lauro ARCHIPOETA pampinoq;  
 Dignus Principis auribus Leonis :*

Nec multo post tanto cognomine percelebris productus ad Leonem infinita carmina in torrentis morem , rotundo ore decantauit ; fuitq; diu inter instrumenta crudita uoluptatis longè gratisimus , quum cœnante Leone , porrectis de manu semesis obsoniis , stans in fenestra uesceretur , & de principis lagena perpotando , subitaria carmina factitaret ; ea demum lege , ut præscripto argumento bina saltem carmina ad mensam , tributî nomine solucrentur , & in pœnam sterili uel inepto longè dilutissime foret perbibendum . Ab hac autem opulenta , hylariq; sagina , uehementem incidit in podagram ;

N iii sic,

fic, ut bellissime ad risum eucnerit, quum de se canere iussus in hunc  
exametrum erupisset;

*Archipoëta facit uersus pro mille poëtis.*

& demum hasitaret, inexpectatus Princeps hoc pentametro per ar-  
gute responderit;

*Et pro mille aliis Archipoëta bibit.*

Tum uero astantibus obortus est risus: & demum multo maximus,  
quum Quernus stupens & interritus, hoc tertium non inepte car-  
men induxisset,

*Porrige, quod faciat mihi carmina docta Falernum.*

Idq; Leo repente mutuatus à Virgilio subdiderit

*Hoc etiam enervat debilitatq; pedes.*

Mortuo autem Leone, profligatisq; Poëtis, Neapolim rediit; ibiq;  
demum, quum gallica arma perstreperent, & uti ipse in miseriis  
perurbane dicebat pro uno benigno Leone, in multos feros Lupos  
incidisset. Oppressus utraq; præduræ egestatis, & insanabilis mor-  
bi miseria in publica hospitali domo, uitæ finem inuenit; quum in-  
dignatus fortunæ acerbicatem, præ dolore, uentrem sibi, ac intima  
uiscera forfice perfoderit.

## IANI VITALIS.

*Laurus, Brasica, Pampinus Coronam  
Contextæ simul, hinc pares in unam  
Deflent interitum sui poëtæ:  
Quinimmo Archipoëtæ, & hinc Lagenæ,  
Scyphiq; & cyathi, Amphoræ, Urceiq;  
Queruntur lepidum suum patronum,  
Pro dulci, modo, Cretico, & Phalerno  
Exhaurire acidas stygis Lacunas,  
Et sales periisse Quernianos,  
Dum uitæ, sibi, prodigus molestæ  
Fodit uiscera forfice, o seuerum  
Nostri temporis appulum Catonem.*

ALBER,

LVBE T hoc loco sub illustri scilicet imagine Alberti Pii inter exempla fortunæ humanis consiliis malignè & petulanter illudentis , eius uiri grauisissimi , genus , opes , ingenium , mores , studiaq; referre , ut uel hinc mortales inani rerum peritiæ persuasione subnixi , fortunam omni prudentia superiorem intelligant . Is antiquissima stirpe ortus à maioribus per manus traditum quum anteduoscentos annos Mutinæ imperasset , in campis Nacris , Carpum nobile oppidum possedit ; optimisq; literis , generosisq; moribus animum pariter , & corpus excoluit . Erat enim à procera , decentiq; statura ad arma neruis , & spiritu ualidus , ac habilis ; maximarum autem rerum negotiis , & literis præaltum , & incomparabile ingenium attulerat . Nihil enim uel præstantis doctrinæ , uel solertis industriæ , uel reconditæ artis , ardens eius ingenium , semperq; uiuidum , & maxime efficax subterfugit . Erat enim celeri captu expedita ratione tenaciq; memoria stupendus , eloquentia porro tanta , ut in omni congressu , & disputatione , quum de arduis consuleretur , & odio amarus , & amore prædulcis , tranquillitate lenis , atq; sedatus , & uehementia concitatus , atq; fulmineus , quo uellet principum animos impelleret ; & summus bello , & pace consultor , & mirabilis occasionum inuentor , & artifex censeretur . Quattuor summis Regibus , & totidem maximis Pontificibus in præclaro semper honore legationum operam præstitit , uigilantia , fide , & prouidentia semper illustrem . Sed uti occultæ Principum uoluntates , & erumpentia ex insperato eorum odia tulerunt , coactus est alterna partium studia profiteri , quod his omnino adhærendum iudicaret ; quibus Alphonsus Atestinus hostis esset , quo cum de possessione paterni agri disceptabat . Sed Atestini fortuna præclare ipsa Pii prudentia uirtuteq; superior , priuatam causam publicis cladibus inuoluit , atq; ita capto Clemente Pontifice , quum urbs Roma fœdè periisset , ex arce emissus in Galliam enauigauit , ubi se paterna ditione Cæsaris iudicio exutum audiuit . Inde ei diuturnus articularis morbus , quo miserè conuulsus cruciabatur adauctus est ; hunc diu æquo animo , & christiana patientia fortiter tulisse frustra fuit , quum sæua pestis fatalem horam adduceret . Obiit Lutetiæ non planè senex sub id tempus , quo Carolus Cæsar , & Solymanus , irritotrinq; ausu ad Viennam Noricam certaturi credebantur . Rodolphus Pius fratris filius , quem aliquantò post Paulus Pontifex eximæ

mix uirtutis meritò legit in Senatum , condito anteo sepulchro Patruum memoriam prosecutus est . Sed Albertus ipse, multò perennius antea sibi struxerat , quum librum longè grauiussum aduersus Lutherum , perstricto etiam Erasmo Roterodamo publicasset.

### FERDINANDI BALAMII.

*Insignes usu rerum , studiisq; Minervæ  
Perpaucos ætas prisca recensq; dedit ;  
In solem , assuctus doctos uersare libellos  
Quum prodit , lucem non tulit insolitam ,  
Laudibus hunc omnes doctrinæ , & rebus agendis  
Conspexere domi , conspicuumq; foris .  
Hunc Arar , hunc Rhenus toties , hunc accola magni  
Eridani , hunc Tybris sensit , & obstupuit .  
Fortuna inuidit , raperisq; Alberte , tuorum ,  
Italiæq; omnis cum gemitu , & lachrymis .*

### IVLII GONZAGÆ.

*Hoc decus Italiæ tegitur Pius ille sepulchro  
Solerti ingenio , consilioq; potens :  
Nulli hominum uis dicendi , facundia maior ,  
Ille sed & studiis auxit , & arte magis .  
Hunc Reges , hunc Pontifices sibi rebus agendis  
Optarant socium , consiliisq; Ducem .  
Felix , spem senii natum nisi flectet ademptum ,  
Et data in hostiles Regna paterna manus .*

### LVDOVICVS ARIOSTVS.

LVDOVICVS ARIOSTVS Nobili genere Ferrariæ natus , quum paterna hæreditas inter numerosam fratrum sobolem diducta , ipsi pertenuis obuenisset , ingenium in literis uigilanter exercuit , ut certo , nobiliq; præsidio familiæ nomen tueretur : Sed uti pari propè necessitatis , & gloriæ stimulo uehementer excitatus feliciore certè iudicio inter primos Etruscæ Linguae poetast

tas celebrari , quàm inter Latinos in secundis gradibus consistere maluit ; quòd eius industriæ labor cum eruditis , ac idiotis latisimè dispensatus, uberiorem præsentis præmii , & diffusæ laudis fructum ostenderet . Adhæsit comes Hippolyto Atestino Cardinali in Pan- noniam profecto ; quum ille erudito , ac illustri comitatu apud Re- ges Hungaros ambitiosè gauderet : Sed iterum euntem , quum sequi recusasset usq; adeo grauius offendit<sup>ut</sup> penè implacabilis odii discrimen adierit . Receptus inde est ab Alfonso Principe tanquàm hora- rum omnium amicus , & sodalis , cuius benigna manu urbanam do- mum extruxit , peramœna hortorum ubertate , frugum mensæ quoti- dianos sumptus adæquantem : in eo autem ciuili otio , extrà Aulæ strepitum poëmata factitauit . Satyras imprimis , mordaci sale con- spersas , ac item Comœdias plures theatri uoluptate , sæpè repeti- tas , inter eas autem , maximè Suppositi excellunt , inuentionis , atq; successus amœnitate cum Plautinis facile contendentes , si utriusq; sæculi mores non ineptè comparentur . Sed Luculentissimum ope- rum , ob idq; forsitan æternum id uolumen existimatur , quo Or- landi fabulosi Herois admiranda bello facinora , octonario modulo decantauit . Boiardo herclè , ipsoq; Pulcio peregregiè superatis . Quandoquidem & hunc rerum , & carminum accurata granditate deuicerit ; ac illum surrepto inuentionis titulo , ac eo quidem uariis elegantioris doctrinæ Luminibus illustrato penitus extinxerit . Cun- cta enim euoluisse uolumina uidetur , ut sibi undiq; collecta gra- tia , ex iucundissimis floribus longè pulcherrimam : ideoq; peren- nem , quo lepidum caput ornaretur coronam intexeret . Interiit in patria , scalaris ætatis anno , quum diu pectoris angustia , ex pitui- tæ stillicidio laborasset : hoc autem carmen , uiuens composuit , ut sepulchro incideretur .

### IP S I V S .

*L V D O V I C I Ariosti humanatur ossa  
 Sub hoc marmore : seu sub hac humo : seu  
 Sub quicquid uoluit benignus hæres :  
 Siue hærede benignior comes : seu  
 Opportunius incidens uiator :  
 Nam scire haud potuit futura : sed nec*

O Tanti

*Tanti erat uacuum sibi cadauēr :*  
*Vt urnam cuperet parare uiuens ,*  
*Viuens ista tamen sibi parauit*  
*Quæ scribi uoluit suo sepulchro ,*  
*Olim si quod haberet is sepulchrum :*  
*Ne cum spiritus hoc breui peracto*  
*Præscripto spatio misellus artus ,*  
*Quos ægrè antè reliquerat , reposcet :*  
*Hac , & hac cinerem hunc & hunc reuellens ,*  
*Dum noscat proprium , diu uagetur .*

## ÆGIDIUS CARDINALIS.

NON est cur te præteream Ægidi humili quidem loco , uerum  
 maxime illustri fato , Viterbii nate : Christiani scilicet oratoris in  
 sacra pergula , primum , atq; ultimum decus merite ; quanquàm  
 egregia illa ex arcanis Moscos deprompta sublimis ingenii monu-  
 menta tenebris adhuc impie suppressantur . Præstantissimum enim  
 præceptorem facile superasti Marianum scilicet Genezanensem Pon-  
 tani , & Politiani admiratione , eruditoq; præconio inclytum , huius  
 enim extat in Epistolis laudatio florentissima , illius uero nobile car-  
 men , quod in Ægidio Dialogo tale legitur .

*Qualis Alphæi liquidos ad amnes*  
*Sine Meandri uiridante ripa*  
*Concinit serum moriens in ipso*  
*Funere Cygnus .*

*Talis ad plectrum ad Thyasos Deorum*  
*Ludit in cælo Marianus , ipsa*  
*Morte uicturus Marianus , ipso*  
*Funere felix .*

*Ipse sis felix , faucasq; nobis*  
*Ipse ades fcsis Mariane rebus*  
*Tu preces audi miserorum , & iras*  
*Siste tonantis .*

Cæterum Marianus , Ægidij .cōparatione ad optime glorioseq; dicen-  
 dū nequaquā tanta ex Græcis noui , & ueteris instrumenti enarrato-  
 ribus præfidia compararat ; neq; penetrarat ad Chaldaeos , ut admi-  
 randa

randæ nostræ legis fundamenta reuclaret ; neque concionibus prædulce illud , & nobile poëticum melos instillaret ; ut suspensos arrectis auribus animos , suauitate carminum ad colendam pietatem reuocaret . Sed Ægidius quum in suggestu uerè admirabilis æquo iudicio per omnes Vrbes oratoriæ facultatis lauream mereretur , etiam domi lepidissimis sermonibus nouam laudem ferebat . Erat enim eius ingenium exquisito literarum omnium delectu grauiter instructum sic , ut in omnes exemplorum casus peramplas opes alacris , & expedita memoria suppeditaret . Facundia porro tanta dissimulatis illecebris audientis semper exhylarans , atque demulcens ; ut ipso concionante uel maxima templa complerentur . Ante autem id tempus , quo totius Eremitani ordinis præfecturam à Iulio consecutus est , nonnunquam accidit , ut Patauî optimis literis operam nauans , factitata ab se lepida carmina ad lyram elegantissimè decantaret . Ei demum Leo Pontifex uirtutem omnem liberaliter exornare solitus honorè purpurei Galeri detulit ; quum Petruciana coniuratione , & Vmbrico bello circumuentus , Senatum aut malignè , aut segniter Principis iniuriam ferentem supplere cogeretur . Exinde functus est legatione in Hispaniam , quum Selymo post debellatos Persas , & duos Memphiticos Reges interfectos , nobis arma comminante , christianæ gentes ad sacrum bellum excitandæ uiderentur . Sexagesimo ætatis anno subita oppressus Pituita Romæ interijt , quum Clemens Carolum Cæsarem Bononiæ iterum excepisset destinatus , optatusq; à multis ad Pontificatum tanquàm par summo oneri : Sed non decrant , qui præclari nominis famam , uerbis eleuarent , quòd pallorem oris sumpto cumino , & suffitu uix pallex mentiretur , uariasq; libidines censoria seueritate contegeret , quas demum malignus potius rumor quàm ulla certi uestigii relictæ proles detexit . Fit enim quadam naturæ minimè benigna sorte , ut nulla absolutæ uirtutis præclara facies enitere possit , nisi aliquem uitii turpem nauum ad eludendam felicitatem ostendat .

## IANI VITALIS.

*Ante sacrosanctos cineres bona uerba Viator  
Dicito , diuinus hic iacet Ægidius ;  
Qui potuit lingua humanas inflectere mentes*

O ii Et



*Et trahere hærentes feruidus ad se animos .  
Quicquid pandit Arabs , diuinum quicquid Erebus  
Diues Aramæis occultit in tabulis  
Explicuit populis , & si quid spiritus ultra  
Sentit , adhuc sanctum quod meditetur habet .*

IOANNES FRANCISCUS  
PICVS MIRANDVLA.

IN IOANNE FRANCISCO PICO Mirandulano inter studiosos bonarum artium , scribendiq; auidos memoria uerborum uehementer excelluit : Sed in ipso rerum delectu illud perillustre iudicium, quod summo uiro Hippocrati maximè difficile existimatur , omnino non uiguit. Frustra enim ad Ioannis Patruī gloriam aspiranti , ingressiq; grauisimorum studiorum penetralia, quum infatigabili lectione duceretur , nusquā Minerua satis arriserat . Extant eius sacra Poëmata suis quoq; Commentariis illustrata , ne Legentibus minus clara uiderentur: Et Libri de ueritate fidei christianæ , in quibus Disciplinarum omnium acruus eminet. Sed acriter disputantem inter Cucullatos , magna etiam expeditæ Doctrinæ Laus sequebatur, quum scribentem, uel mediocriter eloquentes minimè probarent . Neq; enim quid potissimum imitaretur, constitutum habuisse uideri potest ex duobus præsertim Libellis , de optimo imitationis genere ad Bembum perscriptis . Sed quum in omnibus ingenii operibus sacras Literas religiosè respiceret , contempsisse Latinæ facundiæ flores , atq; inde gloriam , tanquā inane existimari uoluit ; quanquā eius uniuersa literarum studia , tanquā illustri in homine & in domo sanctissimis moribus perornata , quum in minus seueros iudices facilè inciderent, splendidiora uiderentur : & herclè uir antiqua simplicitate , potiusquā nouo astu æquiora iudicia redimebat; quum Libros ipsos priuato impressos sumptu , liberali largitione publicaret . Interfectus est cum Alberto filio , uir indignus adeo crudeli uitæ exitu à Galeotto fratris filio , quū nocturnis insidiis , capta arce, Mirandulæ dominatū , ex paterno iure inuadendum existimasset . Fuere qui crederent merita fortasse pæna mulctatum , quòd cudendæ monetæ miserum artificem ipsius officinæ præpositum ex impuri auri , & ad Decumum subtiliter

subtiliter improbi, magnum sensim Lucrum ipsi Domino reddentem, crudeli supplicio ad deriuandam inuidiam sustulisset; *quum* intellecta fraus ipsius famæ uehementer officeret, palamq; ea aurea moneta, ex eius effigie spectabilis, uulgato uitii detrimento reiciiceretur. Sed iuuat audire quosdam, uirum alioqui integra fide optimum, excusantes, tanquàm eius auaræ fraudis penitus ignarum, quum in uxorem, quòd esset accurata, & diligens materfamilias, tanquàm muliebris auaritatis probro notatam, eius flagitii nomen nullo cum pudore referendum existiment.

### MYRTEI.

*HIC Picus iacco, atque me illa, quæ iam  
Antè non potuerit, nunc iniquo  
Me seruant obitu arma literarum.  
Aegrè illud fero concidisse dextra  
Fratris filii hoc cleuor, me adeptum  
Vitam pro studiis meis percenem.*

### NICOLAUS MACCIAVELLVS.

QVIS NON MIRETUR, In hoc Macciauello tantum ualuisse naturam, ut in nulla uel certè mediocri Latinarum literarum cognitione ad iustam rectè scribendi facultatem, peruenire potuerit; habili siquidem ingenio, ac ubi solertiam intenderet, planè mirabili, cuncta, quæ aggredieretur elegantissime perficiebat, siue seria, siue iocosa scriberentur. In historia enim apprimè grauis, & astutus, ita Patriæ fauit, ut dissimulatis factionum studiis, impellente recondita Libidine, & lenis, & asper incesse iudicetur; egregia herclè cum laude, nisi uti nos non imperiti rerum Ethruscarum præclare conspiciamus, prædulcis eloquentiæ mella, occulto ueneno illita, singulis operibus infudisset, & tum etiam, quum optimum Principem formaret, quum bellicis præceptis Ducem instrueret; & deniq; traditis exactæ prudentiæ documentis, in deliberando, & consulendo eximium Senatorem effingeret; Sed comiter æstimemus Ethruscos sales ad exemplar Comædiæ ueteris Aristophanis, in Nicia præsertim Comædia, in qua adeo iucundè uel in tristibus risum excitauit, ut illi ipsi ex persona scitè expressa, in Sce-

O iii nam

nam inducti ciues , quanquàm præalte commorderentur , totam iniuste notæiniuriam, ciuili lenitate pertulerint : Actamq; Florentiæ, ex ea miri leporis fama Leo Pontifex , instaurato ludo , ut urbi, ea uoluptas communicaretur , cum toto Scenæ cultu , ipsisq; histrionibus Roman acciuerit . Constat cum , sicuti ipse nobis fatebatur, à Marcello Virgilio , cuius & notarius, & asseda publici muneris fuit, Græcæ , atq; Latinæ linguæ flores accepisse , quos scriptis suis insereret . Ipse quoq; natura perargutus , & docilis , falsiq; iudicii plenus pedestrem patrii sermonis facultatem à Boccacii conditoris uetustate diffluentem , nouis , & planè atticis uinculis astringerat ; sic , ut ille castigatior, sed non purior aut grauior otiosis ingeniis existimetur. Caterum quòd olim ciecto Soderino à Mediccis in quæstione tortus fuisset, ab his leniendo dolori , annuam scribendæ historiæ mercedem promeruit ; ita tamen , ut agrè compresso odio, quum dicendo, scribendoq; Brutos , & Cassios laudaret , eius coniurationis architectus fuisse putaretur : in qua Aiactus poëta , & Alamanus, ex ipsa Turma prætoria leuissimus eques , concepti sceleris capite pœnas dederunt . Fuit exinde semper inops uti irrisor , & Atheos : Factoq; functus est , quum accepto temerè pharmaco, quo se aduersus morbos præmuniret, uitæ suæ iocabundus illusisset , pauló antequam Florentia Cæsarianis subacta armis, Mediccos ueteres Dominos recipere cogretur .

### ANTONII VACCÆ CONSILICENSIS.

*Quisquis adis , sacro flores , & ferta sepulchro  
Adde puer , cineri debita dona ferens .  
Nam uete res belli , & pacis , qui reddidit arteis  
Iam pridem ignotas Regibus , & populis  
Etruscæ Macciauellus honos , & gloria linguæ  
Hic iacet . hoc saxum non coluisse nefas .*

### PHILIPPVS DECIVS.

PARI ferè gloria, & dignitate PHILIPPVS DECIVS in professione humani , diuiniq; præsertim iuris floruit . Maini Iasonis , & ciuis , & æmulus , ac ætate simul æqualis ; sed qui docendo,

docendo, & scribendo in omnibus Italiae gymnasiis multò latius ingenii famam protulerit . Enarrabat enim subtilissimè , & uti saepe uidimus longè omnium acerrimè disputabat. Ab ipsis Pisis ubi uxorem duxerat , Ticinum à Gallo Praeside , opimis stipendiis euocatus, in id tempus incidit, quo Ludouicus Rex ad conuellendam Iulii Pontificis auctoritatem concilium Pisis indixerat. Fugitiuq; ideoq; Rebelles , aliquot Cardinales in gratiam Regis, synodum postulabant . Ius uerò in dicendi , decernendiq; loci , Pontifex ad se reuocabat; Consultus propterea Decius super ea re intemperanter contra Maiestatem Pontificis de scripto respondit , secus ac Iason , qui rogatus sententiam , uel magno munere oblato adduci non potuit, ut non clementissimè responderet. Ob eam contumeliam Matthaeus Sedunensis Cardinalis , pulsus Gallis uictore cum exercitu , Ticinū urbem ingressus, unam omnium Decii domum , militi diripiendam dedit , tanto accepto incommodo in Galliam ex fuga profectus in ciuitate Biturigum ius Diuinum edocuit per duos ferme annos. Inde uerò in Italiam reuersum Senenses conduxerunt; qua in urbe , unica eius filia Senensi patritio collocata octogenario maior interijt . Delatusq; est Pisas ad Sepulchrum Marmoreum magno sumptu ab se in Maximi Templi fronte constitutum, inscriptione adeo inepta , ut si eam supponamus elegantibus ingeniis non sine pudore boni mortui , ridenda uideatur .

### IANI VITALIS.

*Dum curat Decius sibi sepulchrum  
Clarum marmore ponere eleganti  
Inscripsit titulos ineruditos ,  
Ut risum magis excitare possint ,  
Quam laudare hominem undecumque clarum :  
Quod si non sibi cultius sepulchrum  
Quam doctos titulos , & elegantes  
Curasset , modo mollius iaceret.*

### THOMAS MORVS.

FORTUNA impotens , & suo more instabilis , infestaq;  
uirtuti si unquam superbe , & truculenter iocata est , sub hoc nuper  
Henrico

Henrico Octauo in Britannia immanissimè desceuiit. Prostrato ante alios Thoma Moro , quem Rex , paulò ante præclarus eximia uirtutis admirator ad summos honores extulerat, ut inde cum fatali scilicet oborta insania , mutatus in feram , crudeli mox impetu præcipitem daret , quòd ipsius furentis tyranni , nefariæ libidini , uir omnibus religionis, atq; iustitiæ numeris longè optimus , atq; sanctissimus adulari noluisse; Dum enim ille uxorem repudiare , pellicem inducere , filiamq; magno probro abdicare properaret , Morus scrinii Magister , pietatis ac innocentia suæ Reus , causam ad tribunal dicere coactus , impio iudicio , nisi par metus ab irato & sauo , mentes excuteret , ita damnatus est , uti Latronum more , terribimo supplicii genere necaretur ; nec fas esset dilacerata membra , propinquorum pietate sepelire : sed Henricus , uel hoc uno facinore Phalaridis æmulus eripere non potuit , quin ad sempiternam inuistati sceleris memoriam , Mori nomen in utopia , perenni constantia laude frueretur . In ea enim Beatæ gentis Regione , optimis instituta Legibus , ac opulenta pace florentem Rempublicam elegantissimè descripsit , quum damnatos corrupti sæculi mores fastidiret, ut ad benè , beateq; uiuendum , commento periucundo , rectissima uia monstraretur .

### IANI VITALIS.

*Dum Morus immerita submittit colla securi  
Et flent occasum pignora cara suum ,  
Immo ait infandi uitam deflete tyranni  
Non moritur , facinus qui graue morte fugit .*

### IACOBI EXERICHII HISPANI.

*Henricus Morum gladio iugulauit iniquo  
Tam dignum uita , quàm fuit ipse nece :  
Mortuus ille tamen uiuet per sæcula cuncta  
Post mortem uirtus uiuere sola facit .*

INCER.

## INCERTI.

*Quis iacēt in tumulo , cuius caput ense recisum est ,*      *Hospes.*  
*Et natat in tetro sanguine canities ?*  
*Hic est ille Thomas Morus , sic fata rependunt ,*      *Civis.*  
*Tristia multa bonis , & bona multa malis .*  
*Quæ circūstunt Diuæ lugubre cadauer ?*      *Hospes.*  
*Diua tenax ueri , sancta fides , Nemesis ,*  
*Harum prima odii causa , & fuit altera mortis ,*  
*Vlrix iniustæ tertia cadis crit .*

## ROFFENSIS CARDINALIS.

P A R I quoq; immanitatis portento, ante paucos dies, quàm  
 Morus obtruncaretur, eadem sanguinarii Regis rabies Britanniae  
 lumen extinxit Ioannem Ficerium Antistitem Roffensem animi pie-  
 tate, candore, constantia priscis illis, atq; sanctissimis christiani or-  
 dinis patribus comparandum. Is quum summa sacrae eruditionis,  
 & probitatis autoritate clarissimus spectaretur, uel atrocissimi sup-  
 plicii metu, expugnari non potuit, ut Regi ex impudenti repudio  
 inauspicatas nuptias affectanti, uolens pareret. Putabat enim Re-  
 gem paulo ante admirabili uirtutum omnium concentu, & rarissi-  
 mis naturæ, atq; fortunæ muneribus præstantissimum, atræ bilis  
 morbo correptum insanisse, quod iratus Romani Pontificis senten-  
 tiæ, qua fuerat ex Diuini iuris formula damnatus, Pontificii Impe-  
 rii patrimonium inuasisset. Non subscripsit ergo nefario rebellan-  
 tis Regis uoto, uir egregiè pius, integrèq; seuerus, ac ideo in car-  
 cerem ductus est, ut uitæ periculo, & longo cruciatu, imbecilli se-  
 nis constantia frangeretur. Id celebre factum ita Roffensi parauit  
 laudem, & Henrico inuidiam cumulauit, ut cum P A V L V S  
 Tertius ad exornandam uirtutem natus, collato sacrae purpuræ ho-  
 nore legerit in Senatum. Sensit illico exprobrati odii uulnus  
 Rex superbus, & impius, sanctissimoq; uiro modeste ea dignita-  
 tis fama permoto, caput in foro præcidit, ne merita purpura  
 ornaretur. Ferunt id caput lanceæ præfixum ut ludibrio, ter-  
 roriq; cæteris foret, publicis lachrymis laudatum, ac adora-  
 tum extitisse. Reliquit ingenii monumenta, Eruditum uolumen  
 P      quo

quo Lutheri opiniones gratisimè confutarat : itemq; alios utiles libros, quibus sacri sacerdotii auctoritatem defendit, & de ueritate corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia libros quinque aduersus Oecolampadium : Sed is sibi admodum exitialis fuit, quo Catharinæ Reginae coniugium tuetur . Extat etiam Religiosæ meditationis explicatio in septem Dauidicos Psalmos, Reliqua in carcere purgatissimè conscripta , quòd damnatæ causæ nomen iugularent , Tyrannus aboleuit .

## INCERTI.

*T'è ne uiri tanti cernicem abscindere possè?  
T'è ne cruore pio commaculare manus?  
Si uita spolijs Roffensem barbaram, quando  
Vllum producet terra Britanna parem?  
Sed tu sancte senex æuo frui ture beato  
Lætus abi, in cælum te uocat ipse Deus .*

## LEONICVS TOMÆVS.

LEONICVS TOMÆVS Epirota patre Venetiis genitus , sed Patauio insitus ciuis, quum Florentiæ græcas literas sub Demetrio didicisset, Primus Latinorum philosophorum Patauii Aristotelem græcè interpretatus est . Philosophiam enim, ex purissimis fontibus, non ex lutulentis riuulis salubriter hauriendam esse perdocebat , explosa penitus sophistarum disciplina, quæ tum interimperitos , & Barbaros principatum in scholis obtinebat , quum doctores excogitatis Barbara subtilitate Dialecticorum figmentis, Physicas quæstiones non ad ueritatis lucem , sed ad inanem disputandi garrulitatem reuocarent; & iuuentus in gymnasio Arabum, & Barbarorum commentationes secuta à recto, munitoq; itinere in confragosas ignorantiae crepidines duceretur . Scripsit eruditè, & luculenter Commentarios in parua naturalia Aristotelis : ac item pereleganter aliquot quæstiones , & in his de Intellectu , de Alica , & de Astragalo , Tituli uarietate iuuentuti gratas , & utiles . Sed in libro de uaria historia quo ingens , & peramœna recondita lectionis copia exprimitur , omnes eius ætatis styli iucunditate superauit . Vita eius procul à contentione , ambitioneq; , in studio,

studioſo , molliq; otio uerſabatur , ita , ut domi, quàm in ſchola clarior , bencuolis uera Peripateticorum , & Academicorum dogmata ſuauiſſima comitate pomeridianis horis explicaret . peruenit ueneranda Barbae canitie ad ſeptuageſimum tertium ætatis annum , mediocri ſubſtantia , ipſaq; ciuili frugalitate , & cœlebs , & felix, quòd nemo uel innocentia , & doctrinae conſcientia , uel munditia corporis, uel animi nitore, beator ætate noſtra fuerit. Alucrat domi gruem, de manu ipſius , ſenili oblectamento cibaria capientem per quadraginta annos . Is ſenio tabefactus , quum periſſet , ex eius deſiderio triſte omen concepit, prædixitq; nullo lacceſſitus morbo, ſe non multò poſt adamatigruiſ fatum maturo uitæ exitu ſecuturum , Patauini , externaq; gymnaſii cultrix iuuentus funus ornauere . Sepulchrum autem Bembus faciundum curauit , & carmine nobilitauit.

### B E M B I.

*NATVRÆ ſi quid rerum te forte latebat ,  
Hoc legis in magno nunc Leonice Deo .*

### A V G V S T I N V S N I P H V S.

A V G V S T I N O N I P H O Sucſſæ ad Auruncam nato : ſed ab Vrbe Tropheæ in Brutiis oriunde inter Ariſtotelicae ſectæ profeſſores eximia laus contigit , quum in omnibus ferè Italiae gymnaſiis Achillino , & Pomponatio florentibus , opima ſtipendia meruiſſet . Erat ingenio fertili , adaperto , liberali, ſermone autem Campanum pingue quoddam reſonanti maxime libero, & ad ſerendas fabulas in ſuggeſtu , coronaq; ad uoluptatem aurium periucundo ; ſed uel toto ore ſubagreſti , & penitus inſaceto ita ſe ad urbanos iocos componebat , ut ualdè mirarentur , qui mox tacentis ſupercilium , auſteraq; labra , & lineamenta conſpiceret . Scripſit in omnes Ariſtotelis Libros perampla commentaria , ſed rudi , & incondita quadam ubertate , ut tum mos erat , craſſis & planè barbaris auribus accommodata , quòd Latine , rectèq; ſcribendi facultatem, tanquàm inimicam optimis diſciplinis ab ipſa præſertim philoſophia ſegregabant . Luculentius eius operum exiſtimatur id , quod pro Auerroc aduerſus Algazellem diſputante tum publicauit, quum florente ætate à multo uigore ingenii neruoſior haberetur , quanquàm

P ii ipſe



ipse in opinione , decretoq; parum constans, euariatoq; sæpè iudicio  
commentationes in Analytica Priora, & in libros de anima tenerius  
adamasse uideamus . Parto demum otio , obrepenteq; podagra,  
scripsit aduersus Astrologos , Moralesq; Libellos , & de Tyranno  
& Rege , & de Auguriis, uarietate tituli uel parum curiosis expeten-  
dos , & longiore quidem dignos uita, si plenior Latini sermonis spi-  
ritus accessisset . Susceptis liberis , & senescente uxore septuagenas-  
rius senex, puellæ citra libidinem impotenti amore correptus est usq;  
ad insaniam , ita , ut pleriq; philosophum senem , atq; podagricum  
ad tibix modos saltantem , miserabili cum pudore conspexerint, un-  
de illi maturatum uitæ exitum constat . Perit in patria nocturno iti-  
nere refrigeratus , quum serò è Sinuessâ rediisset , obortis scilicet  
tonsillis , quæ fauces obsederant , ea ipsa nocte Ethruriæ admodum  
funesta , qua Alexander Medices, in Lecto turpissimè confossus in-  
terit : Galecius Florimontius quum Præceptori Vrnæ poneret  
hoc carmen incidi iussit .

### INCERTI.

*Dum lapidi titulum mœrens GALEATIUS addit ;  
Et tristi curat funera cum gemitu :  
Si quis honos tumuli ; Non hoc tibi NYMPHE supremum ,  
Sed patriæ , & misero stat mihi munus , ait .  
Næ' uiuis meliore tui tu parte : leuamen  
Luctus nos mediis quærimus in lachrymis.*

### MARCI ANTONII FLAMINII.

*Qui docuit rerum Niphus cognoscere causas ,  
Non rerum oblitus hoc iacet in tumulo ,  
Sed cælo meliore sui cum parte receptus  
Nunc gaudet melius discere quàm docuit .*

### IOANNES RVELLIVS.

*RVELLIVS in Vrbe Sucssionum natus , quum susceptis  
Liberis uxorem extulisset , abdicata medendi arte , Sacerdotium in  
templo*

templo Deiparæ Virginis , Lutetiæ Parisiorum Poncherii Antistitis liberalitate promeruit, totumq; id otium optimis literis , ut fortunis auctum decebat , impendit , non ignobili quidem gloriæ prouentu, quum eruditionis autoritate Budæo proximus esset, & Latini sermonis nitida puritate superior haberetur , ut præclare indicat Dioscorides in Latinum è græco emendatè traductus . Leguntur & libri aliquot probe , fideliterq; translati de Mulomedicina , & Actuarii Medici Volumen de Urinis, sed proprio usus ingenio librostres de natura stirpium perscripsit , Theophrastum in multis , & Plinium eleganter æmulatus . Extant quoq; singulari diligentia translati è græco quinq; libri de Agricultura ex uiginti qui nomine Constantini circūferuntur, Reliquos Coroneus Gallus uertisse dicitur : Sed Cornarius Germanus expedita facundia cceleber , uniuersos uiginti Latinitate donatos nuper publicauit ; Erat Ruellius natura modestus , & lenis , uultu multo rubore suffuso , & resinis naribus , statura uerò mediocri . Sexagesimo ætatis anno uita functus est , pauló ante quàm Rex Franciscus niuosas alpes traiceret , ut copiis suis Cæsarianorum impetu percussis fortiter opem ferens, subalpina oppida, summotis hostibus in fide confirmaret ; ut inde in speminauspicatæ pacis induciæ pararentur .

## DIONYSII CARRONII.

*HIC situs est, in quo uiguit medicina, Ruellus  
In quo naturæ notitia, atque Poli.  
In quo prima fuit dos, Graium uertere scripta  
In Latium, ac Latio scribere digna Ioue.  
Olim erat affinis, nunc est conuiua Decorum  
Præmiâq; illa sui grata laboris habet.*

## ANTONIVS TIBALDEVS.

**HIC PRIMVS** ferè post Petrarcam supra æmulantes Seraphinum, atq; Manutium planè extinctum Ethrusci carminis decus excitauit, usq; adeo grata auribus alternantium numerorum sua uitate , ut quum expetitis ubiq; eius iucundæ facultatis illecebris in amatorios lusus Principum aulas perambulasset : Edita , uel surre-

P iii pta

pta eius carmina à uiris pariter & fœminis ad Citharam cantarentur . Sed tantam mox famam feliciore orti sydere Bembus, & Synerus aternis carminibus oppresserunt. Agnouit ille tanto perstrictus fulgore, ingenii sui fortunam, atq; ideo ad Latina carmina se conuertit, quum in his ad genium non insulsa uena responderet. Sed factus grandæuus senex, ridente urbe Roma carminum suorū Ethruscorum exequiis interfuit, ita herclè ut euanescentis antiquæ laudis magnam partem redimeret, quum Epigrammata multo Latino sale, leporeq; conspersa inexpectatus edidisset. Perijt in uia lata octogenarius senex, firmissimo corpore, & celsa prosperitate, semper erecto, stranguria cruciatus, adeo grauiter, ut ex atra demum bile se ipso factus amarior sæpè, nec insulse delirare uideretur, quum ianua, fenestrisq; penitus occlusis Carolum Cæsarem ex Africa, relato insigni triumpho, ad eius limen transeuntem spectare noluerit, quod cum minime iustum Imperatorem putaret, qui sub fide publica captæ, deletæq; urbis scelus, quo Maiestas eius uel extra culpam sugillari potuit; decumatis legionibus minime uindicasset, quasi non satis fuerit, in tantæ cladis solatio Borbonium, Dorbinium, Moncatam, & Aurantium, quattuor summos Duces, & patrati facinoris authores, singulis iectos fulminibus, ultore magno numine spectauisse.

#### COLÆE BRUNNI MESSANENSIS.

*QUÆ* Ripis te sæpè suis stupuère canentem  
*Eridanus, Tyberisq; parens ille, hic tuus hospes,*  
*Credibile est Vates, Antoni, nunc quoque campis*  
*Te canere Elysiis, turba admirante piorum.*

#### ERASMVS RHOTERODAMVS.

ERASMVS RHOTERODAMVS Ex insula Batauorum perpetuis cruditiæ laudis honoribus extollendus uidetur. Postquàm ætatis nostræ scriptorum prope omnium decus ingenii fertilitate superarit. Is ab adolescentia, pio religioso animi decreto, ad cucullatos sacerdotes se contulit, tanquàm humana despiceret. Sed non multo post, pertesus uoti intempestiue seruitutis uotiqtèmerè suscepti ea sacratì ordinis læpta transfiliit, ut ad excolendum

dum ingenium planè liber, per omnia Europæ gymnasia uagaretur. Contendebat enim cura ingenti ad summæ gloriæ fastigium, ad quod literarum omnium cognitione perueniri posse intelligebat, quum iam ad arcana cuiusq; doctrinæ, infinita lectione, inusitataq; memoria penetrasset. Edidit Moriam, atq; inde primam nominis famam longissimè protulit, imitatione Luciani Satyræ pungentis aculeos passim reliquens, omnium scilicet sectarum actionibus ad insaniam reuocatis. Opus quidem salsa aspergine periucundum, uel grauib; & occupatis; Sed sacrato uiro prorsus indecorum, quum diuinis quoq; rebus illusis uideretur. Sed maturè demum quòd eius intemperantiæ, malè audiendo pœnas daret, sanctiores literas complexus est, tanta robustissimi ingenii contentione, ut uertendo græca & commentarios excudendo, plura quam quisquàm alius uolumina publicarit; Verum se ipso haud dubiè cunctis admirabilior futurus, si latinæ linguæ conditores grauiter imitari, quam feruido, properantiq; ingenio indulgere maluisset. quærebat enim peculiarem laudem ex elocutionis, atq; structuræ nouitate, quæ nulla certa ueterum æmulatione pararetur, ut in Ciceroniano, non occulti lioris plenus ostendit; Tanta enim erat naturæ fecunditas, ut plena semper ac ideo superfoetante aluo, uaria & festinata luxuriantis ingenii prole delectatus nouum aliquid quod statim ederetur, Chalcographis, tanquàm intentis obstetricibus parturiret. Obiit apud Heluctios Friburgo in pago, siue ut aliqui asserunt Basiliæ septuagesimum excedens ætatis annum, quum Carolus Cæsar in prouinciam irrumpens, ad Aquas Sextias, Francisco Gallia Regi graue bellum intulisset.

### IANI VITALIS.

*Lubrica si tibi mens fuit, & spinosior æquo,  
 Ingenium certè nobile Erasme fuit:  
 Felix si mistas labruscas dulcibus uuis  
 Prodigæ desisset uinea ferre tua:  
 Barbarie è media præclarum sydus haberent,  
 Et te Varronem tempora nostra suum:  
 Hanc tamen inscriptam his titulis posuere columnam,  
 Iactura hic laudum publica facta fuit.*

INCER

## INCERTI.

*Theutona terra suum quum miraretur Erasmus  
Hoc maius potuit dicere , nil genui .*

## RUTILIVS.

RUTILIVS è Colonia oppido Vicentini agri , quum erudito diligentiq; eius ingenio Nicolaus Ridulphus Cardinalis familiariter uteretur , ex umbratili iureconsulto flamen euasit , quòd nunquam in forum prodiisset . Edidit enim uolumen ab industria , atq; facundia commendatum de his qui florente Romano Imperio iuris intelligentia præstiterunt ; quo laborioso , elegantiq; opere Cicronem obiter à multa mendorum labe repurgauit . Maiora porro editurus uideri potuit ; nisi immatura mors lucubrantem Venetiis oppressisset . Amici autem poëta , de eo tanquam conspicui sepulchri honore , ex humili fortuna facile carituro , hæc carmina decantant .

## PETRI CURSII.

*Vt mors Rutilium sensit tot reddere uitæ  
Styx uale , ait , uitæ iam patefacta uia est .*

## CROTI.

*Exciri ut Legum latores sensit ab Orco  
Inuida mors fusis protulit hæc lachrymis :  
Quam uerè eiusdem est inferre , auferreq; Leges ,  
Lege horum cum Lex penè refixa mea est .*

## IANI VITALIS.

*Viuitur in chartis , Rutili felicius ipsis ,  
Cum uideant mortem marmora , & æra suam .  
Absumpsit priscos Legum Libitina peritos ,  
Tu facis in scriptis uiuere , & esse tuis .*

Quam

*Quàm meritò illi igitur dicent, æternior ære  
Est tua, & æternis pagina marmoribus.*

## GVLIELMVS BVDÆVS.

N VLLI MOR TALIV M. Ætate nostra perpetuis Lucubrationibus aspirante Fortuna, cum græcæ, tum Latinæ eruditionis maiores opes contigerunt, quàm GVLIELMO BVDÆO non Galliæ modo, sed totius etiam Europæ longè doctissimo. Natus Lutetiæ præcellentium disciplinarum celebri domicilio, dum perennem spectaret laudem, & rei familiaris fortunas, honoresq; ingenio suo, & sperata gloria uiliores arbitraretur, Sexaginta amplius ætatis annos in studiis consumpsit, ita, ut summæ eruditionis Libro de Assè, alteroq; in Pandectas edito, ac infinita demum lectione confectis Commentariis, quibus græcæ, & Latinæ facultatis ornamenta comparantur, nulli communicata laude, æquales omnes doctrinæ auctoritate superarit. Sed qui in memorie thesauris tantas diuitias miro digestas ordine continebat, ueluti occupatus in apparatu, candidioris eloquentiæ cultum neglexisse existimatur. Id enim in toto studiorum negotio longè grauissimum, nemo, nisi irrita spe senectuti unquam reseruauit. Adaugebant nominis famam in perspicuo animo sanctissimi mores, quibus aliquantò uberiora rei familiaris incrementa, quàm pertinaci diligentia, uel honoris ambitione, educatis feliciter liberis reliquit, quum Rex Franciscus, subita liberalitate inclytus, optimi uiri otium foueret, & ipse supplicibus libellis præpositus, honestissimo prouentu ditaretur. Sed uir alioqui incorrupta mente compositus Erasmiæ obrectationis spicula ferre non potuit, quum facile indignabundus, bile gallica redundaret, ille autem contumaci odio incensus tela ueneno Batauo delibuta iacularetur. Septuagesimum tertium agentem annum opprescit febris longinquo & æstuoso ad Armoricum oceanum itinere concepta. Pie autem tranquilleq; uita excedens condito testamento, omnes honores funeris & tumuli penitus abdicauit, ita ut, quum numerosa proles eum lugeret, noctu tumularetur. Fato functus est, non multo post celebres illos hospitaes Triumphos, quum Cæsar ab Hispania per mediâ galliam in Belgas profectus, gentem bello fessam, festa passim hylaritate in spem pacis crexisset.

Q IANI

## IANI VITALIS.

*QUI Sanctum simul, & simul disertum  
Exquiris sapientiæ magistrum  
Vltra quid petis? hic iacet Budæus.*

## SALMONII.

*Budæus uoluit media de nocte sepulchro  
Inferri, & nullas prorsus adesse faces:  
Non factum ratione caret, clarissima quando  
Ipse sibi Lampas, luxq; corusca fuit.*

## HIERONYMVS ALEANDER.

DE TVR HOC INCOMPARABILI inusitatae memoriae felicitati, quæ in Hieronymo Aleandro supra cuiusque uel antiqui sæculi captum admiranter excelluit, ut eius ex uero depicta facies, uel in pudenda ingenii sterilitate inter fecundissimas imagines conspiciatur, quando nihil eum cuncta uolumina cupide perlegentem, uel rerum, uel uerborum omnino subterfugerit, quin singula memoriter, uel à multis annis longo sepulta silentio recitaret. Latinae enim, graecaeque literae, quum saepe alacriter iactabundo pro uernaculis haberentur, Hebraicas admirantibus iudeis & suae stirpis eum facile credentibus solertissime didicit. His ingenii dotibus insignis, quum Lutetiae Parisiorum graecè docendo honorem praefecturae gymnasii concordi studiosae iuuentutis acclamatione esset consecutus; uenissetque in urbem, Leo Pontifex grauisimus ingeniorum aestimator, eum extulit, misitque Legatum in Germaniam, ut Lutheranae haeresis initia, disputatione tollerentur, exinde Clemens Brundisium, casu potius quam animi iudicio Antistitem fecit. Paulus autem uerae uirtutis eruditus exornator legit in Senatum, Lætatus est ea purpura per annos quinque peruasurus haud dubie ad exactam ætatem, nisi nimia tuendae ualitudinis sollicitudine intempestiuis medicamentis sibi hercle insanus & infelix, medicus, uiscera corrupisset. In toto autem uitae cursu, extemporanea facundia delectatus serò ingenii labem sensit, quum ad meditatam scriptionem purior eloquentiae uena, uti externo & praecepti

no & precipiti quodam luto perturbata minimè proflueret , ita spe melioris styli , miserè destitutus, quum uastum opus, uasta illa memoria aduersus singulos disciplinarum professores agitaret . Romæ interiit fato suo uehementer indignatus , quum se præreptum anno uno ante climactericum inter anxia, supremaq; suspiria quereretur. Tumulatus est in æde Transtiberina Diuo Chrysogono dedicata, ea testamenti lege , ut sepulchrum , græco carmine ab se composito , cum reliquis titulis inscriberetur , quo nouas clades imminere nobis ominatur in hanc sententiam .

#### IPSIUS.

*Excessi è uitæ ærumnis facilisq; , lubensq; ,  
Ne pciora ipsa morte dehinc uideam .*

#### IANI VITALIS.

*Non tibi literulis ornare Aleandre sepulchrum  
Fas erat , at uastam ponere Pyramidem ;  
Stesichorosq; inter celebres , sanctosq; Platones ,  
Ex auro solidam stare tibi statuam:  
Vidimus in te uno diuinæ insignia mentis ,  
Et plusquàm humani par decus ingenii ;  
Nunc periit tecum , quantum uix sæcula mille  
Quantum uix præstent millia mille hominum .*

#### LAMPRIDIUS.

LAMPRIDIUS Poëta Cremonensis, quum in colle Quirinali schola græcorum adolescentium , instituyente Lascare coalesceret , docendi munus suscepit exercitatione perutili; quod argumenta proposita utriusque linguæ uerbis, & figuris ad mutuam ingeniorum æmulationem uerterentur . Sed crepto Leone , & subinde euersis optimarum literarum studiis , Patauium se contulit, ubi per aliquot annos domi excollaticia mercede delectorum iuuenum græcas, & Latinas literas , maiore quæstu , quàm gloria professus est. Nunquàm enim ( uti erat ) elato , contumaciq; ingenio adduci potuit , ut publicum suggestum conscenderet , ne cum eloquentioribus

Quibus,



bus , uel minus eruditis , ambigua existimationis aleam subiret ;  
 Nouissimè Federicus Gonzaga , ut filio præceptor effect , Mantuam  
 acciuit . In eo munere , Septenne discipulo , & uix degustata Princi-  
 pis liberalitate minimè senex lateris dolore , surreptus est . Scripsit  
 Odas æmulatione Pindarica cruditæ & graues , sed ob id plerisq;  
 minus iucundas , quod Prisci imitatione q; difficilis poëtæ cursum ,  
 tanquàm inflati , & tortuosi fluminis sequutus insolentior , & durior  
 Latinis auribus euasit . Fit enim , monente Flacco , ut quæ optima  
 & excellenter græcè ornata intelliguntur , uel paribus numeris tra-  
 ctata ad genium Latinæ suauitatis minimè respondeant .

## MYRTËI.

*Ergo ego , nobilium ò genitrix , atque hospita uatum  
 Mantua , quod nimium uicina Cremona Maroni  
 Obfuerit , solus pœnas abs te ipsè reposcor ?  
 Ille sôli tantum damnum tulit : atq; ego de te ,  
 Mantua , de q; tuo meritis bene principe , cara  
 Pro patria , & uitam , & cineres tibi reddere cogor .*

## ASPASIAE AMICAE.

*Sepulchro inscriptum in templo Sancti Andreae .*

*LAMPRIDIVM Carum Musis hic Mantua seruat.*

## MARCI ANTONII FLAMINII.

*Perdideras Varium , nostro sed tempore laudes  
 Lampridius renouat docta Cremona tuas .  
 Ille sophocleo cantabat digna cothurno ,  
 Iste canit lyricos pindarico ore modos .*

## GASPAR CONTARENVS CARDI.

**GASPAR CONTARENVS** Patritii ordinis Ve-  
 netus , ab insigni memoria , illustriq; doctrina , & corporis , ac in-  
 genii

genii castitate mirabilis , ad Rempublicam ita accessit ; ut grauitate iudicii consumata prudentia Senatoribus æquaretur : atq; inde maturata maximarum Legationum munera capesseret , non ætatis quidem , sed una uirtutis prerogatiua commendatus . Iuuenis enim , tanquàm perfectus Peripateticus Aristotelem à calumnia defenderrat , quanquàm modestiæ causa suppresso nomine , aduersus Pompeponatium præceptorem , quum ille , si non insano , impio tamen conatu animas nostras interire cum corpore , ex Aristotelis sententia persuadere Libro edito contendisset . Appulit exinde ingenium ad sacras literas adeo diligenter , ut ad normam Christianæ disciplinæ Librum , de optimi Antistitis officio publicaret , In ipso autem ciuiliu honorum cursu , honestum , decorumq; sibi , & patriæ De Repu. Venetorum uolumen edidit , ut institutæ Leges ex antiquo more ciuitatis in mandandis honoribus , ad memoriam posteritati traderentur . Nouissimè Paulus Pontifex , Augusta illa generosi iudicii maturitate facilè superiores Principes antecedens nihil tale expectantem in Senatum legit , Purpuraq; ornatum in Germaniam legatum misit ; ut diris quorundam animis , concepta Lutheri factio salubri adducto dogmate sanaretur : Sed post eam rem , casso labore semper actitatum , quum in urbem rediisset , Legatus Bononiæ creatus est ; In eoq; munere , paucos post menses , nondum sexagenarius , rapida febre interiit . Sepulchrum eius , Lateritii operis in æde Diui Proculi ad leuam , cum hoc carmine conspicitur .

### MARCI ANTONII FLAMINII.

CONTA RENE tuo docuisti magne Libello  
*Extinctis animas uiuere corporibus .*  
 Ergo iure tui uiuunt monimenta Libelli ,  
*Et uiuent sæclis innumerabilibus .*

### EIVSDEM.

Descripsit ille Maximus quondam Plato  
 Longis suorum ambagibus uoluminum  
 Quis ciuitatis optimus foret status .  
 Sed hunc ab ipsa sæculorum origine

Q iii Nec

*Nec ulla uidit, nec uidebit ciuitas .  
 At CONTARENVS optimam Rempublicam  
 Parui Libelli disputationibus  
 Illam probauit esse, quam millesima  
 Iam cernit æstas Hadriatico in Mari  
 Florere pace, Literis, pecunia .*

### IANI VITALIS.

*CONTARENE tibi pietas dum dia parentat,  
 Et queritur longo amissum Res publica luctu,  
 Itc ait illustres animæ, uitalia sæcla,  
 Heroum, & uestro Athletæ exornate sepulchrum  
 Floribus, hic ueris docuit rationibus esse  
 Immortalem animam summa de mente creatam .*

### HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA.

QVIS IN HENRICI CORNELII AGRIP-  
 PÆ sedato uultu, portentosum ingenium latuisse crediderit? Hic  
 enim immenso captu, uastaq; memoria, scientiarum, artiumq; om-  
 nium rationes, arcanaq; intima & summos apices complexus, di-  
 sciplinas conuellit, religiones in dubium reuocat, studiorumq; om-  
 nium labores festiua declamatione deridet, coq; uehementius, atq;  
 ualidius quod tantæ nouitatis argumenta sacrarum literarum aucto-  
 ritate confirmantur, quasi feliciore opere illudentis ingenii tantas  
 opes ostentare nequiuert, nisi uir educatus in literis, & à Cæsare  
 eruditionis ergo Equestris ordinis dignitate honestatus, importu-  
 nos Arietes inanis eloquentiæ aternis optimarum Literarum arcib;  
 bus admouisset: Sed ad hoc cum plausu à multis exceptum uolu-  
 men de uanitate scientiarum, alium addidit Librum de occulta phi-  
 losophia curiosis admodum pestilentem, quod opus, ex censura  
 christiana, edicto, uetitum apud unos impios reperitur, Sed in  
 utroq; serio, pariter & ioco grauior, atq; lepidior, ac ideo forsitan  
 aternus appareret, nisi puriorem eloquentiam non secus ac reli-  
 quas facultates infelici uel inepto iudicio contempsisset: Excesit è  
 uita nondum senex apud lugdunum ignobili, & tenebroso in diuer-  
 sorio

torio, multis cum tanquam Necromantiæ suspitione infamem execrantibus, quod Cacodæmonem nigri canis specie circūduceret, ita ut quum propinqua morte ad poenitentiam urgeretur, cani collare loreum magicis per clauorum emblemata inscriptum notis exolverit, in hæc suprema uerba iratè prorumpens, abi perdita bestia quæ me totum perdidisti, nec usquàm familiaris ille canis, ac assiduus itinerum omnium comes, & tum morientis Domini desertor, postea conspectus est, quum præcipiti fugæ saltu in Ararim se immergisse nec enataste, ab his qui id uidisse afferbant, existimetur.

IOANNIS BAPTISTÆ  
POSSENNI.

*Viuens quem cernis ne te fortasse moretur  
Os placidum, Stygii Rex fuit iste lacus:  
Quare etiam custodem habuit dum uiueret orci  
Cui nunc in tenebris præda daret comitem.  
At hic si ingenium moderari scisset, ad auras  
Tantum issæt, quantum Tartara nigra subit.*

BAPTISTA PIVS.

Non erit ullo sæculo agrestibus præsertim grammaticis ingratum, Pii nomen, urbanis autem, & elegantibus uiris unquam iniucundum. robusto enim ingenio, tenaciq; memoria præualidus doctissimi famam meruit, quum obscuros authores interpretandos suscepisset. inepta quidem Beroaldi præceptoris æmulatione cuius in Asinum Apuleii commentationes exierant, in iis fuere Fulgentius, Sidonius, & e poëtis Plautus, Lucretius, & Valerius Flacus. exoleta enim rancidæ uetustatis uocabula delectu infano sectabatur; admirante quidem discipulorum inscia turba, quum planè à non insulsissimis rideretur: Siquidem eius sermo, stylusq; Oscoꝝ, & Aboriginum linguam pingui, atq; aspera nouitate referebant; quàm nonnulli lasciue ludentes discere percuperent, nisi contagiosi uitii periculo terrerentur, factum autem breui est, ut ea obsoletæ, & ridendæ passim elocutionis uerba tanquam Portenta in Scœnam transferint, confecta scilicet à lepidis ingeniis mirabili fabula, hæc enim impressa extat, qua suo habitu suoq; idiomate Blatterantis Pii persona

persona inducitur , ab obiurgante , reprehendenteq; Prisciano meri-  
 tas flagello plagas , puerorum malediscendum more , clunibus nu-  
 datis excipiens . Tum enim Phædrus ad antiquæ pronunciationis  
 decus romanam iuventutem glorioso studio reuocabat , quum Lu-  
 dis Capitolinis stupende apparatu , miraq; felicitate Plauti Penu-  
 lum per ingenuos , nobilesq; comædos representata florentis quon-  
 dam urbis fortuna , edidisset , id expetente Leone , quod tum frater  
 Iulianus à Populo Romano Ciuitate donaretur . Caterum Pius qua-  
 drato ingenio eos nasutorum rumores contempsit , sua conscientia  
 profecto felix , quod neminem se uidere diceret , eruditi nomine di-  
 gnum , qui de ui & tota facultate uel abstrusa lectionis interroga-  
 tus præclare , & constanter prolato præsentis doctrinæ thesauro mi-  
 nime responderet : id enim ipse uegeta rerum omnium , & in sene-  
 quidem admirabili , recordatione , tam probe , quàm superbe præ-  
 stare erat solitus . Sed uel sero ita explosi styli ultimum agnouit , ut se  
 totum ad Ciceronem reciperet , & multa in eo elucidando commen-  
 taretur ; cum Postremo quum Bononiæ , Mediolani ; & Lucæ per  
 quinquaginta annos docuisset , Paulus Pontifex tanquam ueterem  
 suum familiarem , in urbem acciuit : publicoq; in munere defunctus  
 est octogenarius , summa temperatura firmitate aduersus morbos in-  
 uictus , contigit ei subita , ac inexpectata mortis lenissimum ge-  
 nus , quo diuinus Plato felix fuisse iudicatur ; Præsus enim hylari-  
 ter , & remota mente mappa subinde lectitans Galeni librum , in  
 quo de signis propinqua mortis agitur , deprehendit fatales in un-  
 guibus maculas , & dixit ergo sæua Parca instans uitæ meæ filum  
 commordet , nec multo post nullo acri clementis utiq; mortis impe-  
 tu concussus in complexu Probi Priuernatis Poëtæ leniter expira-  
 uit , Tumulatus est in templo diui Eustachii his carminibus hone-  
 status .

### LEONARDI MARSI.

*Ingenio tentasse Pius se se omnia cernens  
 Nunc repeto , dixit , Sydera , terra uale .*

### ANTONII VACCÆ.

*Felsina quem genuit , studiis consumptus , & annis  
 Ille Poëta Pius Bibliotheca loquens .*

Hic

*Hic situs est . qui cum priscæ omnis gratia linguæ  
Et Plauti ueteres interiere sales .*

## FRANCISCVS ARSILLVS.

FRANCISCVS ARSILLVS è Senogallia per triginta annos , alternante ingenii libidine Æsculapio filio , patriq; Apollini sacra fecit ; quum Medicinam uti popularis , & pedestris ordinis Medicus ad alimenta uitæ passim exerceret , & quotidiana fere carminum fœtura letaretur . Natura enim frugi , & aureæ libertatis custos , Vaticanam Aulam , & potentium limina , contumaci quadam superbia deuittabat . Scripsit appposito carmine ad præscriptum , proloquia Hippocratis , & lepidum item libellum de poetis urbanis , mihi tanquam ueteri sodali dedicatum , quum Leone ingeniis liberaliter arridente , multi undique poëtæ illustres , nequaquam ad inanes spes in urbem confluxissent , & pulcherrimo quodam certamine à singulis in una tantum statuae materia scriberetur , qua carminum farragine Coritius homo Treuir , humani iuris Libellis præpositus , uti perhumanus poëtarum hospes , ac admirator inclaruit ; ea scilicet statua insigni marmorea , Aureliano in templo dedicata , inuitatisq; Vatibus , ut tria numina Christi Dei , & Matris , ac Auix uno in signo celebrarent . Sed Arsillus qui se se artis præsidio aduersus morborum contumeliam præmunens uitam satis extenderat , intercute morbo oppressus , septuagesimum ætatis annum superare non potuit .

## IANI VITALIS.

*Carminibus nostros celebraſti Arſylle poëtas  
Qualia dictarunt Phœbus , & Anides :  
Nos memores grati officii tibi ſerta dicamus  
Myrthea Pyrmillæ munera grata tuæ :  
Optamusq; tibi ſedes ubi ſancta piorum  
E lyſios inter dicitur eſſe cohors .*

R      Ergo

## HONORATI FASITELII.

*Ergo uidemus lumine hoc spirabili  
Cassum iacere te quoque ,  
Ut plebe quiuus unus è uili iacet ,  
ARSILLE , magno Apollini ,  
Nouemq; Musis care ; siue poculis  
Præsentibus morbi graues  
Essent leuandi , siue dulci carmine  
Dicenda mater aurea  
Cupidinum , lususq; furtorum leues .  
O' uota nostra inania :  
Quid dura fati non potest necessitas ?  
Ida lyram mihi puer ;  
Manuq; funde proniore cæcubum ;  
Nunc sunt Lyæi munera ,  
Nunc plectra cordi ; nunc iuuat lectissimo  
Cinxisse flore tempora :  
Sicci tenebris obsiti tristi in styge  
Fortasse cras silebimus .*

## MOLSA.

MARIUS MOLSA Mutinensis , eximium atque habile ad poëticam ingenium à natura consecutus , Latinis Elegis, & Ethruscis Rhythmis pari gratia ludendo Musas exercuit tanta quidem omnium commendatione , ut per triginta annos, qui Romæ Meccænatæ nomen tulere , insigni liberalitate , studioq; adiutum adipiscendis honoribus efferre contenderint : Prægrauante semper eius genio , quum rediuiuis toties amoribus occupatus , par ingenio studium subtraheret , neque habitu , uel incessu, ulloque nobili commertio carminum famam tueretur ; Fœde prodigius , honestiq; nescius pudoris neglectum rerum omnium ad innoxie libertatis nomen reuocabat usque adeo supine , ut summæ laudis , & clarioris fortunæ certissimam spem facile corruperit . His moribus , quum Venerem , quàm Mineruam impensius colebat ab illa meritum pudendo contactu miserabilis morbi , quo periret

ret uenenum hausit . Ab hac uero sempiternam ingeniilaudem retulit , non à iucundo tantum carmine quo lasciuisse uidetur . Sed pedestri etiam , grauiq; facundia , qua Laurentium Medicem , nefaria libidine antiquis statuis , noctu illustria capita detrahentem apud Romanos ab ea iniuria dolore percitos accusauit . Ea enim perscripta oratione Laurentium usq; adeo pudore , & metu perennis probri consternatum ferunt , ut atroci animo , quo inuistam ignominia notam nouitate facinoris obscuraret interficiendi Principis , amiciq; singularis immane consilium suscepit ; scilicet ut Diis inuitis Patriæ libertas pararetur , uel si cuncta humanæ , & fraternæ simul amicitia , hospitalisq; cubiculi , sanctissima iura tollerentur , nec Regum omnium salutis interesset , quum eo uno exemplo , omnis uel in arcano uitæ securitas expiraret , dum ille altè stertenti , tanquam tyranno parum nobili , si non scelestæ manu , uitam eriperet .

### TRYPHONIS.

*Qui lepido ueteres æquauit carmine Molsa  
Hic iacet ætatis maximus huius honos .*

### FRANCHINI COSSENTINI.

*Molsa iaces , tua fama uiget , tua scripta leguntur ,  
Felix qui potuit uiuere post obitum .*

### MARCI ANTONII FLAMINII.

*Postera dum numeros dulces mirabitur ætas  
Siue Tibulle tuos , siue Petrarca tuos ,  
Tu quoque Molsa pari semper celebrabere fama ,  
Vel potius titulo duplici maior eris ;  
Quisquid enim laudis dedit inclyta Musa duobus  
Vatibus , hoc uni donat habere tibi .*

### ALBERTVS PIGHIUS.

MAGNA herclè naturæ illudentis inuerecundia , excellen-  
R ii tem



tem doctrinam cum illustri eloquentia coniunctam, si christiani scriptoris decus spectetur, multa infaceti oris truculentia operam, in Alberto Pighio conspeximus. Is Campo Batauorum uico editus, secutusq; Adriani Pontificis fortunam, quæ ex disciplinis peregrè didicerat, latini sermonis elegantia feliciter exornauit. Ita ut subtilissimarum scientiarum placita, & si quid durum, atq; difficile ex sacris literis nouitate rerum ac nominum scribentibus offertur, prudenter ac molliter explicaret. Sed in differendo uultus Scythico more contusus & enormis, & aspero gutture uox educta, & grauius resonantis nasi tumultus, totam ferè sapientiæ gloriam deformabant. Admirabili quoq; cum ingenii, tum manuum argutia excelluit, ut potè qui ærea instrumenta deprehendendis syderum cursibus, exactissimè fabricaret. Verum in libro de Hierarchia quo ueluti acutissimo gladio Lutheri causam iugulauit, ferè nemini concessam pietatis & doctrinæ laudem adeptus est. Quum id uolumen commentaretur, ut direptam ab impiis sacrosanctæ potestatis hereditatem Romano Pontifici assereret eum è summo uitæ periculo certissimum Dei maximi numen cripsit. Bononiæ enim in celeberrima pompa, quum transeunte coronato Cæsare Carolo Quinto pars ligni pontis iuxta Cæsarem turbæ pondere corruisset, Albertus tignorum, atq; hominum ruina ita oppressus est, ut probitatis, ac instituti operis merito seruaretur. Obiit nondum senex in patrio solo, sacerdotiis à Clemente, & Paulo liberaliter honestatus.

### MYRTI.

*Qui extrema Batauū profectus ora  
Non bello ore, animo sed omniumq;  
Præclarus studio scientiarum  
Pro Republica, & optima Quiritum  
Sede, acer stetit hostis in Lutherum  
Albertus iacet hic. Sacrum sepulchro  
Da Tibus maxime Pontifex, & undam.*

### BENEDICTVS IOVIVS NOVOCOMENSIS.

Q V O iusto nomīne te appellem Benedicte Ioui? qua satis digna

gna cum laude te prosequar uix scio , amore siquidem naturaꝑ ger-  
 manus frater , summo charitatis officio pater optimus , moderatus  
 educator , & diligens in literis magister extitisti , ut erga me orba-  
 tum patre nec adhuc pubescentem , omne munus perfectæ uirtutis  
 adimpleres . Sed hæc alii fratribus fortasse plenius præstiterunt , tu  
 certe , quod ad spem immortalitatis pertinet , quum patriam hi-  
 storiam , atq; item res gestas , & mores Heluciorum eleganter per-  
 scriberes , ingenium meum , ueri gloriosiꝑ itineris monstrator , amu-  
 latione domestica succendisti . Scilicet ut nostrorum temporum hi-  
 storiam cogniti orbis res gestas complectentem , exordiri atq; per-  
 ficere posse , te demum admirante , feliciter auderemus . Verum hæc  
 una crit tua peculiaris Christianæ modestiæ laus , quod frugi con-  
 tentus uita ex nobili coniugio , Iouiam familiam uetustate quàm  
 fortunis clariorem præclara sobole amplificasti . Supra id etiam fe-  
 lix , quod ambitiose patria nunquam pedem extuleris , nisi ut Me-  
 diolani Demetrium græcè profitentem pronunciationis causa audi-  
 res , qui eam linguam nullo præcunte magistro didiceras . Indeꝑ  
 perpetua uitæ innocentia ac animi tranquillitate æquatus summis  
 Philosophis ad tertium & septuagesimum ætatis annum perueneris ,  
 nihil morbis , corpore affecto , uegetaꝑ semper illa incredibili rerum ,  
 & nominum memoria , & integro intentoꝑ ardentis ingenii uigo-  
 re , quo dudum centum epistolas grauissimæ eruditionis posteris  
 dedicasti . Sed hæc & græcæ translationis non ignobilia opera cum  
 lepidis poëmatibus , cruditorum liberorum diligentia publicabit .  
 Ego uero te , quanquam ex merita pietate haud dubiè cœlesti felici-  
 tate beatum frustra singulis horis cum fletu requiram , & eo qui-  
 dem grauius , atq; molestius , quo instantis senectutis sperata solatia  
 fato tuo mihi erepta , satis dolere non possum , nisi tibi malorum fi-  
 nem , & perennis boni uel serò partam possessionem , impicè aut im-  
 pudenter inuideam . Elatus est nobilium iuuenum humeris , tumu-  
 latusꝑ in templo maximo , qui honos nemini adhuc nisi sacrato ui-  
 ro , Comi contigit .

IOANNES BAPTISTÆ POSSE-  
 VINI MANTVANI.

*Claudere Musæum iam Paulus coeperat , atque  
 Extremam chartis imposuisse manum ;*

R iii Cum

*Cum subito exclamat Benedictus , muneris huius  
Siccine me expertem frater abire sinis ?  
Non datur hoc , Iouius , uiuenti , dixit , at ille  
Perpetuum sperans uiuere , latus obit .*

## *ANTONII SERONIS.*

*Quod sis ultima Pars IOVI libelli  
Id fratris Pictate , & arte factum est ,  
Ne uel Charior aptiorue imago  
Olim quàm tua iacet ulla se se  
Signasse hunc Lepidissimum libellum.*

DESIDERANTVR autem à nobis multorum imagines qui præclara , quum iam pridem obierint , scriptorum testificatione ingeniorum suorum effigies famæ consecrarunt. Frustra enim eas , uel diligentissima uestigatione perquisiuius, sic tamen , ut minime desperemus uiros elegantes huic honesto uoto humaniter suffragaturos . Alii enim aut statuas , aut picturas publicis, aut priuatis in locis ostendent , aut turpiter apud propinquos neglectas, aut occultatas indicabunt . Quid enim in toto nobilis officii genere honestius esse poterit , quàm in Musæum , quo publicus uirtutis honos ad exemplum & uoluptatem continetur , exoptatas imagines liberali pietate contulisse?

## *MAPHEI VEGII LAVDENSIS.*

QVI HEROICO Spiritu Maronem feliciter æmulatus, quum Æncidem addito Libro supplcuisset , omnes fere à mille annis illustres poëtas , nec excepto quidem Petrarca Laureato, præclara cum laude superauit . Sed grauioris quoque doctrinæ , & summæ prudentiæ

prudentiæ opinione , Martini Pontificis amicitiam consecutus in conferendis sacerdotiis supplicium Libellorum officio præfuit, ita, ut mox Eugenio, & Nicolao carissimus fuerit. Extat & eius iucundus nobilisq; Dialogus de præstantia disceptantium , Terræ , Solis & Auri, & ne quid ad cumulata[m] eruditionem uero christiano deesse[re]t, quædam etiam in sacris literis sinceræ interpretationis glossæ mata reliquit, Aureumq; præsertim Libellum de rebus antiquis, memorabilibus Basilicæ Sancti Petri, in quo donaria, sepulchraq; Pontificum referuntur .

IACOBI GVIDII VO:  
LATERANI.

*Felix , dum studet addito libello  
Æneam Vægius referre ad astra ,  
Illustres alios it ante uates  
Asserta sibi gloria Maronis .*

IOANNIS TORTELI.

QVI Arctii natus ingenium omnibus ferè disciplinis excultum Romam attulit , meruitq; inde , ut ab optimo Pontifice Nicolao intra cubiculum curarum, & consiliorum particeps, & sacrorum studiorum adminiculator ascisceretur. Suauitate enim sermonis, hilariq; modestia æquales antecessit , inter quos pudenda simulas in sanis altercationibus excitata , omnem literatæ dignitatis existimationem fœdisimè conuellebat. Sed Tortelius exacti grammatici laude contentus fuit , edito nobili, æternoq; uolumine de potestate literarum , quo maximum renascenti eloquentiæ lumen adfulsisse uidemus , Diui quoq; Athanasii uitam Eugenio expetenti latinam fecit . Sed quid maius Tortelio in toto genere laudum tribui non ineptè potest , quando cum Valla disertissimus omnium grammaticus, tanquam summum censorem sibi delegerit ?

BARTHOLOMEI FACII.

HVNC Spedia intimum Lunensi in Portu Lyguriæ oppidum protulit , utriusq; linguæ peritia insignem , sed certè clariorem  
si Genuensium

si Genuensium uictorias de Veneto hoste naualibus præliis partas, incorrupto iudicio perscripsisset; Nam Valla, quanquàm suspectus hostis, & irrisor, nihil cum aqua prudentia, nihil ex lege conscribendæ historiæ, dum illa conderet, perpendisse testatur. Sed Alfonso Rex ueræ gloriæ cupidus, eum ideo liberali stipendio conduxerat, ut res suæ bello gestæ, quæ erant absoluto scriptore dignissimæ, posterorum memoriæ mandarentur, Eo nomine quanquàm in diuersa materia; Vallæ æmulus factus obtrectatione Laudis peracrem uirum ita pupugit, ut talionis, immortalis uulnere facile suscepto, clarior euaserit, alioqui secundam famam meritis, quum Arrianum de rebus ab Alexandro Magno gestis, è græco Latine loquentem edidisset. Subsecutus est prope hostem Vallam pari, ac importuna factorum iniuria elegantioribus studiis creptum ita ut non infacetè hoc carmen Epitaphio subscribendum cederetur.

*Ne uel in clypeis sine Vindice Valla susurret,  
Faciùs haud multos post obit ipse dies.*

### GVARINI VERONENSIS.

AB HOC insigni uiro, græcæ, Latinæq; literæ obscuris illis temporibus antiqui sæculi normam, quadratæq; structuræ ordinem, & diu quæsitum decus receperunt. huius quoq; immortalis beneficio, Strabonem ferme totum legimus, atq; item aliquot Plutarchi Vitas in Latinum accurate conuersas. hæc parta laus manauit ad filium, qui tali hæreditate peculiariter honestatus, æmulatione patris, quum iisdem studiis operam dedisset, rem utiq; & familiæ nominis dignitatem diligenter adauxit.

### PETRI PAVLI VERGERII.

IS IVSTINOPOLI in Histria natus, Chrysoloræq; discipulus, græcas literas ex purissimo fonte haustas illustribus discipulis humanissime refudit, ut inductis passim eius linguæ riuualis, Italiam planè sitientem irrigaret. Latine autem scribendi, singularis, eo sæculo, facultas enituit, uti apparet ex eo libello, qui de educandis liberis ad exactam disciplinam, peramone atq; prudenter scriptus, me puero, in scholis legebatur.

IACO:

## IACOBI BRACELLII LYGVRI.

PRÆCLARO huius exemplo liquidissimè constat, non effususq; adeo dura atq; aspera Lygurum ingenia, quum à quibusdā damnatae eius terræ glabris cautibus assimilentur, ut non facile Musarum cultura molliantur. . Scriptit enim Alfonsi Regis res bello gestas, omnium scriptorum collatione, qui nuper antecesserint longè grauisime, si eius sæculi nondum perpolitam eloquentiam cum ea conferamus, quæ demum inducta subtiliore antiquorum imitatione candidior euaserit.

## GEORGII VALLÆ PLACENTINI.

QVI DISCIPLINAS, literasq; omnes, uno ingenti uolumine complexus multa potius didicisse, quàm in eo celeri transcursu perdiscenda posteris reliquisse uidetur. quandoquidem coacervantis omnia, indefesseq; scribentis, requisitus ille Romanæ elocutionis spiritus omnino defuerit, quo uno uoluminum uita præclare alitur, longissimeq; producit.

## IOANNIS SIMONETÆ.

HIC FRANCISCI SFORTIÆ Res gestas elocutione, texturaq; operis. C. Cæsarem alludendo imitatus, Latine perscripsit: is demum liber, ut diffusius, in castrisq; præsertim à militibus legeretur, à Landino in Ethruscum sermonem conuersus est. Erat Ioanni Germanus frater Cichus, ille in Brutiis natus, qui Galeatio à coniuratis interfecto, quum pupilli incorrupta fide tutelam suscepisset, nefaria ambitione, Ludouici patruis captus, damnatusq;, Fatalis constantiæ suæ abscissis ceruicibus pœnam subiit, mitiore aliquantò fortuna erga Ioannem, quum in eadem quæstionis acerbitate diu tortus euaserit, ualido scilicet apud Tyrannum pudore, ne uideretur ingratis sublati, qui patrem summæ uirtutis principem, ne unquàm interiret, beneficio literarum immortalem effecisset.

## BERNARDI IVSTINIANI VENETI.

HIC à prima patriæ nascentis origine historiam scribere orsus

sus , quod susceperat graue munus elegantissime perfecit,ita,ut cum nobili gloria dignum existimemus , quum patritius , eruditoq; patre genitus , quod patriæ debebat egregie , cumulateq; persoluerit .

### CHRISTOPHORI PERSONÆ ROMANI.

IS inter diuæ Balbinæ flamines in Auentini montis cœnobio prior appellatus Procopium Latine loquentem fecit, non dubia in Leonardum Arcetinum conflata inuidia, qui suppresso græci authoris nomine , Gothicam historiam , tanquàm è uariis scriptoribus decerp- tam pro sua Iuliano Cæsarino Cardinali , qui ad Varnam ab Amu- rathe cæsus periit , nullo pudore nuncuparat .

### GEORGII TIPHERNATIS.

HVIVS Doctissimi uiri munere reliquam Strabonis par- tem , quàm Guarinus nō attigerat, in Latinum splendide traductam legimus , Fama quoq; fertur Herodiani historias eius ingenio, labo- req; fuisse translatas , quasi eas morienti subtraxerit Politianus uir in literario negotio sæpè conuictus furti ; Sed uix credibile uidetur, ut uir in omni dicendi facultate , opulentissimus, idem atq; promptissi- mus , ex alieni ingenii labore famam probro, & calumnia redundan- tem quassisse uoluerit .

### RAPHAELIS VOLATERRANI.

FVIT hic Vir infinitæ propè Læctionis , quippe qui discipli- nas omnes in accruum coniecerit utili potius in aliena desidia, quàm ad explicatæ doctrinæ decus nobili opere ; non multo enim cum sale , & sine ornamento Latinæ orationis , cuncta astricto ordine ita digesit , ut alibi quærenda legentibus indicare uideatur: ea uerò quæ , de Principibus ætatis suæ scripsit , tanquàm timido ore , car- ptim enarrata, rerū superiorū haud dubie fidem eleuant, ostenduntq; ea omnino certa ueritatis luce carere, quæ inter adulationem & metū nec præsentis nec futuræ spe laudis intempestiue publicantur . Sed multum herclè debemus ingenuo, gratuitoq; labori, quo hic integri- tate uitæ uir optimus, delicatis rerū noscendarū cōpēdia demonstrauit;  
& Pro-

& Procopium de Persico, atq; Vandalico bello, sincere potius quam splendide conuertit.

## ANTONII GALATHEI.

HIC E' SALENTINO extremo Italiae Angulo perillustis Medicus atq; Philosophus studia quae sectabatur optimis literis expoliuit, extenditq; ingenium usq; ad poeticae laudem, ob id à Pontano Hermolaoq; grauissime celebratus. Eius extant, praeter Etrusca carmina, & physicae quaestionis subtiles libellos Iapigia corographice descripta; quae meo iudicio cum antiquis comparanda uidetur. Sed tum cum lepore doctus & urbanus apparuit, quum in curatione podagrae leniendo dolori, eius insanabilis morbi Encomium festiuissime cecinisset.

## LVDOVICI COELII RODIGINI.

H VIVS multa uolumina lectionum antiquarum, quum ingentes uigiliarum opes ostentent, pleriq; admirantur: Sed ea farago, tanquam ex uetere horreo laboriose affectateq; prolata, delicatis lectoribus quoddam subrancidum olere uidetur, nullus enim compositi ac illustris styli neruus, tanta in compage conspicitur. Sed cum tamen Patauii & Mediolani cum laude, uel ob id quod egregiam totius habitus dignitatem attulisset, è suggestu docentem audiuius.

## IACOBI FABRI STAPVLENSIS.

AB HOC homunculo genere, staturaq; perhumili, sed ab ardenti ingenio cum optimatibus haud dubie conferendo, totius galliae iuuentus ad cultarum literarum studia alacriter excitata est. Faber enim ingeniorum appellari uolebat; quum in omni fere doctrinae genere ad docendum aptissimus haberetur. Defuit in eo, dum scriberet, illa Latini Sermonis puritas, quae diu, aut neglecta apud externos, aut parum accurate quaesita, non magnopere feruida ingenia delectabat. Scripsit Commentarios in Astronomicis iuuentuti peritiles, & scholia in Moralem philosophiam perdiscantibus opportuna; aetate autem confectus, quum sacras literas attigisset à Lutheranae heresis ueneno non procul affuit, ita ut in ea suspicione

S ii senex



senex parum feliciter moreretur .

## ANTONII TILESII COSSENTINI.

HIC Varia tenuiꝫ materia , & minuto semper lemmate delatus non ignobilis poëtae nomen tulit , quum in paruis singularis & planè conspicuus esse mallet , quàm in grandi charactere , ueluti unus de populo in turba tot uatum trita , & centies repetita carentium mediocris , & obscurus . Descripsit enim lepide & diligenter nonnulla curta poemata inexpectati , ac ideo festiui semper argumenti , & in his Zonarium Reticulum quo sacerdotum serica crumena suspenditur , fictilemꝫ Lucernam , tantum sibi olei , dum Musas coleret exorbentem , & lucentem noctu uolucrem Cicindellam , puerorum lusibus opportunam . Reliquit & Tragediam in qua Danaem , sub aurci imbris nomine , cum multo sententiarum uerborumꝫ splendore expressisse iudicatur : ac item breues Libellos de Coronis atꝫ Coloribus grammaticis , rei nouitate gratissimos . At Romæ in gymnasio Horatium comiter , & tenere professus sacerdotium à Giberto promeruit , effugitꝫ cladem urbis ut in patria non planè senex interiret ,

## PETRI ALCYONII.

IS quum duarum urbium suppressio nomine se Hybridam fateatur , diuꝫ in calchographorum officinis , corrigendis erroribus menstrua mercede operam nauasset , multa obseruatione ad præcellentem scribendi facultatem peruenit . Sed hic partus honos non erat in conspectu , quum nulla ex parte ingenuis , sed planè plebeis , & sordidis moribus foedaretur ; Erat enim impudens gulæ mancipium , ita ut eodem sæpè die bis & ter , aliena tamen quadra cœnitaret ; nec in ea foeditate malus omnino medicus , quod domi deum in lecti limine per uomitum ipso crapulæ onere leuaretur . Quum aliqua ex Aristotele perperam insolenterꝫ uertisset , in eum Sepulveda Vir Hispanus egregie de literis meritis , edito uolumine peracuta iacula contorsit , non herclè indigna tanti philosophi uulneribus , si uindictæ nomine merita pœna mulcicaretur , tanto quidem cruditorum applausu , ut Alcyonius ignominia dolore miserè consternatus , Hispani hostis Libros in tabernis , ut concremaret , graui pretio coëmere cogeretur . Sed luculento opere de toleranda

da exilii fortuna ; ita eruditionis ac eloquentiæ famam sustentabat ; ut ex Libro de gloria Ciceronis, quem nefaria malignitate aboleuerat , multorum iudicio confectum crederetur. In eo enim, tanquam uario Centone præclara excellentis purpuræ fila, languentibus cæteris coloribus intertexta notabatur. Verum non multò post, confirmatæ suspitionis inuidiam duabus splendidissimis orationibus peregre mitigaui, quum in clade urbis uehementissimè inuectus in Cæsarem populi Romani iniurias, & Barbarorum inhumanitatem, summa perfecti Oratoris eloquentia deplorasset .

## PETRI MARTYRIS ANGLERIÆ.

IS est, qui apud Verbanum Cisalpinae Galliae Lacum natus, Oceanas Decades rerum indicarum conscripsit, quum in Hispania ascitus in Regiam Ferdinando Regi ingenii, ac industriæ suæ operam obtulisset. Nactus enim materiam luculento scriptore dignissimam id ingenuè, fideliterq; præstitit, quod mediocris ingenii Virces tulerunt, sic ut ingentis & peramœnæ occasionis augmentum, his præbuisse uideatur, quibus liberales Musæ, ad ornatè, copiosèq; scribendum facultates amplissimas contulerunt. Extat etiam eius legatio ad Campsonem Gaurum Memphiticum Regem suscepta uiriliter, integerrimèq; descripta, quo uel breui opere, sublata demum Sultanorum Tyrannidis, & Mamaluchorum equitum quorum nomen nobis erat obscurius, memoria relinquitur. Sed tum importunè decessit, quum Ferdinandi Cortesii in altero ad occidentem orbe inuento, subactòq; inusitata felicitatis uictorias scripturus esse uideretur.

## GABRIELIS ALTILII.

GABRIEL ALTILIVS In Lucania natus iunioris Ferdinandi Regis præceptor usq; adeo molliter, ac admirande in Elegis, & heroico carmine excelluit, sicuti ex Epithalamio Isabellæ Aragoniæ perspicui potest, ut Pontani atq; Actii testimonio antiquis Vatisbus æquaretur. Is uirtutis merito, Policastri, ea urbs olim Buxentum fuit, Antistes factus à Musis per quas profecerat, celeriter, impudenterq; discescit, magno herclè ingrati animi piaculo, nisi ad spem non iniustæ ueniæ ob id culpa tegeretur, quod ad sacras literas nequaquam ordinis oblitus tempestiuè confugisset. Mortuus

S iii est in

est in sacrata sacerdotii sede sexaginta annis maior , tulitq; Pontanī pietate supremi officii nobile carmen , quod pro titulo urnæ maris morex incideretur .

## MARCELLI VIRGILII FLORENTINI.

EXIMIA huius fuit in blando uultu cultoque sermone suauitas , & quum è suggestu iuuentutem doceret , aut in corona loqueretur , doctrina multiplex ipsaq; uarietate mirabilis ex eo autem officii munere quod antea Aretini , Poggiiq; fuerat , ab Epistolis Reipublicæ operam præstabat , & quum suppeteret otium tertio muneri uacare erat solitus . Susceperat enim Dioscoridem omnino traducendum , expetentibus Medicis , petebat enim ex eo labore non obscuram laudem , quod in perdifficili herbario negotio ab incunte ætate accuratissime defudasset : Sed edito opere statim in publicum exierunt , duæ omnino diuersæ interpretationes , altera Hermolai quæ extincta putabatur , altera Ioannis Ruellii Galli à Latini styli muneribus multo maxime laudata . Extat , etiam nobilis oratio in conatione habita , quum Laurentio Medici Iuniori militaris Imperii insignia traderentur .

## IANI PARRHASII.

HIC Vir honesta familia Cosentia natus , quum è suggestu , summa facundia Maiestate Latinas literas Mediolani profiteretur , cunctos nostri sæculi doctores , erudito rerum omnium quæ explicaret apparatu , ac una præsertim rotundæ pronunciationis gloria superauit . Duxerat uxorem Demetrii Chalcondylis filiam , qua felici cognatione & socer & gener mutui suffragatores in scholis utriusque linguæ Imperium tenuerunt , tanta Parrhasii fama , ut Triuultius summæ dignitatis sexagenarius Imperator inter iuuenes auditores conspiceretur . Edidit commentarios in Claudianum , & Nasonis Ibim , recondita eruditione refertissimos . Nouissime autem in manibus erat penè absolutum Volumen de rebus abstrusis per epistolam quasitis , Sed Mediolano excedere coactus est , quum Ludimagistri Regionum sæpe ab eo reprehensi redarguitq; , ac ob id in scitiæ pudore decoquentes in eum conspirassent , ita ut lasciuia fabula insubrum auribus grauis excitaretur , tanquam auditores parum pudicè dilectos corrumpere ; Verum ab ea futili calumnia ,  
tanquam

tanquàm literarum nomine clarissimus,conducente Leone cum Basilio uxoris fratre in Urbem uenit; Sed tanti suggestus honore diu perfrui non potuit , articulare morbo , membra omnia sauisimè deformante , unde ei maturatus in patriam relictus cum uitæ exitu contigit .

### GEORGII SAVROMANI GERMANI.

HIC In Italia,quum iuris ciuilibus studio operam dedisset,camq; facultatem sine forensi agitatione parum nobilem , nec fructuosam esse fateretur , ad humaniores literas ingenium traduxit , adeo feliciter , ut duabus Orationibus in laudem Caroli Cæsaris publicatis, totius Academiæ iudicio , Longolio plenior , atq; torosior censeretur . Ob id ciuitate Romana donatus est , egitq; tenerum sodalem apud Academicos , exuta quidem omni uocis , moris , atq; habitus asperitate per aliquot annos , dum minuta Cæsaris negotia procuraret , Leoni , Hadrianoq;,& demum Clementi eloquentiæ nomine non ingratus . Sed in tumultu captæ urbis ab Hispanis, omnibus fortunis exutus , ne in tormentis expiraret à Germanis ita seruatus est , ut non multo post , crassante pestilentia cum filio , concubinaq; perierit .

### COELII CALCAGNINI FERRARIENSIS .

HIC diu in patria iuuentutem docuit ; honestissimo patre, sed incerta matre genitus ab Atestino Principe sacerdotio donatus est , quum fecundum , miteq; ingenium , & elegantes mores ad literas attulisset , pronior erat ad Elegos , quandoquidem in pedestri oratione ieiunus , & scaber , & sine dulcedine numerorum affectatus haberetur . Dum enim multa legisse uideri uellet , & plurima docere perciperet in Epistolicis quæstionibus , & titulo inepto ; & toties usurpata ab aliis materia nasutos offendit,& bilem mouet nobilibus ingeniis , quum in libros Ciceronis de officiis , inuerecundè prorsus inuichitur , qua in re à festinante fato beneficium tulisse iudicari potest , quod luculentam Ciceronis defensionem à Maioragio in publicum prodeuntem , & uiuum proculdubio iugulaturam morte effugerit .

AVGV

## AVGVSTINI IVSTINIANI GENVENSIS.

HIC è Secta Diui Dominici Linguarum uarietate delectatus instrumenti ueteris , nouiq; textus hebraico , græco , & Chaldaeo sermone perscriptos curiosis representauit ; graui quidem sumptu , & tenui cum laude , quum impressa domi præalta uolumina emptores rarissimos inuenirent sic ut temere conceptam spem lucris inanes initæ rationes eluserint. Sed factus inde Nebiensis Antistes scribendæ patriæ historiæ negotium suscepit , adeo ineptis ad id ingenii uiribus , ut præcipitata editionis , malè audiendo , pœnas daret . Nec multò post , quum è Genua in Corsicam incerta adhuc tempestate traicere uellet , in cursu fluctibus obrutus , aut à Pœnis prædonibus interceptus creditur , quum nullum usquam naufragii , aut pyratarum prædæ , uestigium apparuerit .

## ROBERTI VALTVRII.

IS Sigismondo Malatestæ Ariminensium Principi Militaris disciplinae præcepta è Græcorum & Latinorum historiis collecta perscripsit , eo luculentiore , utilioreq; uolumine , quod explicatis ueterum machinarum artificiiis totius bellici apparatus instrumenta secundum picturæ imagines legentium oculis subiecerit .

## MATTHÆI PALMERII FLORENTINI.

HVIUS ingenio, & industria Eusebii libro de temporibus addita est coronis . Scripsit etiam historiam Pisanam , atque item poemata Latinis , ac Etruscis uersibus quodam etiam opere Dantis comœdiam amulatus . Sed id nequaquam prosperè successit , quum de Diuinis perperam , incautèq; locutus libro ex theologorum sententia damnato , crematoq; in hæresis Arrianæ suspicionem inciderit .

## IACOBI ANGELI FLORENTINI.

HIC Ptolomæi Cosmographiam ex græcis codicibus , & tabulis diligentissimè Lincis ex picturæ dimensione expressam Alexandro Quinto dedicauit , quo munere gentium omnium historiæ ingentem requisita lucis splendorem accepisse uidentur , quum narratio  
ratio

ratio maximarum rerum ferè omnis tanquàm lumine suo orbata , & manca sordescat , nisi positis sub aspectum Regionum tabulis , ex uero situ locorum totius rei gestæ notitia , quod est miræ uoluptatis illustretur .

### HECTORIS BOETHI.

Q V I à prima origine Scotorum Regum historiam Latine diligenter perscripsit ; passim ueteris chorographiæ memor , & moderate libertatis nusquàm oblitus , ita ut magnoperè miremur extare de remotis ab orbe nostro Ebridum , & Orcadum insulis mille amplius annorum memoriam , Cum in Italia Altrice ingeniorum tot sæculis post ciectos Gothos scriptores omnino defuerint , tanto quidem publicæ dignitatis detrimento , ut non dispudeat maioribus nostris indignari , nisi satius fuerit amissæ Libertatis obliuisci , quam cum infami quodam pudore calamitatis , ac ignauia nostræ uulnera refricasse .

### POLIDORI VIRGILII.

H I C Urbini natus ubi adoleuit optimis instructus literis in Britanniam transiuit , cum antea lepidò argumento prouerbia , excepta demum ab Erasino & eruditissimè amplificata publicasset. Is ab hoc Henrico Rege fortunis adauctus , flamenq; Londinii creatus conscripsit Historias rerum Britannicarum , ea fide ut Scotis , & Gallis sæpè reclamantibus , alieno potius arbitrio , quàm suo intexuisse multa in gratiam gentis existimetur , quod in recensendis minorum Ducum nominibus , tanquàm gloriæ auidis plurimum indulserit .

### GVAGHINI GALLI.

H V I C , Gallia plurimum debet , sed de fide illi uiderint quorum interest incorruptam rerum memoriam ad posteros transmitti , nam in his quæ ad Italiam pertinent huius tempestatis , usq; adeo insolenter , & pingui stylo cæcutire solet , ut qui nulla orationis ornamenta in eo conspiciunt , passim eius imprudentiam stomachentur .

### T MARI

## AVGVSTINI IVSTINIANI GENVENSIS.

HIC è Secta Diui Dominici Linguarum uarietate delectatus instrumenti ueteris , nouiq; textus hebraico , græco , & Chaldaeo sermone perscriptos curiosis representauit ; graui quidem sumptu , & tenui cum laude , quum impressa domi præalta uolumina emptores rarissimos inuenirent sic ut temerè conceptam spem lucris inanes initæ rationes eluserint. Sed factus inde Nebiensis Antistes scribendæ patriæ historiæ negotium suscepit , adeo ineptis ad id ingenii uiribus , ut præcipitatæ editionis , malè audiendo , pœnas daret . Nec multò post , quum è Genua in Corsicam incerta adhuc tempestate traicere uellet , in cursu fluctibus obrutus , aut à Pœnis prædonibus interceptus creditur , quum nullum usquam naufragii , aut pyratarum prædæ , uestigium apparuerit .

## ROBERTI VALTVRII.

IS Sigismondo Malatestæ Ariminensium Principi Militaris disciplinae præcepta è Græcorum & Latinorum historiis collecta perscripsit , eo luculentiore , utilioreq; uolumine , quod explicatis ueterum machinarum artificiiis totius bellici apparatus instrumenta secundum picturæ imagines legentium oculis subiecerit .

## MATTHÆI PALMERII FLORENTINI.

HVIUS ingenio, & industria Eusebii libro de temporibus addita est coronis . Scripsit etiam historiam Pisanam , atque item poemata Latinis , ac Ethruscis uersibus quodam etiam opere Danthis comœdiam amulatus . Sed id nequaquam prosperè successit , quum de Diuinis perperam , incautèq; locutus libro ex theologorum sententia damnato , crematoq; in hæresis Arrianæ suspensionem inciderit .

## IACOBI ANGELI FLORENTINI.

HIC Ptolomæi Cosmographiam ex græcis codicibus , & tabulis diligentissimè Lincis ex picturæ dimensione expressam Alexandro Quinto dedicauit , quo munere gentium omnium historiæ ingentem requisitæ lucis splendorem accepisse uidentur , quum narratio  
ratio

ratio maximarum rerum ferè omnis tanquàm lumine suo orbata , & manca sordescat , nisi positis sub aspectum Regionum tabulis , ex uero situ locorum totius rei gestæ notitia , quod est miræ uoluptatis illustretur .

### HECTORIS BOETHI.

Q V I à prima origine Scotorum Regum historiam Latine diligenter perscripsit ; passim ueteris chorographiæ memor , & moderate libertatis nusquàm oblitus , ita ut magnoperè miremur extare de remotis ab orbe nostro Ebridum , & Orcadum insulis mille amplius annorum memoriam , Cum in Italia Altrice ingeniorum tot sæculis post eiectos Gothos scriptores omnino defuerint , tanto quidem publicæ dignitatis detrimento , ut non dispudeat maioribus nostris indignari , nisi satius fuerit amissæ Libertatis obliuisci , quam cum infami quodam pudore calamitatis , ac ignauia nostræ uulnera refricasse .

### POLIDORI VIRGILII.

HIC Urbini natus ubi adoleuit optimis instructus literis in Britanniam transiuit , cum antea lepidò argumento prouerbia , excepta demum ab Erasmo & eruditissime amplificata publicasset. Is ab hoc Henrico Rege fortunis adauctus , flamenq; Londinii creatus conscripsit Historias rerum Britannicarum , ea fide ut Scotis , & Gallis sæpè reclamantibus , alieno potius arbitrio , quàm suo intexuisse multa in gratiam gentis existimetur , quod in recensendis minorum Ducum nominibus , tanquàm gloriæ auidis plurimum indulserit .

### GVAGHINI GALLI.

HVIC , Gallia plurimum debet , sed de fide illi uiderint quorum interest incorruptam rerum memoriam ad posteros transmitti , nam in his quæ ad Italiam pertinent huius tempestatis , usq; adeo insolenter , & pingui stylo cæcutire solet , ut qui nulla orationis ornamenta in eo conspiciunt , passim eius imprudentiam stomachentur .

### T MARI



## MARINI BECICHEMI SCODRENSIS.

AB hoc Dalmata non infulsè Latino Georgii Castreoti Schen-  
derbechi admirabiles res bello gestas quanquam inusitatis excessi-  
bus perscriptas legimus. Æquavit enim hic Vir amore patriæ, &  
Barbarorum odio à fide procul abductus Epirotæ Reguli uirtutem  
antiquis heroibus, ita ut iustam egregiè factorum gloriam, dum  
supra æquum in laudes prorumpit suspicione mendacii eleuasse cen-  
seatur.

## IACOBI ZIEGLERI.

QVIS cò Latinas literas quò Romana arma penetrare nequis-  
erint peruenisse non miretur. Hic enim in terra Gotica natus ac  
educatus adeo exactè puriter & facundè, Christiæ Daciæ, atq;  
Noruegiæ Regis immanitatem, neq; ipsi sanguinario Tyranno diu  
latam, neq; demum Diis Vltoribus neglectam perscripsit, ut cru-  
ditis gentibus pudori esse possit; quod Latinæ facundiæ fruges, sub  
cimmerio cœlo penè felicius ac uberius, quam sub hac benigniore,  
ac temperatiore plaga proueniant.

## PAULI ÆMILII.

HVNC protulit Verona, Gallia aluit, Ludouicus duodeci-  
mus Sacerdotio in ade Deiparæ Virginis Lutetiæ Parisiorum exor-  
nauit, quod orsus à primis Galliæ Regibus mille amplius anno-  
rum gallicam historiam, laconica tamen breuitate perscripsisset, Sed  
in sacri belli enarratione, quum Gothifredi Bolionis uirtute Hie-  
rosolimæ caperentur, aliquantò luculentius ita se se diffudit, ut me-  
dium iter, non interitura cum laude tenuisse existimetur.

## GERMANI BRIXII.

IS ad Altfiodurum Galliæ oppidum natus in Poësi Lauream  
meruit, Latino carmine edito, de trium ingentium nauium mise-  
rabili conflagratione, quum duæ Britannicæ Gallicam cognomen  
to Chordigeram; hæc erat inusitatæ magnitudinis, harpagoni-  
bus comprehensam expugnare niterentur: Sed demum emenda-  
tiora

tiora poemata uario titulo publicauit . Inde uero pedestri orationi deditus , transfudit Græco, uti Lascaris Alumnum decebat, ex Chrysostomo Babyloniam uitam , & libros septem de sacerdotio puritate sermonis minime contemnendos . Senescentem , sed adhuc plane robustum inuasit atrabilis morbus ob id paulatim sæuior . atque lethalius effectus , quum ex accumulato multo auro dimidiam fere partem furto sibi subtractam miser sensisset , ut credi par est , à domesticis, quibus nec uitam quidem postea credidit, sic ut in itinere iuxta Ligerim apud Carnutes expirarit .

### NICOLAI TEGRIMI.

IS Luca natus , professione iurisperitus post Magistratus honestissimos in Italia gestos , Patriam historiam egregia fide perscripsit ; & in ea præcipue Vitam Castrucci qui Luca , Pisanum, & Pistorii dominatum tenuit ; & magnas Florentinis intulit clades : cuius uiri , si Tyrannidis inuidiosum nomen faceat , inusitata bello uirtus , singulari laude celebranda iudicatur . Sed Macchiauellus Florentinus historicus , patrii ueteris odii memor petulanti malignitate , non interituram memorabilis Ducis famam fabulis inuoluit . quum uitam acerrimi hostis Etrusco sermone scribere orsus , tam impudenti , quam astuto illudendi genere sacrosanctam rerum gestarum fidem corruerit .

### CAMILLI GHILINI MEDIOLANENSIS.

CVIVS extat liber exemplorum florida per omnes ætates uarietate periucundus , ac ipso penè Valerio Maximo argumenti hilaritate festiuior . Ea rerum exempla diligenti , grauique studio collegerat Baptista Fulgosius gentilium suorum Perfidia Genue principatu deiectus , sed quoniam Latine orationis facultas minime superpetet , ea materno sermone perscripserat , ut aliquanto post ab hoc Ghilino Latine uerteretur . Fuere qui existimarent à Iacobo patre id opus longo uigiliarum labore compositum in quotam hæreditatis partem obuennisse filio adolescenti , studiosoque liberali quidem indulgentia beneuolentissimi patris , quum in eo cruditi ingenii certa indoles emineret , qua uel alieni operis oborta suspicio præclare discuti posse uideretur . Erat enim Camillus in grauissimis Legationum muneribus ob industriam cum summa fide , prudentiaque con-

T ii iunctam,

iunctam , diu uersatus , ita ut excitatae fabulae famam ridendo dilueret , & perurbanè se ab hoc furti genere non abhorreere fatetur , quando iure damnari non possit amore incensus adolescens, si quid opulento patri arguta manu surripiat ; Periit in Sicilia apud Carolum Caesarem Francisci Sfortiae Legatus , quum debellatis ad Tuncum Barbaris , Augustus Victor ad Triumphum in Italiam reuerteretur .

## IOANNIS REUCLINI GERMANI.

HIC est ille Capnionis cognomento è patria lingua in Graecam uerso , ne Latine funicus euaderet , Germanorum aetate nostra clarissimus , qui inusitato fretus ingenio , Gracas , ac Hebraicas , atq; item Latinas literas in Germania pari felicitate propagauit . Quum arcana Hebraeorum confirmandis Christianae legis Praesidiis in lucem proferret , effectricemq; mirabilium operum Cabalae disciplinam apud ualida , atq; expedita ad perdiscendum eius gentis ingenia profiteretur . Extat eius liber de uerbo mirifico , & de Cabalae scientiae placitis , eloquentia illustri ad Leonem Decimum perscriptus . Circunferuntur etiam praeter grauiore libros, quamquam suppresso nomine , ex eius officina obscurorum uirorum epistolae , admirabili facetiarum lepore conditae , quibus ad excitandum risum cucullatorum Theologorum ineptissime , atq; ideo ridiculè latina lingua scribentium , stylus exprimitur . Vlsciebatur enim infestam nomini suo turbam , iucundissimo satyrae illudentis genere , quum maligna cucullatorum conspiratione tanquam iudeis parum aquus hostis , ac ex animo planè recutitus impietatis accusaretur , hic liber auide coemptus , & euulgatus , adeo grauius calumniatores eius ordinis perculit , ut coniurationis Princeps Hostratus lethali dolore sauciatus interierit , & reliqui aestuantes à Leone suppliciter impetrarint , ut edicto diuendi , atq; imprimi uctaretur , sed edicti maiestatem Reuclinus falso ingenio ludificatus secundum epistolarum uolumen tanquam ex titulo minime uctitum , altero quidem aculeatius impressoribus tradidit , ita ut cucullati miserè cum hydra luctantes , animos in ea lite desponderint. Hostrati autem Tumulo hoc nobile Carmen , Capnionis puer affixit .

*Hic iacet Hostratus , uiuentem ferre patiis  
Quem potuerit mali , non Potuerit boni .*

Crescite

*Crescite ab hoc Taxi, crescant Aconita sepulchro  
Ausus erat sub eo, qui iacet, omne nefas.*

## IOANNIS DE MONTE REGIO GERMANI.

**H V N C** enim unum admirabili solertia diuini ingenii Astro-  
nomorum omnium qui hactenus floruerunt praestantissimum uene-  
ramur, quum decimam sphaeram totius coelestis globi supremam,  
inclusasq; diurna rotatione rapientem, certissima supputatione si-  
bi, & posteris inuenerit; hac ipsa adeo gloriosa sapientiae palma,  
Thalcte, Eudoxo, Calippo, Ptolomaeoq; ipso, tantae scientiae con-  
ditore, ac Alfragano, nobilior. Extant eius subtilissima Commenta-  
ria in Almagestum Ptolomaei, & Mathematicae ratiocinationis ex-  
actus, atq; perutilis liber de Triangulis. Ab hac commendatione  
eruditi nominis creatus est à Xysto Quarto Ratisponensis Episco-  
pus, accitusq; Romam, ut annum ex uetusta intercalatione fastis  
minimè respondentem ad statas ex cursu lunae Pascales cerimonias  
reuocaret: Quod confici posse uidebatur, subductis semel aliquot  
diebus Martio mensi, qua una ratione, mille & quingentorum an-  
norum excessus in cursu syderis non planè sensilis, toto demum cu-  
mulo deprehensus, emendatissimè tolleretur. Sed crassante in urbe  
pestilentia fato surreptus, quod maxime cupiebat, praestare non  
potuit.

## LVDOVICI VIVES VALENTINI.

**H I C** quanquam ducta uxore apud Belgas liberis operam da-  
ret, sacrarum tamen literarum studia egregio digna sacerdote com-  
plexus, adeo profecit, ut Diui Augustini librum de Ciuitate Dei  
luculenta commentatione adiecta, religiosè admodum illustrarit,  
quum publicè auctus stipendio liberales artes profiteretur legendaq;  
posteris multa uolumina perscriberet, nondum senex fato functus  
est, Brugis quod est Emporium Gossoriaci littoris, prosequentibus  
magno luctu amissi Praeceptoris memoriam Belgis omnibus, sed ma-  
ximè ciuibus Hispanis, quod eo doctiorem in Hispania superesse  
neminem faterentur.

T iii COS

## COSMVS PACTIVS.

COSMVS Pactius ex amita Leonis Decimi genitus nobili uir ingenio , elegantiq; doctrina præditus , quum esset Florentinus Archiepiscopus Maximum Tyrium Platonica sectæ Philosophum è græco in latinum scitissime uertit . Nec in eius ingenui muneris labore cessaturus uideri poterat , tanquàm uirtutis , & pietatis amore flagrantissimus , nisi importuna mors , uix dum Leone auunculo ad Pontificatum prouecto & optimorum consiliorum studia , & paratæ purpuræ honorem intercepisset . Hac subinde studia Alexander germanus frater , diuerso nec utiq; multum felici itinere secutus est . Ad scribendas enim Tragœdias ingenium appulit , eruditum hercè , sed aliquantò quàm cothurnatum Poëtam deceret aridius , quòd etiam & gracilitas ipsa totius habitus , & angustæ uocis exilitas , ex uiuentis fronte promitterent . Poëticam autem Aristotelis non ineptè uti difficilem in latinum uerterat . Ob id tanquàm ex concepta artis ratione Tragœdiis incumberebat , uerum adeo intemperanter , ut Græcas & ex his præsertim Iphygeniam in Latinum pariter , & Ethruscum carmen uertendo , propriaq; inuentionis alias effundendo , quæ in theatris agerentur , intentæ libidini uix modum imponeret , quanquàm ab Ethruscis histrionibus repudiarentur , quæ exhibilantis populi iudicium maximi instar periculi omnino fugiendum existimabant , quod ea poëmata uersibus constarent pede uno longioribus , ex noua scilicet , ac ob id insolèti nostris auribus Græcorum imitatione , quæ numero , & modo prorsus infaceto tanquàm enormis , nusquàm nisi Gracissantibus arrideret . Iure itaq; nouæ inuentionis exemplar , nemine imitante , apud ipsum authorem stetit , atq; consenuit . Vsq; adeo difficile est , obsoletis nitorem , & nouis auctoritatem feliciter attulisse .

LVBET

1 V B E T postremo desiderare quorundam exter-  
 rum imagines Germanorumq; præsertim, quum li-  
 teræ non latinæ modo cum pudore nostro, sed Græ-  
 cæ, & Hebraicæ, in eorum terras, fatali commigra-  
 tione transierint, ita ut eorum qui iam fato functi,  
 cæteris clariores euaserunt, ueras imagines à uiuis, & pari laude  
 florentibus, efflagitare non dubitem, quando id ab humanissimis,  
 nisi uiolato Musarum sacramento, frustra expectari minimè possit.  
 Quis enim nisi planè barbarus, & impius, uel exiguam laudem si-  
 ne piaculo defunctis inuiderit, quanquam ex peculiari sua ingenii  
 fecunditate nullo æuo perituris? Pertinet herclè in quota parte ex-  
 optatæ laudis, ad producendam uitam, in albo, atq; ordine præcel-  
 lentium hominum recenserì, agnosciq; item ex uera oris effigie,  
 ostendiq; posteris in perstricta nec inuiti editorum operum censu-  
 ra, unde nouam nobilitatem, ueluti liberali nec sperata quadam ad-  
 optione, ad cumulatum decus induerint. Emicuit dudum perillu-  
 stris eruditio in Ioanne Occolampadio, sed profectò clarius, & lu-  
 minosius illuxisset, nisi eam diræ hærescos maculæ defecdaissent,  
 dum enim Theophylactum maligna prauaricatione, quædam omit-  
 tendo traducit & Christianæ hostiæ sacramentum repudiat, Ro-  
 phense Britanno seuera manu iugulante, redargutus concidit. Eas-  
 dem ferè nouæ sectæ libido Zuuinglum in sacris literis apud Hel-  
 uetios clarum cruento exitu præcipitem dedit, facundia siquidem pe-  
 stilenti, ac impiis concionibus quum Ciuitatem Heluetiorum, didu-  
 ctis in contraria studia simplicissimis, & militaribus populis, ad mu-  
 tuas cædes concitasset, in acie trucidatus occubuit, ita ut nefariæ te-  
 meritatis pœnas, Deo maximo uindice dedisse credatur. Contigit  
 & honestissima laus ex studio nobilium literarum Bilibaldo Nurim-  
 bergensi, cuius extant nonnulla opera ex Gregorio Nazanzeno  
 piè translata, & Cosmographiæ liber ex Ptolomæo accuratius quàm  
 antea traductus, & totius Germaniæ Urbium descriptiones, cru-  
 ditam lucem obscuris regionibus afferentes. Quis Vadiano ex San-  
 cto Gallo Heluetiorum insigni Pago, nouæ, atq; uetustæ Cosmo-  
 graphiæ curiosus, gratias non aget? quum Libellum Pomponii  
 Mellæ perutili commentatione, ex breui & obscuro, magnum illu-  
 stremq; reddiderit. Miramur quoq; diligentiam laboremq;, uiro  
 Regia in aula conspicuo longè honestissimum, Cuspiniani Vien-  
 nensis, à quo ciuili quadam facundia Germanorum, & Bizantio-  
 rum Caesarum Imperia, propinquitates, stemmata, mores, atq; exi-  
 tus

tus referuntur . Viget apud nos eruditi nominis authoritate Cop-  
pus Basiliensis ab exacta doctrina feliciq; artis industria medicus ,  
Francisco Gallia Regi , magnoperè , repetita sæpè memoria , desi-  
deratus . Suspiciamus etiam ingenium Conradi Goclenii , uertendi  
Græca , docendiq; facultate, apud Belgas , magnoperè celebratum.  
Venerantur iureconsulti nostri Zasium ex harudum Constantia  
humani iuris intelligentia , cum exactissimis scriptoribus conferen-  
dum . Floret adhuc apud nos prædulcis , & grata memoria Beati  
Rhænanii , ex eius enim ingenii liberalitate, officinaq; libraria, opti-  
marum literarum magnas opes ad nos peruenisse conspiciamus. Sunt  
etiam in celebri fama Camerarius Græcæ , atque Latinæ linguæ ita  
peritus, ut scribendo pernobilis Ciceronis imitator euaserit, & Co-  
pernicus absolutæ subtilitatis Mathematicus , atque item Alberus  
Crantius, qui Danorum , & Succorum Regna ad extremum Bo-  
realem Oceanum , nostris obscura facundissime descripsit. Sed qua-  
demum ueteri sodalitie digna pietate , imaginem tuam , ut Elogio  
nostro coronetur expectauerim, Vrsine Gaspar Vindelice , paucis  
ante annis morte præpropera nobis crepte : nobiles enim Poëtas  
læto carmine , Historicos uero styli grauitate , superabas : Sed in  
cumulo honestissimæ laudis uti integer uitæ , scelerisq; purus, tran-  
quilli animi probitate periculosi officii munus feliciter adimplebas ,  
quum Maximilianum summæ indolis adolescentem Ferdinandi Cæ-  
saris designati , filium , patruum fortuna dignissimum , perfectis mori-  
bus , ac literis erudires . Sed cur reliquos enumerare non desino ,  
postquam inanis spei uotum , infinitus eruditorum numerus inter-  
rumpit : offertur enim latissima seges , ab ipsa mirabili Germanici  
cæli fecunditate . Occulta hercè syderum commutatione euenisse  
arbitramur , ut illud cælum, molestis Boreæ flatibus frigore geluq;  
damnatum , horrida dudum torpentiaq; ingenia mollierit , ac exci-  
tarit . Neq; enim contenti sua uetere militiæ laude , qua Martium  
decus Romanis Gentium uictoribus creptum stabili disciplinæ se-  
ueritate feliciter tuentur , ipsa etiam pacis ornamenta literas , opti-  
masq; artes decoquenti Græciæ , ac Italiæ dormitanti ( quod pu-  
deat ) abstulerunt . Patrum siquidem nostrorum memoria Architec-  
ti in primis , ac exinde Pictores , Statuarii , sculptores , Mathema-  
tici , & perarguta manus artifices , ac item Aquileges, septempeda-  
riiq; mensores , è Germania petebantur . Nec mirum quum antea  
inuitatæ , & portentosa inuentionis , arcas formas excudendis li-  
bris, & formidanda bello antea tormenta nobis attulerint . Sed  
hac

hæc infesti sæculi fortuna , non usq; adeo illis benigna mater , & nobis immitis extitit nouerca , ut nihil omnino ex pristina hæreditate reliquerit . Tenemus enim adhuc ( si fas est uel modestè gloria ri tota penè libertatis possessione spoliatis ) sincera , & constantis eloquentiæ munitam arcem , qua ( si castis Musis placet ) ingenuus Romani candoris pudor , aduersus externos , inexpugnabilis conseruatur , atq; defenditur . In hac enim statione ad perenne decus , optimo cuiq; cuii intente uigilandum erit , ut Bembo Sadoletq; signiferis quod reliquum est è tanta maiorum substantia , generosè tueamur ; Quanquàm inani miseriarum nostrarum solatio, postquàm non iniquo iure apud nos conuulsa libertas interiit , qua una proculdubio altrice studiorum , bonas artes excitari , propagariq; conspiciamus .

V V M iam confecto priore uolumine , quo fato  
 q functorum imagines continentur, ad secundum non  
 inuita Minerva peruenerim ( id enim de uiuis erit )  
 censura periculo grauius quidem , sed ingeniorum  
 illustrium religiosa commendatione iucundius , ope-  
 repretium existimaui , eorum nomina profiteri , quorum tabula pi-  
 ctæ in nostro conclauis immortalibus dicato spectantur . Sit hæc  
 enim delectæ sedis , & instituti operis certa nuncupatio, ut uel hinc  
 uiri elegantes , tanquàm arridentis augurii lato omine accepto, suo  
 rum ingeniorum monumenta ad posteritatem æterna prospiciant ,  
 nec ideo grauatè morem gerere uelint , honesta mihi pariter ac ip-  
 sis , & deniq; grata omnibus expetenti . Appello enim eos, qui lite-  
 rarum amore uoluptates abdicarunt , & bona spe diuturnæ laudis  
 aluntur , num laudari uel à mediocribus poëtis , ineptum putent ?  
 Superbè quidem insaniunt si alienæ liberalitatis munera fastidiant.  
 Idcirco mihi satis fuerit Italos blandè , ac humaniter admonuisse ,  
 neq; enim eos adeo austeros , & illiberales fore crediderim quin ima-  
 gines scitè pictas ad Musæum minimè transmittant . Quid enim  
 V inuere-



inuerecundius , ne dicam agreſtius admitti poterit , quàm ab exemplo tot inſignium uirorum omnino diſceſſiſſe , qui hoc eruditæ benignitatis officium latiſſimè præſtiterunt? Quam ob rem annotata nomina ſubdidimus , ut qui abſunt certam ſedem benignè ſibi relictam intelligant ; ſi in hac florida, ac immortalì corona, conſpici decorum exiſtimarint . His equidem ingenuis luſibus noſtris, primos uigiliarum ſuarum fructus prædulci libatione deguſtabunt . Quid enim uiuenti, ac utiq; de ingenii uirtute benemerito , beatius acciſdere poteſt , quàm repræſentata alieni iudicii teſtificatione gloriam præſentire? Quid porro latius , atq; iucundius, quàm intereſſe poſteritati ſuæ , & deniq; fatis inuitis mortem non timere? quam nemo niſi anxius ante ipſum inuidiæ laceſſentis euentum, non timuit.

Nomina eorum qui adhuc uiuunt & præclara fœcundi ingenii gloria perfruuntur , hæc ſunt . Imagines autem eo ſeriatim ordine ſedem obtinent , ut dignitatem omnem uel fortunæ uel generis, ipſe unus ætatis honos antecedit .

*Nomina eorum , qui in tabulis habentur .*

*Petrus Bembus Cardinalis*

*Baptiſta Aegnatius*

*Iacobus Sadoletus Cardinalis*

*Georgius Trisſius*

*Hieronymus Fraçaſtorius*

*Hieronymus Vida Episcopus Albanus*

*Ioannes Picrius Valerianus*

*Romulus Amaſæus*

*Andreas Alciatus*

*Marcus Antonius Flaminius*

*Philippus Melancton*

*Ianus Vitalis*

*Reginaldus Polus Cardinalis*

*Daniel Barbarus*

*Antonius Mirandua*

*Philander Gallus*

*Honoratus Faſitellus*

*Baſilius Zanchus .*

**Sed**

Sed qua spe alienæ benignitatis munus expectauerim? quum hæc nostra cupiditas ad externorum imagines extendatur, nisi uiri nobiles adiutent, honestisq; uotis arrideant. Nulla enim res est uel non planè ardua, quæ illustri patrocínio non indigeat, ut rectè, maturèq; perfici ac impetrari possit. Rogabo itaq; ueteres patronos in Prouinciis dignitate, atq; opibus præcellentes, sic ut eos etiam pie obtester per communia Musarum sacra, ut hoc officium expedite, ac liberaliter præstare uelint. Quid enim non præstabunt sacrati Proceres, qui se alumnos, amatoresq; Musarum professi nunquam ueræ gloriæ nomen contempserunt? Ita ut uel ab ultima Sarmatia, qua latinæ linguæ septa Roxolanorum niuib; terminantur, mihi minimè defuturum sperem Ioannem Dantiscum Varmiensē Episcopum, qui multis legationum functus honoribus, & Poëtica Lauri coronatus, suæ gentis nobilitatem ad eandem laudem accendit, ad quàm præclare aspirant Philippus Padneuius, Martinusq; Cromerius. Nec in hoc ædèpol erudito munere collocando suspensè cunctabitur generosus ille Musarum hospes Otho Truchses Germaniæ decus, & sacri Senatus ornamentum, Quum eius explorata liberalitas neq; usu consenscat, neq; præterita existimatione satietur, nec aliud quicquàm nisi extra inuidiam positum, perennèq; respiciat, Nec id herclè mirum, postquàm ille alioqui multis importunus maturatæ purpuræ splendor, nec perstrinxerit oculos, nec memoriæ neruos eliserit, nec quicquàm de synce ro, nobiliq; pudore uel leuiter inumbrarit. Patefecit enim innatæ uirtutis studia in hoc dudum apud Vangiones conuentu longè grauisimo, quum summa authoritate præses, ideoq; Reipublicæ causa uehementer occupatus, omnes numeros perfectæ uirtutis expresserit: ita ut ab eo iam non paucos quidem, sed ex feraci ingeniorum Germania, integram per imagines lectissimorum uirorum cohortem expectem, in qua inter tantos Græcorum authorum interpretes, diuinarumq; rerum scriptores inclytum Poëtam Georgium Logum, sodalem meum, si ita fas est, cum Laurea signiferum exoptarim. Nec Thomam quoq; Nadastrum qui unus in Pannonia pari studio Martis, & Palladis antiquum decus tuctur, quenquàm omnino prætermisurum ex his arbitror, quos intestini, ac externi belli calamitas reliquos fecit. Iam pridem enim amissimus sacrati ordinis Antistites literarum, atq; uirtutis studio præcellentes Ioannem Pannonium æterno poëmate edito stabili fama commendatum, & Philippum Moræum Strigoniensem Mugaciana acie à barbaris in-

V ii terfectum,

terfectum , & quos nuper non fera dies nobis eripuit ueteres amicos pietate , ac altitudine animi , latinaq; facundia illustres , dum tota Europa maximas legationes obirent Stephanum inquam Brodericum Vacciensem Francapanem Agriensem , & Statilium Albæ Iuliæ Dacorum sacerdotio insignem . Sed Florentissimi pauloante Regni profectò miseret ; tanquàm subacti , ac in fæda seruitute planè merientis , quum in eo egregia illa , ideoq; non temerè formis data barbaris , ueterum militum soboles interierint , extincto nimirum Matthia Rege , cuius summæ uirtuti nusquàm Fortuna defuit , pudore ingentis animi uicta , scilicet ut mox indignata imbelles firmissimi Regni dominos , uti suo more instabilis non in quo iure rebellaret . Hæc eadem pari incurfu Dalmatas afflixit , apud quos ualida ad capeffendam ex literarum studiis laudem , hac atate ingenia floruerunt , sed ab assiduis Barbarorum incurfionibus exturbati uetere agro , ac in extremas patrii littoris margines compulsi , tanquàm de retinenda libertate desperantes , armis literas commutasse uideri possunt , sic ut nemo dignus elogio compareat , nisi in lucem studiose producat ciues suos Tranquillus Andronicus præclarus Ciceronis amulator , dum grauisimarum actionum ac Othomanicæ legationis , obscurorumq; nobis itinerum commentaria perscribit . Belgarum porro ingenia mihi hercè diligenter excudet , & bona fide recensabit , oraq; delectorum , ni fallor crudite picta benigne largietur , Antonius Peronetus Atrebatensium Antistes , modo ei adeo grauius maximis officiis occupato , hæc ardens conficiendæ publicæ pacis cura , excolendis Musis otium relinquat , quod certè necessario somno subtrahendum crediderim , quum iam pondera consiliorum ingentium ex sinu Cæsaris , nimia planè uel importuna fatifcentis lenis patris humeris , pie subeundo nauiter excipiat . Sed ualebit opinor Erasmi uiri summi præceptorisq; memoria , quum discipulorum eius insignis globus passim occurret Petro Nanio duce , quo optimarum literarum professore , Louaniensium Academia gloriatur . Quæ in re se monitorem occupato Peroneto , facile præstabit Cornelius Cæpærus eruditi iudicii pondere , & in tantis legationibus , ac illustri totius Europæ peregrinatione celebratus . At non hæc quoque sperauerim ex opulenta Gallia , quæ uariæ , & inconditæ Doctrinæ accruos aliquandiu mirata , nunc primum quid sit illud eximium in literis , & perillustre decus intelligit , repudiataq; barbaric,

ric , ita latinæ orationis puritate delectatur , ut siquid manes omnino sentiunt , Budæum pariter , ac Erasmum misere' pudeat , adeo agresti , & senticosa uia laudem uigiliis parem omnino quasiuille ? Aspirabit utique nobili uoto luculenter Ioannes Belaius præclaro uetustæ familiæ , ac insitæ uirtutis nomine Parisiorum Antistes , & bis merita purpura Senator amplissimus .

Quid enim amico ueteri crudita præsertim ideoq; minimi sumptus munera cupienti non tribuet ? qui perenni studio Græcis , atque Latinis Musis sacra facit , qui ingenia fouet , productaq; in Regiam crudiri Principis liberalitate , protinus exornanda in luce constituit . Huic igitur non immerito uiri doctissimi morem gerent , benigneq; docta ora pictoribus præbunt , ipseq; ante alios Perionius uel religionis amore sacratis inclusus scriptis' , qui Aristotelem Ciceronis ore loquentem fecit , Dum Strebeum pari æmulatione conspicuum glorioso certamine superare contendit . Quid non tribuet sodali Dancesius , qui Budæi præceptoris imaginem huc usque transmittit , uir herclè summa eruditione , Romanoq; iudicio insignis , à quo propediem absolutæ felicitatis partum expectamus . Nec puto Lazarum Baiphium libris de re uestiaria naualiq; percelebrem , & Guliermum pellicerium explicato totius rei herbariæ negotio , publicæ utilitati consulentem , quicquàm uctere amicitia indignum admissuros .

Nec desiderio meo prorsus illudet ipse Castellanus præcellentis doctrinæ merito perpetuus Comes ascitus Regi , ut inter molissima Cœnæ tempora rerum omnium origines , & euentus infinitæ Regis memoriæ recondenda repræsentet . Consequetur & hos Tufanus in rei literariæ substantia Budæi præceptoris astutus hæres , quum id tantum adierit , quod certum , & salubre uidebatur , totam autem parum compræ elocutionis intemperiem effugerit . Nec ab his uestigiis longè aberunt Poëtæ duo planè suauis & teneri , Salmonius Marinus , Nicolausque Borbonius , & Regius qui pedestri oratione poëtarum honoribus adequatur . Postremo & ipse Vatablus , quamquam in celeberrimo Gymnasio plenis subselliis superbus , suam uel hæbraica duritie non planè faceti oris effigiem denegabit .

Sed ad quem modo confugiam qui in Hispania præcellentium ingeniorum delectum habeat , ac eleganti uiro dignum huius non indecoræ liberalitatis officium præstet ?

V iii Inter

inter multos hercle qui seuerioribus diuinarum rerum , ac humana rum studiis dediti , tanquam Reipublicæ priuatæq; maximè utiles iudicantur , rari occurrunt , elegantium literarum ornamentis insignes , quòd hic omnis Latine scribendi lepor , à parum grauib; inani ambitione quaesitus , nulla omnino subsidia scriis facultatibus , sed impedimenta nonnunquam afferre uideatur . Qua de causa quum uigente adhuc seniorum opinione ipsi etiam totius Hispaniæ Proceres , hæc studia tanquam importuna militiæ penitus abdicarent , hic excellens cultus quo disciplinæ omnes exornantur aliquanto serius quam alias in terras , in Hispaniam peruenit ; ita , ut hæc terra aliqui rerum omnium ferax , acerrimorumq; in primis , & sublimium ingeniorum alitrix , quæ tot nobiles æternosq; Poëtas , ac oratores Romanæ Ciuitati quondam inseruit , hoc toto , quod suspicimus , illustris eloquentiæ honore , penitus orbata censi possit . Agnouere tamen nonnulli maiorum incuriam , Nebrissæ monitore , ingeniâq; sua ad hanc laudem feliciter extulerunt , in quæis nuper emicuit Garcias lassius , Horatiana suauitate odas scribere solitus , sed eum generosè ad fastigium euadentem , dum alteram militiæ laudem ardentè appetit mors acerba elusit , & casu quidem ignobili , quum ad aquas Sextias ex Turricula ab agrestibus lapide caput ictus spectante Cæsare concidisset . Sed hodiè procul dubio Ioannes Sepulveda Cordubensis , ipsam eximie laudis arcem obtinet , qui Græcæ peritus linguæ , & scientiarum propè omnium ualidis instructus præditiis , dum assidue , atq; ideo feliciter stylum exercet , eloquentissimus euadit . Huic autem proximum accedere audimus . Martinum Silicæum Carthaginensem Episcopum , qui letissimis moribus ac literis , uiriliq; ingenio & casta facundia , dum Philippum Cæsaris filium persanctè & solerter edocet , optimum Principem ad paternum decus , & ad Regni felicitatem instituit . Reliqua porro ingenia quæ fecunditatis egregiæ aut maturæ frugis specimen præbent , indicaturum scitè atq; fideliter crediderim Franciscum Mendocium Cardinalem , quem accipiendis de manu summi Pontificis solennibus Senatoriæ dignitatis ornamentis propediem expectamus . Hic enim supra generis antiquum decus , amplissimam ex optimis literis laudem spectat , potiturq; iam parata ex his studiis insigni gloria . Quæ nixa ueræ uirtutis radicibus nunquam deflorescet . Ea Porro ingenia , quæ ultima terrarum Lusitania ad Oceanum nobis abscondit à Michaële Syluio Cardinale non diu quidem expectabimus is enim à uaria doctrina Poëta cultissimus,

cultissimus , ac omnis elegantiae iucundus arbiter; studia nostra uehementer amat , & laudat ; patrii'q; decoris planè cupidus, supra reliquos animosae gentis honores , hoc literatae laudis nomen , tanquam non postrema , si non summae gloriae , minimè contemnit . At quid postremo ab ultima Britannia expectauerim? nisi lugubres fortasse imagines : quum ibi , optimi pauloante Regis importuna crudelitas , aeternae laudis proceres excisa planè uirtute sustulerit .

## F I N I S .

*Postquam relegit omnium  
 Praeuiuarum IOVIS intimos lares ,  
 Nec instituta substitit  
 Via , uel alto territus montis iugo ,  
 Hinc diuidentis Italos ,  
 Illuc Hiberos Bellicosa Gallia:  
 Vel aestuosis Adriae  
 Illinc procellis , hinc profundis fluctibus  
 Turbatus Inferi maris :  
 Sed inter acris euagatus milites ,  
 Interq; rauca cornua ,  
 Et fusa uictorum hinc, & hinc cadauera  
 Non otiosa indagine  
 Tot inde retulit libros annalium :  
 Mox utriusque littoris  
 Ora remensa , diligens felicibus  
 Piscator inde retibus ,  
 Auara quicquid ante Neptunni manus  
 Celauebat nobis , tulit .  
 Nunc inquietus patre deductus Ioue ,  
 Animusq; terrestribus  
 Non rebus explendus , uelut celeri Noto  
 Elatus , ubi caelestibus  
 Explere sese latius rebus potest:  
 En aureo promit penu ,  
 Quantum supremo Iuppiter magnus polo*

Pulchri

*Pulchri recondit : & quia  
Nunquam moueri cœlites queunt loco ,  
Ut sustulit fati dies ,  
Veras recepit singulorum imagines :  
Quas dedicata Apollini ,  
Musisq; Larum colentibus lacum ,  
Beata continet domus ,  
Has si uidere longa te uetat uia ,  
Aut morbus , aut senium graue ,  
Præsens libellus indicabit aureo  
Quous monili carior .  
Vos hinc remordet , illa si cura , arduum  
Tentate cœlum posterì .  
Quod summa uirtus sola dat recludier :*

81

PAVLI IOVII NOVOCOMEN. EPISCOPI  
NVGERINI AD GVLIERMVM CARD.  
DER TV SENSEM IN VITAM  
HADRIANI VI. PONT. MAX.

PRÆFATIO.

*Quit me præclara quadam æmulatione gratis simi ani  
mi tui studium Gulierme Cardinalis amplissime, Ut  
m Hadriani sexti memoriam literarum beneficio ad  
posteror quàm longissimè proferrem. Nam tam  
& si magnis opibus & liberalitate penè incredi-  
bili sepulchrum marmoreis signis inter cætera Urbis ornamenta  
conspicuum Sanctissimi Viri cineribus operosa celeritate persol-  
ueris: id tamen ad æternitatem, quàm quisque optimus pro gloria  
avidissimè semper spectauit, nequaquàm firmissimum erit, & maz-  
ximè diuturnum: Quod uel elaborata excelsaq; artificum opera, uti  
fortunæ, ac innumeris inuidiæ casibus subiecta uel una nec longi qui-  
dem temporis iniuria celerrimè consumantur, Itaque & meo uetere  
decreto, & tua præsertim authoritate impulsus, non iniucundum tibi  
fore putavi, si ad dignitatem sumptuosi operis, fidelis etiam historiæ,  
& literarum honos, opinione mea facile sempiternus adderetur. Sci-  
licet ut posteri diffusè intelligant, quantum Hadrianus uirtute animi  
pietateq; in omni fortuna præstiterit: nec è titulo tantum marmoris  
bus inciso, sed è perpetuis actionum omnium annalibus, christianæ  
uitæ exempla, sacratis præsertim hominibus petantur. & herclè de-  
siderio uotoq; tuo dignum uideatur, ut optimi uiri nomen, non in Ur-  
be tantum legatur, inclusum scilicet angustis unius ædiculæ spaciis,  
uerum etiam ubique terrarum latina uoce celebretur. Huius autem  
publici beneficii laus, apud te, aliquantò quàm apud authorem uerior  
& cumulator erit; quum imperasse scripturo, maius sit atque præ-  
clarius, quàm iubenti liberalique animi magnitudine flagitanti, me  
nequaquam grauare, uel infeliciter obsecutum fuisse. Sic enim tur-  
bidioris sæculi mores ferunt, ut ditissimus quisque laudari effingi-  
q; literis, ineptum & absurdum putet; quando ipsum scribenda facere,  
& benigna manu excitare ingenia oporteat; quod occupatis auaritia*  
X animus



animis fieri nequit, unde seruii improbaq; adulationi certior atque  
 nobilior sit locus, quam liberalibus eloquentiae studiis, quorum prae-  
 sidio perillustre, nec periturum quidem spectatae uirtuti lumen adfec-  
 ratur. Nec mirum est si existimaris, optime Gulierme; inter mul-  
 tos bonarum literarum praecipuus, & liberalis aestimator; decurrisse  
 enim felici passu, per omnes fortunae gradus, ut in hanc summi pro-  
 pe honoris sedem prouehere; quum tibi ab ineunte aetate perpetuae  
 comites adessent, rarissimae uirtutes, innocentia, modestia, fides; ad-  
 iecisti demum pietatem, quae est una omnium uirtus Senatore sacerdo-  
 te dignissima. Hac enim multos diuitiis atque natalibus florentes faci-  
 le superas, & cum priscae aetatis optimis Cardinalibus certissima cum  
 laude contendis. Studia porro tua, plena officiosae humanitatis, mode-  
 rationis, atque iustitiae ita in Senatu, in Vrbe, totaq; Italia, atque  
 Germania nudantur; ut quum neminem omnino ambitiose colas, uel astu-  
 te captes, uel maligne circumscribas; hic ipse, quo emines, Pilei pur-  
 puraeq; honos, merito tuo inferior habeatur: Ob id ferè nemo est in  
 Vrbe bonus, & studiosus, qui tibi fortunas amplissimas, & in hac  
 uiridi, uenerabiliq; canitie, seram felicemq; senectam non optet; Mi-  
 scri etiam, quorum sanctissimae sunt preces, pro tua salute uota  
 suscipiunt; ut potè quos uel durior egestas oppresserit; uel atrocior,  
 & foedior afflixerit morbus; uel immitis fortuna iactauerit: & hoc  
 loco annumerare foeminas lubet, quae profligato quondam pudore nunc  
 demum ab honesti decoris cura, religionis amor, abdicatis uoluptati-  
 bus intra pudicitiae septa conclusit; cae enim suppliciter uitam, & di-  
 gnitatem tuam superis commendant; Quoniam his omnibus alendis, fe-  
 uendisq; pia liberali, opportunaq; manu semper occurris. Et id qui-  
 dem iucundiore, & clariore cum laude, quod quum tibi uni, qui aurea,  
 & uerè beata mediocritate delectaris, sis Frugi moderatus, & dili-  
 gens erga hos demum, ueluti contemptis opibus, pietate singulari pro-  
 fusissimus habere. Igitur ea mente, qua tot uirtutes colis; atque ea  
 fide, qua scripsimus, hoc ingenii mei munus suscipias uelim: periunc-  
 dus enim labori fructus cedit, si unam ante omnia egregie propensi  
 animi uoluntatem expendes; postquam id, uti uolebas, & ego ipse cus-  
 piebam, elaborata florentiq; facundia praestare nequiuerim. Vale.

## HADRIANI SEXTI VITA.

EMO Vnquàm ab ulla sacrorum comitiorum me-  
 moria , ex his qui literarum , & uirtutis opinione cla-  
 ruerit , uel minore sua ambitione , uel tenuioribus  
 amicorum studiis Hadriano Sexto, Pontificatum est  
 adeptus , quippè qui tot candidatis , qui gratia , meri-  
 tis , atq; opibus nitebantur , sine contentione superatis, ipse Romæ  
 nulli cognitus , & uix auditus ab Hispania extremisq; Germaniæ  
 oris ad summum rerum fastigium , tam felici,quàm inopinato euen-  
 tu facile peruenerit . Ita ut hinc liquido constet Pontificatum Fato  
 dari , comitiorumq; suffragia nequaquàm libidine , decretoq; homi-  
 num , sed certa , & incredibili decorum immortalium prouidentia  
 gubernari . Natus est Hadrianus in inferiore Germania ad Belgi-  
 cum Oceanum in Vrbe Traiecto , quæ Prouinciæ dat nomen , ac  
 inter Batauos , & Canenifates summam obtinet claritatem . Nam  
 Episcopus sacrorum Princeps ~~omnis~~ etiam præest , & latè domi-  
 natur , estq; ex eorum procerum insignium numero qui Cæsaribus  
 addesse , & bello , pacēq; operam præstare consueuerunt , hunc ul-  
 timum Terræ tractum Holandiam uocant , cuius fines ab occasu  
 Oceani fluctibus alluuntur , Cætera ad insulæ formam Bicornis Rhe-  
 nus intercipit . Hadriano pater fuit Florentius qui Familiæ nomen  
 tulerat , uir animi probitate , & ciuili industria , potiusquàm hone-  
 stis opibus insignis . Nam adco angusta re familiari utebatur , ut  
 quum in filio à primis statim pueritiæ initiis miram indolem nobis-  
 lioris ingenii deprehenderet , & ob id cum altius omnino erudien-  
 dum arbitraretur , pecuniam uel in frugalissimæ uitæ sumptus faci-  
 le suppeditare non posset , Itaq; Louanium missus impetrauit , ut  
 in Collegio Portiorum gratuito aleretur . Sunt enim in eo celebri  
 Gymnasio quattuor Collegia disciplinarum omnium referta docto-  
 ribus , Liliū scilicet , Falconium , Castrense , & Portium , in quibus  
 uetere instituto , honestis ac ingenuis , quos egestas presserit , in ali-  
 quot annos ad capiendum ingenii cultum alimenta publicè præben-  
 tur . Per hunc modum Hadrianus Patre Florentio annuæ impen-  
 sæ metu liberato , sese ita liberalibus studiis exerceuit , ut nemo eo at-  
 tentius , aut ardentius literis operam nauare diceretur . Nulla ferè  
 cum unquàm à Scholis iuuenilis uoluptas euocabat , & quum esset

X ii supra

supra disciplinæ duritiem , uini , cibiq; parcissimus , etiam cæteros æquales suos perenni continentia , & lenitate animi superabat. eratq; in eo tanta discendi felicitas , ut quæ aliis essent obscura , uel nimia commentantium subtilitate abstrusiora , ea iucundè rimanti apprehendentiq; longè facillima uiderentur . Ita paucis annis singulas scholarum claffes ingenio & doctrina facile princeps , secundissimo cursu percucurrit . Primum ei Dialectici honorem detulerunt , quum nemo esset eius ordinis qui ei solertia , & acuitate disputandi conferretur . Pari quoque fauore apud philosophos , uti sapius spectata eruditione insignis, ante omnes candidatos lauream promeruit . Porro in Mathematicis ei propè unica contigit laus , quum plerunque sine præceptore conuolutas earum artium subtilitates , & per se caperet sedulò , & cæteris admirantibus lucidissimè recitaret . Ad extremum tantis instructum disciplinis Theologi in scholam auide' receperunt , quibus in studiis perpetua cum laude usque ad senectutem religiosè conqueuit , ita ut carptim tamen , & subcisiuis temporibus Pontificii iuris decreta perdisceret . Cæterum quod unum ei , uiri elegantes defuisse prædicant , eloquentiæ cultioris flores , & poëtarum amœnitates contemnere erat solitus, Siue quod putaret eas sibi aliquid de grauissimorum studiorum autoritate detrahere , Siue quod castis , & piis ingeniis Poëtarum lusus , prauos mores importare , & religionibus plurimum officere arbitraretur , erat enim scueritate christiana adeo uerecundus , ut nihil nisi sobrium , & pudicum, uel ioculariter auribus admitteret . Eo modo probatissimi nominis fama fruentem Margarita Maximiliani Cæsaris filia, quæ tum Belgis imperabat , sacerdotio parochiali in Holandia liberaliter honestauit , quod tam sibi inopinatum est uisum, quàm postea Pontificatus summus , per singulos officiorum , & sacrorum ordines euadenti , inexpectatus fuit . Enim uero præclara uirtus adeo ei prosperè fortunam , & Principum animos conciliarat , ut quum nihil prorsus ambiret , uel appeteret , sed in altitudinem studiorum abditus , sapè hominum qui literas nescirent , colloquia deuitaret , ad honores , & dignitates occultiore uisyderum non inuitari , sed rapi crederetur, Nec multò post ab hac morum, & doctrinæ prerogatiua , suffragiis sacerdotum omnium Louanii in templo maximo Decanus est effectus , qui est in ea urbe inter sacros homines summæ dignitatis locus . Id quoq; sacerdotium alium honorem secum traxit . Is est in Gymnasio præcipuæ potestatis & præcellentiæ, magistratus, uicecan-

cellarium

cellarium uocant , in scholis Collegiorum omnium cuncta moderantem . Nam ei professores deligendi commutandiq; , & quod est praeipuum , & insigne munus benemeritos de optimis studiis laurea exornandi , cura demandatur , tanquam uiro in omni doctrinae genere peritissimo , qui non temere , quenquam nec nisi acerrimis & graui iudicio disputationibus excussum , omnibusq; obiter probatum suffragiis , laurea Corona , & peramplis priuilegiorum codicillis decoraret . Ab hoc sacerdotio , magistratuq; ditior factus , nihil mox antiquius duxit , quam Louanii Collegium , ut quintum adiiceretur , sub Hadriani nomine luculenter aedificare , adiunctis praediis , quibus studiosi adolescentes oppressi inopia cum Doctores alerentur . Gratisimo namq; animo , quum Portii Collegii benignitatem agnosceret , priuati beneficii gratiam , publica liberalitate reponendam statuebat . Quod adeo supra eius uires Louanienibus est uisum , ut non minus ambitiose quam pie , tantae rei inchoandae consilium suscepisse diceretur , quando facultates eius , quae erant mediocres , uix iaciendis fundamentis suffecturas appareret . Sed quum parsimonia , & sancta frugalitate auctiores sibi efficeret rerum omnium redditus , adeo ingenti animo cuncta est complexus , ut sibi iam tum ampliorem , & supremam quidem proximam , fortunam praesagire uideretur . Ferunt Bernardinum Caruaialem Hispanum , qui erat inter Cardinales authoritate , atq; opibus insignis , quum id Collegium tam felici ausu ceptum , quam facili successu operis perfectum admiraretur , quodam ingenuo dolore concepto , fortunae suae indignantem suspirasse , quoniam id opus ad laudem sempiternam Decanus haud plane diues condere fuisset ausus , quod ipse tantus Cardinalis sicuti ab antiquo animi decreto destinasset , nondum inchoare potuisset . Per id tempus Philippus Hispaniae Rex Maximiliani Caesaris filius apud Urbem Burgos morbo correptus interiit ; relicto Carolo septenni filio , qui nunc amplitudine Imperii , & Augusti Caesaris nomine insignis , rerum potitur . Huic ipse Auus Caesar felici prudentia , quum Praeceptorem esset daturus , unum Hadrianum praecipua quasitum cura delegit , repudiatis qui se ambitiose obtulerant , uel amicorum studio producti , ingenium uariis artibus ostentabant . Enimvero ille grauis , & pius Imperator non modo lectissimarum literarum magistrum , sed optimorum etiam morum egregium formatorem tantae indolis , & fortunae puero adhibendum existimabat . Quasi cum iam supra Hispaniae Regni hereditate

X iii qua

quæ ei materno nomine obueniebat, sibi in Imperio successorem fore diuinaret. Dicere enim solebat turpe quidem esse magno Principi nescire literas, Sed longè turpissimum his cum moribus, atque uirtutibus omnino caruisse; quæ populis, & Gentibus imperantem, cum eximia pietatis, ac excellentiæ laude contra superbiam, atque libidinem, & reliquas immoderati animi cupiditates inuictum penitus, & incorruptum præstarent. Nec Hadrianus Cæsaris opinionem fefellit, quum nemo ferè ipso solidæ doctrinæ opinione celebrior, nemo sobrietatis, & Castimonix laude ornatior, nemo uitæ modestia, innocentia, religione præclarior haberetur. His enim exactæ disciplinæ præceptis Carolum adolescentem per se natura docilem ingenioque pacatum ad has, quas in ipso maximo, atque optimo Imperatore impetrata pace, & Francisco Sfortia restituto agnosceamus, & admiramur, incomparabiles iustitiæ probitatis, & clementiæ laudes prouexit; ita, ut afflictæ tot malis Italia, quum acquisitissimi, & moderatissimi Principis beneficio sublatis bellis pacem receperit, in eiusque salutari tutela, nunc primum securè admodum respiret, & per iucundè reflorescat, non modo gratis uotis, Cæsari gratias, uti Salutis, & quietis auctori, habendas existimet, Sed magistrum etiam pro sua pietate in cælum receptum, qui discipuli animum sanctissimis moribus instruxerit religiosissime ueneretur, Quoniam aliquantò maius, & augustius fuit, optimi, quàm maximi Principis cognomen bonorum omnium iudicio meruisse: Quum ea omnia, quæ benigna manu Fortuna præbuerit, eius etiam nunc potestate impotentique arbitrio teneantur: Illa uero diuina uirtus, qua duce, non modo ad totius orbis imperium, uerum etiam consummata uictoriarum laude, in cælum certis passibus contendit, Firmissimam possessionem sempiterni fructus, & perennis gloriæ præstare uideatur. Defuit tamen Hadriano summa felicitas in excolendo puero, Nam Carolus quum mores in Principe literis potiores existimaret, nec his perdiscendis tantum operæ, uel temporis, quàm quantum equorum, & armorum studiis impartendum arbitraretur, deprecante præceptore citius quàm debebat scholam deseruit. Ferunt Carolum Ceurium Nobilem Belgam, qui tum erat nutritius, ut integra adolescentis possessione frueretur, alumnum militares iocos sapius offerendo sensim auctisse à literis, proptereaque Hadrianum auctoritate imparem, & natura lenissimum officio facile decessisse. Ita tamen ut discipulo perblande diceret, futurum aliquando, ut cum præsentis negligentix poeniteret. Audiui ego Cæsarem quum Ge-  
nuæ

nux Latinam orationem à quodam recitatam nequaquam præclare intelligeret , suspirantem hæc uerba ingenuo ore protulisse . Agnosco inquit , nunc maxime , & cum dolore quidem Hadriani magistri mei diuina monita , quum hos flores , & elegantias latinis sermonis percipere nequeam , & meminerim cum sæpè prædixisse me aliquando puerilis incuriæ pœnas daturum . Itaq; Ceurio ad summam potentiam contendente . Hadrianus ad Ferdinandum Regem in Hispaniam mittitur amplissimo quidem cum munere Legationis , nisi ea honoris specie uir æquisimus longius ablegari uideretur . Erat eo tempore Ferdinandus animo nequaquam pacato erga Regulos ulterioris Hispaniæ , quòd primo statim Philippi Generi aduentu , deserta ueteri aula se se ad illius amicitiam recepissent , quum ferè omnes pro sene , & eo quidem genere Catalano , & parum liberali , nouum atq; legitimum Regem iuuenta , natalibus , & uitæ splendore maxime florentem , cupide sequeretur usq; adeo , ut Federicus Tolletanus Albaregulus ferè omnium solus integra sacramenti religione fidem seruaret . Quibus procerum studiis Philippus eo se se extulerat , ut socerum planè exutum ulteriore Hispania iuuenili quadam alacritate contemnere uideretur , maneretq; sola inter eos imago necessitudinis , & amicitiae , non expressa quidem mutuis officiis , sed inanibus tantum epistolarum , & uerborum titulis sustentata tanta quidem utrinq; suspicione , ut quum ad constituendas leges , quibus in regendis Prouinciis uterentur , Speciemq; coniuncti animi populis præbendam , necesse esset ut in colloquium deuenirent , delecto campestri loco , parum familiari habitu , tanquam ad hostilem aciem promotis utrinq; equis sint congressi . Nec multo post Ferdinandus Neapolim nauigauit , ut inde magnum Consaluum abduceret , uirtute & liberalitate , suspectisq; artibus ad Imperium aspirantem . Sed eo in Italiam nauigante Philippum uehemens extinxit morbus , itaq; rebus cum Neapoli tum in Hispania feliciter confectis , rediens Ferdinandus aliquanto amarior , & asperior est effectus aduersus proceres , qui propter intempestiuam ingrati animi leuitatem , intemperanti obsequio noui Regis gratiam , ueteris maiestatis honori prauulissent . Harum igitur offensionum memoriam Hadrianus ex animo regio opportunissimo tempore deterfit . Erat enim ad temperandas affectiones Regis , tum exulcerati , & ad uindictam uergentis ingenii , uehementer accommodatus ; tum ipsa sanctissimorum morum existimatione , tum suauissimis philosophiæ Christianæ præceptis ; quibus Rex ipse prudentiæ , & religionis laude insignis , facile obtemperabat .

perabat . Regulis eo modo sincera fide ab Rege in amicitiam receptis , Dertusensis Episcopus fato cessit . in cuius locum iudicio Regis , & procerum omnium Hadrianus nequaquam eius honoris appetens est susceptus . Existimabatur enim eo sacerdotio longè dignissimus , quoniam præter incomparabiles uirtutum omnium doctes , se etiam tanto oneri fore imparem , uerecunda relictatione prædicabat , & non modo opes , uerum & conspicui nominis amplitudinem , non exiguo sed modesto animo contemnere uideretur . His susceptis Episcopatus insignibus , nihiloscius in uetere obeundæ legationis munere perseverauit , usq; ad uitæ exitum Ferdinandi Regis , qui cum propter eximia probitatis , atq; iustitiæ laudem , sanctissimi parentis loco enixè coluerat . Mortuo autē Ferdinando , quū Carolus nepos summo populorum studio , tot Regnorum hereditatem adiunisset , remansit etiam tum in Hispania ex Legato consiliorum rerumq; omnium particeps , & moderator effectus , quanquam summa regendæ Hispaniæ Cardinalem Tolletanum respiceret . Secutum demum est id tempus , quo Leo Pontifex in Umbria difficili bello implicitus , eam Cardinalium coniurationem detexit , cuius princeps fuerat Alfonsus Petrucius Senensis , Is enim à Leone Patria pulsus , quum uindictæ libidine atrox facinus animo agitarer , iracundiæ suæ decretum cum aliquot Cardinalibus stultissima linguæ libertate communicarat , unde mox inditiis nefarii consilii facile deprehensus , ipse in quæstione tortus , & demum necatus infantiæ suæ pœnas dedit , ceteri quod neglecta salute Pontificis , tanti periculi consilia minimè detulissent , adempto iure punice pilei cū ignominia Senatu sunt amoti . Fuere ii Raphaël Riarius , & Bendinellus Saulius Lygures , & Hadrianus Cornetanus , Francisco autem Soderino clementer ignouit , ne si ob recentem iniuriam Senatu motus esset , id ueteribus odiis dedisse uideretur . Ad horum calamitatem Senatus reputatione periculi consternatus , quum alienos ab ea seueritate animos in dicendis sententiis ostendisset , Pontificem impulit , ut nouis Cardinalibus Curiam impleret , indignatum quòd parum beniuolo fidei q; animo detectæ coniurationi crederetur . Ea enim tum uidebatur Senatorum naturæ lenitas , ut pleriq; in misericordiam uersi , nequaquam uti debebant , Principis periculo permouerentur , & eam cogitati sceleris pœnam , non iustitiæ , sed crudelitatis nomine , haud obscuris sermonibus appellarent . Quibus de causis Leo beneficii pariter ac iniuriæ natura grauis æstimator , ut inimicorum contunderet Spiritus , & maiores , & fideiores necessitudines

cessitudines sibi, & Mediceæ familiæ compararet, unum, & triginta Cardinales, una atq; eadem liberali pronuntiatione in Senatum legit, egregio ædepol excellentiq; delectu, Si in uniuersum quisque amorum literarumq; censura specteretur, nec immodicus numerus seueriorum animos offenderet, qui sacrosancti ordinis dignitatem imminui, & fœdari tanta multitudine prædicabant. In his fuit Hadrianus Leoni quidem antea ab egregia nominis fama planè cognitus. Sed tum præsertim Maximiliani Cæsaris literis, & Alberti Pii, Guliermiqu; Enchauordii plenissima commendatione laudatus, erat hic Guliermus ex eadem inferiore Germania uetus eius familiaris: qui quum Pontificia in aula ab incunte ætate honesta cum laude solertis industriæ uersaretur, Hadrianum impensè laudare, & doctis sanctissimisq; uiris omnibus, nostræ ætatis, præferre erat solitus. Itaq; Hadrianum aridentis fortunæ prorsus ignarum, nec tale quicquam tranquillo ingenio cupientem, is qui pileum ab urbe detulerat, operandis sacris occupatum inuenit, ita ut quies admodum, & lenta quadam hylaritate uenientem excipere, nec paulò iucundius, & liberalius tanto munere lætari uideretur; qui animi habitus ea moderatione definitus erat, ut nihil ad inuidiam propter fastum, sed propter incorrupti animi simplicitatem ad gloriam omnium testimonio uerteretur. Sequenti anno Carolus confirmata cum Francisco Rege ad Nouiodunum amicitia, quam iniquis conditionibus impetrassè uidebatur, in Hispaniâ uenit, circumuectusq; per ultiores Prouincias, passim Ciuitates, & Regulos in uerba iurantes sacramento adegit, nec multò post Cæsar Maximilianus in Germania moritur. Inde pro nouo Cæsare deligendo, procerum comitia habita, in quæ ipse etiâ Franciscus Gallorû Rex magnis in nixus largitionibus pro se cum summi Imperii honorè petebat: Sed Germani natura Gallis iufensi, quanquam nonnulli præsentì pecunia corrupti, & ingentiû pollicitationû spe inducti labare uiderentur. Facile tamè rerû omniû, præterquam publici decoris memoriâ abiecerunt atq; ita Carolus cunctis suffragiis Cæsar est appellatus. Nec mora, tâto cognomine auctus, uti necesse erat, quàmprimû in Germaniâ redire cõstituit, ut de more apertis in câpis, & Cæsar, & Imperator militibus comitiis acclamaretur. Itaq; eo in Calecos ad Columnas Herculis antiquû portû ut inde per Oceanû in Germaniâ nauigaret cõtendēti, Hadrianus cû Imperio toti Hispaniæ præficitur, tanta cû dignitate, ut Cæsar recusantē, & præoptantē sequi humanissimis precibus, ut manere uellet, exorare cogeretur, quâdo Rege absente in Hispania Præ

Y fide



sive opus foret , præclaræ dignitatis , & famæ, qui Populos nequaquam adhuc parendi obsequio confirmatos , omnibus moderationis , atq; iustitiæ exemplis in officio contineret . Verum Hadrianus , uel ob id in Hispania remanebat inuitus, quod alienæ improbitatis inuidiam sibi uiro innocentissimo minimè subeundum esse iudicabat . Erant enim Hispani ferme omnes Belgis ipsis uehementer irati , qui Ceurio Principe , atq; authore Ciuitates inusitatis auaritiæ commentis expilassent . Siquidem Ceurius Caroli nutritius , uti erat in procuratione rerum omnium cum incredibili autoritate constitutus , in unam eam præsertim curam rapacis ingenii neruos intenderat , ut quanta uis maxime posset, signati auri , uel impudenti ratione cogeretur . Erat enim nouo Cæsari paranda classis , exornandus in Germania exercitus , remunerandiq; procures , qui eximia & constanti suffragiorum benignitate , augusti Imperii coronam detulissent , is erat in Ceurio consilii prætextus, cæterum quum omnia apud eum essent uenalia , non Cæsarianos modo, sed priuatos etiam loculos inexhausta cupiditate auro replebat , adeo ut passim foedissimis auaritiæ probris, & maledictis proscinderetur . Oderat Ceurium Hadrianus propter acerbicatem , ac insolentiam auarioris animi & super hæc manebant adhuc uestigia ueteris iniuriæ , nam Hadrianus dum Louanii Collegium conderet coniuncti soli non magnam arcem cum attigua domuncula ad maiorem publici ædificii laxitatem , & elegantiam , à Ceurio , nec æquo precio, nec religiosissimis precibus , impetrare potuerat . Existimabat etiam se in Hispaniam specie honoris fuisse ablegatum Ceurii impulsu, ut Carulus adolescens uno ipsius Imperio pro libidine regeretur . Tum uero minimè dubitabat quin & eius quoq; opera in Hispania relinqueretur , ut ad arma consternata , & plane desciscientis Prouinciæ immani aestu , & sauis fluctibus iactatus, & absorptus interiret . Nec eum fecellit opinio , nam Cæsare iam adhuc Toleti agente , haud uanus rumor increbruit coniurare in unum ulterioris Hispaniæ Populos , & Toleti esse qui Ceurium opprimere cogitarent . quibus cognitis Carolus Ceurio trepidè suadente adeo properè cunctisq; inopinantibus , & spurcissima quidem Cæli tempestate urbe excessit, ut nequaquam proficisci , sed præ metu prorsus effugere crederetur . Vbi Cæsar ad oceanum peruenit , Legationes ad conuentum euocantur , & quæ est conuentuum ferme omnium summa, pecuniæ postulantur, quas imperare nefas est nisi Reges ad promerenda ea subsidia, Populis uariarum rerum immanitates concedant . Petebatur autem

autem ab uniuerſis, ut Ciuitates Belgis præſidibus liberaret, hiq; honores æquiſſima liberalitate indigenis hominibus mandarentur. namq; officia ita ad quæſtum Belgis dono data erant, ut ea demum præſenti pecunia Hispanis hominibus uenderentur. Sed Cæſar durior eſt inuentus, quoniam ea inſolenter atq; ſuperbè petentibus, nihil ferè concedendum arbitrabatur: Comminatus etiam fuerat Petro Gironi Regulo qui non dubitaſſet contumaci ore profiteri, ſe oſtenſurum quid in Hispania authoritate clienteliſq; ualeret, poſtquam Cæſar ſibi iniqua lite circumuento, & ſemioppreſſo ius dicere recuſaret. Caterum aliquot Ciuitatum Legati, qui, ut priuatim gratiam & præmia promererent. Cæſari grauiora pecuniæ ſubſidia petenti propenſiore obſequio obtemperarent, à ciuib; ignominia mulctantur, nonnulliq; etiam populari tumultu pulſantur: eodem quoq; iudicio Segobienſes Legatos ſuos quoniam audacter, & fortiter pecuniam ſe collaturos pernegäſſent, niſi ampliſſima immunitatis priuilegia eſſent conſecuti, tanta cum latitia, & gratulatione receperunt, ut honoris cauſa triumphantium more urbem intrarent. Quibus de cauſis Hadrianus initia rebellionis mature opprimenda exiſtimans, aduerſus Segobienſes Ronchillium ſæuum atq; atrocem rerum capitalium præfectum, cum ala prætoria, & cohorte cuſtodum corporis mittit, à Regulis etiam proximis auxilia implorat, quibus diſcedens Cæſar ipſum totius Hispaniæ præſidem creatum uehementiſſimè commendarat. Verum Ronchillio Segobienſium agrum deuäſtante, & comineatus è proximis oppidis in urbem importari prohibente, ut fame ſubigeret, Toletani & Salamanticenſes in auxilium Segobienſibus aduolant & pulſo Ronchillio obſidionem ſoluunt. Tum uero, Hadrianus ingenti cura angere, euocare beneficiarios proceres, & ampliores copias parare, quibus effrenes inſanientesq; populos ad officium reuocaret, ante alios Antonius Fonſeca Cæſaris partes ſuſcipit, & ad Metimnam campi nobile emporium proficiſcitur, ut inde anea tormenta, quæ Regiis armamentariis ſeruabantur in præſentes uſus educeret. Facile intelligens nullam uim uel militaribus copiis nullamq; uel optimo duci ineſſe authoritatem, quæ iuſto tormentorum apparatu caruiſſet. At Metimnenſes uti planè eodem iudicio publicam cauſam ſecuti fœderatiq; finitimis, captis repente armis, ne tormenta educantur, egregiè reſiſtunt, id uero minime ferens Fonſeca uir nobilis, & ingenio ferox, ut plerunq; fit in turbidis, & repentinis caſibus, auxilium planè audax, & ſucceſſu longe fœdiſſimum capit,

Y ii proximis

Proximis etenim tectis ignem inferri iubet , ut in summo urbis, & fortunarum omnium periculo , ciues à tuendis tormentis , ad restinguendum incendium , seruandamq; patriam nequaquam ineptatione reuocaret . Sed tanta uersanis obstinatisq; animis contumacia inerat , ut tueri tormenta , quàm patriam ab miserabili incendio seruare pulchrius existimarent , adeo ut discedente Antonio , seruatisq; tormentis , tanquàm uictores in ipsis patriæ cineribus effusè lætarentur . Ferunt ingentes opes , & preciosa totius Europæ mercatorum , qui nundinas ibi celebrarent mercimonia omnis generis , & aromata item Lusitani Regis incomparabili iactura conflagraisse ; quæ res sicuti Hadrianum incredibili dolore affecit , quod tantæ cladi causam præbuisse uideretur , ita populos iam suoptè ingenio nequaquam regiis magistratibus parentes ad rebellandum ea ueluti accepta iniuria uehementer incitauit , nam haud dubiè totius Hispaniæ opes uno eo incendio absumptæ uidebantur . Nec mora singulæ ferè Ciuitates præter Bethicas , in unum coniurant , copias instruunt , & non obscure uti crectæ ad libertatem , à præsidibus Cæsaris rebellant . Regium tamen nomen in honore habent , & magistratus tantum odisse uideri uolunt , à quibus expilati oppressiq; indignissima paterentur . Ante omnia iudices creantur uiri fortes , acerrimiq; , qui causam populorum cognoscant ; Tum uerò humillimo cuiq; fas fuit iniurias deferre , & liberrimè conqueri de impotentia acerbitateq; prætorum , qui contra consuetudinem antiquorum Hispaniæ Regum populos omneis nulla moderatione uexauissent , ea etenim diserte conscripta ad Cæsarem , ut flagitia suorum inspiceret , continuo missutos dictitabant . Erat tum Valleolecti Hadrianus cum Senatu Regio euocandis Regulis & parandis præsidiis intentus , cum ad eum popularium copia , duce Petro Gironi qui unus ferè nobilissimi generis à Cæsare defecerat pacato agmine ueniunt , quorum aduentu cognito , Senatores metu territi , alii alio habitu , atq; itinere dilabuntur . Hadrianus autem eodem animo urbe egressus , dum abire contendit à Gironi Ioannèq; Padillia sistitur , ii summo cum honore uerborum eum cohortantur ut redire in urbem & conquiescere uellet , Satis superq; enim perspectam esse omnibus Hispaniæ populis ipsius uirtutem , innocentiam , moderationem , atq; ita ipsum , atq; ipsius nomen omni tempore propensissimè colituros , se & tum Cæsaris nomini parere , & perpetuò fidem seruatuuros . Sed decreuisse benemeritis de Regum nomine Ciuitates nolle eas turpissimæ seruitutis compedes diutius

Inachum

diutius perferre, quas auarissimi, & iniquissimi uiri adolescentis Regis praefides nihil tale expectantibus innexissent. Hadrianus itaque tranquillo uultu postquam ita necesse erat, armatis hostibus parat. Verum dat secreto operam cum sacerdote quodam, ut perfosso urbis muro, qui uetustate obsitus facile terebrari poterat noctu educeretur quoniam priuato captoque similis postquam Senatores diffugissent parum incolumi dignitate, sibi nequaquam diutius permanendum apud rebelles arbitrabatur, & in proximo Riuosicci oppidum erat Amirantis Reguli ad quem perfugere cupiebat, necmulto post omnibus deceptis intempesta nocte perforato muro sese eiecit, conscensisque ad id praeparatis equis cum sacerdote in pacatum euasit. Eius fugam Valcoletani quanquam grauer tulissent, tamen familiam cum uniuerso apparatu ad eum inuiolatam postero die praecleara uenerationis, ac obseruantiae testificatione dimiserunt. Interea Caesar cognita tredecim Ciuitatum defectione, opportuno salubrique consilio, duos summae dignitatis, atque Virtutis Regulos, regendae Hispaniae praeficit, eosque ad persequendos qui defecissent pari cum imperio duces creat. Didacum scilicet Vellascum, qui erat magister equitum; & Federicus Henricum quem ab ipsa maritimi officii praefectura Amirantem uocabant. Hi coactis undique copiis, ad Riuosiccum Egurrorum olim forum ubi tum erat Hadrianus, cum paucis Senatoribus perueniunt, & de gerendo bello consultant, omnibusque consiliis Hadrianum adhibent, quanquam is nouo successorum aduentu ueluti abrogata potestate penè priuatus esse uideretur: quasi is qui esset externus & Belga itemque uir saecratus, & senex belli que penitus ignarus militaribus consiliis minime foret admiscendus. Sed singulari humanitate aequitateque dum facile fiebat, ut pristino honore, & solita rebus in omnibus authoritate potiretur ita ut ambo Hadriani domum honoris, & reuerentiae causa communi quadam benignitate frequentarent. Dum haec à Caesarianis ducibus parantur. populares ad summum insolentiae prouecti non modo eos qui à Regiis iniurias pertulissent audiebant, & bona spe maturae libertatis implebant, Sed populos etiam nobilioribus Regulis subiectos tanquam publici disceptatores causarumque omnium supremi iudices, ut magnis querimoniis iniurias deferrent inuitabant, quae res importune mora, procerum omnium animos subito timore corripuit, adeo ut qui modo eius belli tumultusque spectatores esse cupiebant, tam propinquo periculo monerentur, ut se se protinus ad Regios conferrent, tempestiuaque

Y iii inclina

inclinacione applicando vires , & promerent gratiam apud Cæsarem & aduersus populares ditionem , & dignitatem suam in tuto collocarent , eadem de causa Petrus Giro desertis eorum castris ad nobiles se recepit, quo discedente Ioannes Padillia à Toledo, & Ioannes Brauus à Salmantica duces creantur , & ad Tordefillam contendunt hæc olim fuit Segisama Iulia ubi Regina Cæsaris mater à Philippi coniugis interitu mente commota in lachrymis , desperatis medicinæ remediis miserabilem uitam ducebat , igitur eam uti Reginam saluant , suadent ut munia reipublicæ suscipiat , & se se aduersus externos præfides uti Ferdinandi Regis filiam deceat, cuncta gubernet , hæc omnia quum ipsa alacri animo se facturam diceret , & ex interuallo atræ bilis nonnunquam opportuna loqueretur , ut potè quæ se Cæsaris matrem , ac Ferdinandi filiam tenacissime meminisset , nequaquam tamen adduc potuit , ut libellis , & codicillis subscriberet, ita ut ea uicordi detractiōe, popularium consiliis magnum incommodum afferre crederetur . Interim Padillia ne otium tereret copias ad oppidum Villapandam ducit , cuius discessu præclaram occasionem rei bene gerendæ fortuna Cæsarianis ductibus ostendit remanserant cum Regina popularium Principes, & illi præsertim iudices ad quorum nutus cuncta gerebantur, exiguo cum præsidio militari , itaq; Vellascus & Henricus opportuno tempore eductis copiis ad Tordefillam aduolant oppidum temere munitum , priusquam Padillia fiat certior atq; opem ferat , inuadunt, & occupant . Iudices ipsi cum magna imbellium popularium turba capiuntur , diripitur eo imperu oppidum , atq; ipsa etiam Regina domus , quo negotio ad momentum summæ uictoriæ prospere confecto , ad Riufosiccum reuertuntur . Nec multum inde Padillia , & Brauus his detrimentis acceptis, se ipsos colligunt, parandasq; maiores copias censent . quibus se se aduersus Regios tueantur . Erant apud oppidum Torum circiter octo milia hominum, ex his qui pro publica salute libertateq; Zamorensi præsertim Episcopo concitante arma ceperant Zamora autem antiquitus Sabris fuit ad hos ut in unum iungerentur , Padillia, & Brauus mortis castris contendunt , & ex itinere Lupatoniæ Turrim, quærat in ditione Amirantis acriter oppugnant . At Regii duces de consilio , itinerisq; hostium haud inani coniectura iudicantes , quin & ipsi protinus copias educerent , nullam omnino consultationi moram attulerunt . quoniam magnæ felicitatis arbitrabantur , si hostibus, priusquam maioribus copiis augerentur, occurrerent . itaque à  
Riufosicco

Riuosicco cum expedito tormentorum apparatu obliquis itineribus profecti, nouissimum hostium agmen apud uillam Alariam conscuntur. Erant superiores peditatu populares, Sed eo tamen tumultuariis armis instructo, & prorsus ignaro militiæ, equitatu autem Regii superiores erant, cum numero, tum uirtute, nam quisque Regulorum secum insignes, & ueteranos equites adduxerat. Quum in conspectu utraq; acies essent, & à Regiis antecursoribus abeuntium terga premerentur, & undiq; Regii toto campo prouolarent. Padillia, & Brauus pedestres copias maturè progredi iubent, ipsiq; alacriter cum uniuerso equitatu ora conuertunt. ut dum insultantium impetum à tergo sustinent, peditibus spacium detur conficiendi eius exigui itineris ad tutissimum receptum, nam uilla Alaria, ut diximus, erat in conspectu. Caterum Padillia, & Brauus acerrimo cum primis contracto certamine, dum se se audacter efferunt, & à peditatu temerè disiunguntur intercepti circumuentiq; à multitudine Regiorum equitum capiuntur, qua fortunæ iniquitate terri pedites, dum prima acies ad uillam effugit, & postrema uictorum impetum non sustinet, toto campo conciduntur, fugientibus tamen, & ad terram arma proiicientibus, non obliui humanitatis Vellascus & Henricus parci iubent, tantus enim pavor amissis duobus, militum animos occuparat, ut qui pauloante ferocissimè, ac acerbissimè uociferando, Regiis extrema supplicia minabantur, puncto temporis animo conciderent, nec quicquam aliud quàm fugam abiectis etiam gladiis spectarent, ita ut nulla eorum integra manus uti pauore dissipata ex tanta multitudine in unum omnino certum locum euaserit. Postridie Hadrianus prælii campos inuisit, & quanquàm sacrato homini tot conspectis hostium cadaueribus, non erat exultandum, ea tamen uictoria, uel ob id magnopere est lætatus, quod nefarii belli duces uiui in potestatem deuenissent. Eos Vellascus, & Henricus noxiorum habitu ad ignominiam asinis impositos per castra circumduci sub uoce præconis, & demum iugulari iussere, ut cæteros eo supplicii exemplo deterrent. Ferunt Padilliam æquo pioq; animo tulisse eam calamitatem. Brauum uero contumaci ore se proditorem esse pernegasse, ac ob id à lictore uirga immaniter fuisse uiolatum, ad quem Padillia conuersus dixisse fertur, heri inquit sodes summa uirtute nobis depugnandum fuit, hodie autem ea æquo animo subeunda arbitror, quæ fortuna tulit conatibus nostris aduersa, quum nemo nisi parum pius aut insanus ad immortalem deum, in hoc infelici uitæ exitu animum non conuertat.

conuertat .Cæterum ultimis omnium Toletanis uix dum pacatis , bellum Gallicum est exortum , per occasionem etenim tumultuantis Hispaniæ Asparosius Lotrechii frater Nauarræ Regnum inuaserat , occupatoq; Pompelone atq; eius arce in potestatem redacta, ad Hiberum usq; amnem arma promouerat . Neq; enim ulli humanarum rerum non ignaro , dubium erat , quin Cæsari in ipsa occupatione intestini belli , aliquod saxum uulnus inferretur . Sed fortuna quæ eius rebus effusissime semper fauit sublati discussisq; periculis longè secus ac sanus quisquam putasset, cuncta opportuna atq; facilia ad uictoriam parauit . Nam populi qui dudum ad fidem redierant defectionis infamiam egregia uoluntate, & illustribus factis diluere cupiebant cohortantibus ducibus Regiis , atq; ipso præsertim Hadriano passim concionante facile contra Gallos arma uertebant , qui certè nisi magnis laboriosisq; delectibus late habitis, magnaq; imperata pecunia exciri , armari ue in ipso otio minime potuissent . Itaq; ualido exercitu Hiberum properè traducto, hostes in Nauarræ finibus adsecuntur . Galli tum forte à Grunio quod antiquitus Iulio briga dicebatur ad Pompelonem modicis itineribus se se recipiebant , ut potè qui de calamitate popularium, Regionumq; uictoria certiores facti , in tuto sistenda signa , & Pompelone expectanda auxilia priusquam de pralio decertarent, arbitrabantur . Sed quum eorum inordinatus , & segnis admodum esset receptus . Vel lascus , & Henricus transuersis , & asperis tramitibus progressi , ita eorum iter celeritate in paucis miliaribus adæquarunt , ut à fronte uiam quæ ad Pompelonem ducit , occuparent , nec mora collatis signis pugnari cœptum , & ab initio quidem feliciore Gallorum equitum irruptione , qua Cantabrorum cohortes protritæ, fugatæq; fuerant , Sed ubi Hispani expansis equitum alis à tergo, & à lateribus se se intulere , & peditum promota sunt signa , Gallicæ turmæ , & Vasconum cohortes numero ualde inferiores sustinere nequiuērunt, quin se se in fugam præcipiti cursu mandarent ; pauci in acie , multi in fuga cecidere , aliquos etiam præaltæ segetes in fuga prætexerunt . Asparosius dux ipse collisa ferreis clauis galea uehementissime sauciatus in potestatem Bcomontii Reguli deuenit, captus est, & Tornonius qui pari propè cum imperio copiis præerat, Cæterum Bcomontius Asparosium non multo post carcere emisit, ut creditur, pecunia corruptus , cuius admissi sceleris pœnas postea iudicio Cæsaris capite persoluit . Tornonius autem apud Hadrianum, & duces in libera custodia est retentus . Ea uictoria feliciter parta , omnes

nes Nauarræ Regni oppidorum atque Urbium portas Cæsarianis aperuit, atque inde demum Hadrianus ad urbem Burgos est reuersus, exardenteq; bello cum in Belgica, tum in Italia aduersus Gallos occupatoq; in ora Cantabriæ à Gallis fonte Rabido, operam dedit, ut nulla in re Cæsar, aut diligentiam aut fidem omnino desideraret. Interea Leo Pontifex leui ab initio, & ferè contemnenda, Sed mox uehementi atque mortifera febre inopinantibus medicis extinguitur. Tum uerò Cardinales iustis nouendialibus defuncto persolutis, ad comitia coeunt: aduenerat Mediolano mutatis ad celeritatem iumentis Iulius Medices, qui pulsus Gallis; apud exercitum erat Legatus. Is magnis opibus, & clientelis innixus, recentiq; fama rerum prosperè gestarum, & prudentiæ, ciuiliq; modestiæ nomine commendatus ante omnes Pontificatum petebat, traxeratq; in partes sexdecim Cardinales in quibus pleriq; erant iuniores, qui uel ob id ardentius ac expeditius Iulio fauebant, quod pro se ipsis minimè petendum arbitrarentur, & gratiam apud nouum Pontificem præclaro maximè studio, apertisq; suffragiis omnino parandam existimarent. At seniores quorum plures erant candidati, quanquam duplici ferè numero ceteros superarent, multis tamen de causis ut Pontificem declararent adduci non poterant, priuatis scilicet implicati uotis, & uariis factionibus impediti, ita ut nequaquam in unum sincera uoluntate consulerent, & sæpè ad alium atq; alium magnis ambitionis fluctibus uoluerentur, Sed unum, & certum senioribus detestabili consilio coniuratis, decretum erat nemini nisi ex ipso sui corporis ordine suffragari, quod ætatis honore, & opinione uirtutis iunioribus præstare uiderentur. Id porro magnas afferebat difficultates quominus Pontifex libera uoce diceretur. nam quisque ex senioribus suo ambitu inductus, quum ad Pontificatum aspiraret, in eo uehementissimè laborabat, ut occulta mutui suffragii pactione alios atq; alios ex iunioribus sibi obstringeret, daretq; operam fallendo atq; infirmando alienas spes, ut in multos dies comitia proferrentur, nam si primi competitores repulsam ferrent, nemo erat adeo maculosus, & degener, qui sibi ipsi nō blandiretur ad petendum, & certam spem minimè collocaret in ipsa ætatis, uel doctrinæ prerogatiua aut in usu rerū, & generis claritate, ea enim est ambitiosorū natura mortaliū, ut quum ipsi nulla insigni dote præstatoris ingenii ad laudē emineant, aliena uitia in censu tanquam proprias uirtutes adnumerēt. Igitur pleriq; inimicos probris, & falsis sæpè calumniis onerabant, ut ceteros à

Z ferendis



ferendis suffragiis prætextu pietatis deterrent , adco ut non modo malignis susurris in Sacrosancto Conclau, uerum & per urbem singulorum mores famosis carminibus notarentur , tanta maledicendi libertate , ut populus pariter , & Magistratus , quos seueriore pœna persequi debuisset , uti iucundissimos poëtas singulari petulantia celebrarent . Ea res fœdisimè tolerata , existimationem Sacrosancti ordinis magna ex parte conuellit , effecitq; ut sacerdotum nomen pauloante in Prouinciis augustum , & uenerabile , despectui , & ludibrio penitus haberetur , quum ea carmina contumeliosissime conscripta , ad extremas usq; totius Europæ Nationes permanerent , à quibus non multo post tam atrox & mortiferum id acceptum est uulnus , quo omnes capta , ac direpta urbe Roma , dignitate , & fortunis exuti turpissime concidimus . Prodicrat candidatus ante alios Bernardinus Caruaial Hispanus , Senatus Princeps , qui quum uel demisse prehensando apud surdas aures nihil proficeret , facile repulsam tulit , nam per se quisq; Cardinalium ab illa ualde funesta , & propè execrabili Alexandri sexti memoria , Hispanici nominis ingenia perhorrebat , & ipse quanquam probe cruditus , & grauis quod à Iulio Pontifice , excitato schismate descuisset , recentis adhuc ignominie notam præferebat . Secutus est Alexander Farnesius , magna Romanæ Nobilitatis , & optimarum literarum præsidia secum ferens , is uti nemini inuisus , nec omnibus gratus , non multum abfuit à summo , quod petebat honoris fastigio , nec hæssisset in cursu , si ad suffragiorum numerum , quem sperauerat tenorem , in accessibus esset consecutus . Siquidem Iulii Medicis nutu , auctoritateq; iuniorum suffragia regebantur , cuius id unum erat summæ prudentiæ consilium , ut neminem qui gratia pollere uideretur , suorum suffragiis iuuari permetteret , ne quid temere , uel imprudenter admitteretur , quo sibi eripi posset is honos ad quem tantis studiis , atq; opibus , & fatali sed nondum matura felicitate contendebat . Ab hac dissensione Senatus , utrinq; magis & magis studia accendebantur . nam utraque pars , quum in tanta spe sitiq; obtinendæ , uel tradendæ supremæ dignitatis æstuarer , si ab altera uinceretur , calamitosum , & turpe maximè fore existimabat . Nec quisquam adduci poterat , quin alienæ cōstantiæ exéplo cōtumacissime persistendū censeret . Ita ut liquido cōstaret , neminē posse Pontificem creari , qui iunioribus , & Iulio minime placuisset , quoniam ex ordine seniorum nemo reperiabatur , qui se eo honore nō dignū putaret , & id studio , & præcipiti liberalitate , alteri uel amicissimo concedere

dere uellet , quod priuato ipsius merito , aut ætati , in aliena præse-  
 tim altercatione facile tribui posse uideretur, in comitialibus etenim  
 superiorum temporum procellis nonnunquam accidebat , ut Sena-  
 tores commutata uoluntate , non ad eos , quos antea certis animi  
 decretis euehere destinaissent , Sed ad obscuros, & minimè ambitio-  
 sos homines repentino ueluti turbine raperentur . Præter hæc duæ  
 etiam subortæ erant factiones Cæsari aut Gallo fauentium , quibus  
 de causis fiebat , ut tota suffragiorum ratione conturbata in plures  
 dies ipsa comitia fremente populo traherentur . Ob id Farnesius  
 quum aliquandiu diligenter ambiendo , & plures sibi amicos adsci-  
 scendo , patres ad suffragia uocare , & gratiæ fortunæq; suæ pericu-  
 lum facere decreuisset ut Cæsarianorum certiore studio uteretur, Ma-  
 nucli Cæsaris legato fidem obstrinxerat tãquam Cæsari eo datæ fidei  
 pignore nunquam defuturus . Si eius auspiciis Pontifex esset effe-  
 ctus . quæ res nequaquam feliciter occultata , ab eo Gallicæ factio-  
 nis aliquot Cardinales protinus auertit . Sed Medices qui tam &  
 si hominem probaret , & coleret , cum tamen sibi minimè præferen-  
 dum iudicabat illius spes facile constantia sua præcidit . Et hercle  
 supra omnes insigni studio erga Cæsarem præcellebat , ut potè qui  
 dudum spectatis operibus , belloq; aduersus Gallos præclare susce-  
 pto , opes suas , & dignitatem cum Cæsaris fortuna miscuisset. Hac  
 tanta & semper illustri existimatione , & certissimis amicorum stu-  
 diis fretus , ita iuniorum suffragia moderabatur , & seniorum uota  
 flectebat , ut iam non mediocri inuidia conflagraret, quòd per eum  
 impotenti quadam ambitione comitia retardantem , stare uideretur,  
 quominus aliquis probatus , & insignis senex libero omnium uoto  
 Pontifex diceretur. Itaq; seniores ad Medicem Legatos mittunt An-  
 tonium Montanum iuris scientia illustrem, & Thomam Caietanum  
 sacrarum literarum studiis longè clarissimum. Ii meditati orationi-  
 bus orsi à religione Pontificatum cœlo dari , non humanis studiis  
 dicebant . Propterea debere ipsum pertinaciæ finem imponere , &  
 restitutis in libertatem iunioribus æquo animo pati , ut tandem ali-  
 quis ab ætate moribus , & doctrina probatus , etiam si ex omni par-  
 te minimè placeret , Pontifex crearetur , ut is christianis sacris præ-  
 esset , qui non malis artibus , Sed commendatione uirtutis euehe-  
 retur . Prouectis enim ad Sanctissimam Sedem nequaquam amia-  
 cis, & fautoribus sed diis immortalibus habendas esse gratias. Quã-  
 doquidem Pontificatus semper calamitosus , & infelix extitisset iis,  
 qui ui contendendo contra leges ambitus, illum inuitis melioribus  
Z ii essent

essent consecuti , ad futurum pro certo cœleste numen in suffragia euntibus . Si Cardinales rerum omnium præterquàm ueræ pietatis obliuiscerentur . Ad ea Medices graui, & moderato sermone respondit , nulli magis quàm ipsis eas adhortationes conuenire , qui nefaria coniuratione inita , iurare minimè dubitassent, nemini nisi ex ipsorum Seniorum corpore suffragia duros . Non deesse apud Iuniores omni uirtutum prærogatiua dignissimos , qui expectita senioribus ex æquo mererentur . quos eo summæ iniquitatis decreto , & detestabili secessione ad contumeliam notatos alienassent . Neque se qui tam , & si exquisitis literis abundè non sit instructus , ulli unquam uel moderatione , uel iustitia uel pietate , uel senatoriis officiis , uel clarissimis erga Rempublicam meritis , esse concessurum . ad hæc etiam liquido constare quanta fide , quantaq; propensione, & frequentia gratissimorum amicorum confirmatus , id petere , & sperare posset , quod tamen ad declarandam animi temperantiam alteri concedere paratus foret , propterea se nominaturum uirum insignem , ut se illo inuidiæ , & ambitionis onere liberaret , & præclara uoluntate Reipublicæ Christianæ consulere , quod si is à Senioribus minimè probaretur , tum uero manifestè eorum consilia obrectationis , & cœcæ malignitatis plenissima nudarentur . Ab eo colloquio quum esset discessum . Medices prolixè cum iunioribus disputando constituit , ut postero die Hadrianus Cardinalis Derthusensis , conscriptis in eius nomen Sygraphis , in Comitio nominaretur , quoniam is esset omni pietatis, & continentiae laude conspicuus , nec Cæsarianas partes deserturus esse uideretur , quibus ipse vehementer esset implicatus . Erat enim ei magnopere timendum , ne si Gallus noui Pontificis Bellum in insubribus renouaret . Placentia , & Parma uix dum receptæ , atq; agrè per interregnum defensæ Urbes protinus amitterentur , & subinde ipse uti belli socius Florentia patria pelleretur . Iam enim Franciscus Maria Feltrius Gallicis instructus auxiliis , Vrbinum Secundissima populorum uoluntate , ciectis Florentinis Magistratibus receperat . Malatesta quoq; Balconus , qui tum cum laude apud Venetos militabat , cum Horatio fratre in Vmbriam delatus , paternis amicis ad arma excitis , pulsisque Perusia Gentile patruo , & Vitellio Trifernate , Pauli patris necem ulturus esse uidebatur , quem Leo Pontifex in mole Hadriani Biennio ante capitali supplicio affecisset . Nec de erat in agro Romano Rencius Ceres , qui pro Gallis cohortes conscriberet coniunctisque cum Balcono , & Feltrio copiis bellum atrox Senensibus, & Florentinis

& Florentinis se illaturum tanquàm Gallorum hostibus minaretur, hæc omnia per notas arbitrarias angustissimè conscripta syngraphis inter fercula sedulo occultatis, intra comitia & Conclauē Iulio Medici quotidie nunciabantur. Quibus rerum grauisimarum periculis adductus, nequaquàm diutius in comitio perseuerandum arbitrabatur, nedum incertam spem adipiscendi Pontificatus obstinatus sequeretur, præsentem dignitatem, quæ erat amplissima, & Regnum item Ethruriæ togatæq; Galliæ ditionem, in qua ipse Legationem obtinebat, in manifestum discrimen deuocaret. Super hæc tenuissimam quoq; spem, uel ob id conceperat, quòd certam fidem uti optimo iure antea sperauisset in quibusdam Cardinalibus minime reperiēbat, quos præsertim ipso enixè flagitante Leo Pontifex in Senatum legisset, ii erant ante alios Scaramutia Triuultius, Pompeius Columna, Dominicus Iacobatius, Baptista Pallauicinus Lygur, & Raimundus Vicus Hispanus. Itaq; Medices desperato, uel neglecto Pontificatu Hadrianum nominat, Iuniorum suffragia perpetuo Syngrapharum tenore illi fauent. Subit cunctos admiratio ad inexpectatum candidati nomen. Tum uero Thomas Caietanus ad proximos conuersus. Ergo inquit pedibus in Sententiam accedamus, ut postquàm diis ac hominibus placet, uir Sanctissimus omnibus numeris Christianæ uirtutis insignis Pontifex creetur, nec mora pleriq; tactis religione animis alacres accedunt, alii cunctabundi qui nec eius nomen audiuisent, erectè tamen ac ueluti præsentī numine impulsī spes suas abrumpunt, & rationum suarum obliuiscuntur. Hadrianumq; Derthusensem Pontificem renunciant. Vnus omnium Franciottus Cardinalis Vrsinus, ut suffragio, accessu'ue iuuaret adduci non potuit, quoniam nefas esse diceret eum Christianis sacris præficere, quem non uidisset unquàm nec ab opinione uirtutis planè cognouisset. Cæterum exultante Iulio Medice quasi uicisset, quod ab inimicis minime superatus animum ingenti cura liberasset, alii ferme omnes deformi quadam mortificia deiectionis & tristes ægris animis reputabant quis nam rerum exitus esset futurus, postquàm emissio è manibus Pontificatu, eum homini externo, nulli ferè cognito & procul agenti in extremis Terrarum oris præcipiti temeritate detulissent. Id uero populus adeo indignanter tulit, ut quum patefacto Conclauē Cardinales domum redirent passim maledictis incescerentur, quod infamibus comitiis non modo urbem Romam suo Antistite orbatam prodidissent. Sed quod insanix proximum uideretur. Italiam etiam Pontificatus ho-

Z iii nore

nore spoliassent. Erat enim opinio statim edita in uulgus Pontificem neglecta Roma, ui aut sua sponte permansurum in Hispania, aut enauigato protinus Oceano Germanos esse petiturum, ut ad immortale decus gentis sacrorum princeps in terra patria conspiceretur. Adaperto Conclauis quum globus Cardinalium Hadriani Pontem esset præteruectus, & opifices pueriq; minacibus oculis uocēq; & manibus obstreperent, nec à fœdisimis probris abstinerent. Sigismundus Gonzaga Cardinalis renidenti uultu his egit gratias, quòd aduersus extrema supplicia meritos contumeliis essent contenti, nec lapidibus publicam iniuriam uindicarent. Nec multò post Cardinales ne quid detrimenti respublica pateretur, Triumuiros auctoritate Pontificia constituunt, qui menstruo cum imperio ex triplici Senatorum ordine sorte ducti, pacis, & belli negotiis præsent; Ii in Vaticano Pontificia in parte adium cuncta administrabant. Interim tabellarii cum priuatis literis per Gallias, & Pyreneos saltus ad uictoriam Vellicam Cantabriæ Urbem tertio decimo die peruolarunt. Redibat tum forte Hadrianus à Federico Henrico Amirante, quem agrotantem inuiserat, itaq; Tabellarii adium scalas conscendenti, ad pedes prouoluuntur, cumq; porrectis literis Pontificem salutant, ille nihil ad tanti nuncii nomen uultu animò ue commotus, paulum substitit, & cum tabellarios ab osculo pedum auerteret conuersis ad amicos oculis, Si uera sunt inquit quæ nunciantur, mihi profectò plurimum est dolendum, Nec mora exultantis, & salutantis populi turba atrium porticus, atque ipsa etiam superiora conclauia replentur. Ingruente uerò nocte nobiles equites uti in publica latitia decuit, maurorum habitu uibratis funalibus decurrerunt. Verum Hadrianus nihil propterea, aut de corporis eultu, aut de pristina uitæ consuetudine sibi mutandum esse iudicauit, quum prius expectandas à Senatu literas arbitraretur, quàm quicquam uel muneris uel habitus de Pontificia maiestate, uti præpropere leuiq; similis usurparet. Erat enim non fastu aliquo, uti iis plerunq; accidit, qui in secundis fortunæ flatibus facile contumescunt. Sed à simplici morum nitore stabiliq; uitæ continentia grauisissimus. Siquidem literæ conscriptæ erant à Gerundensi Episcopo haud planè graui & certo authore, quibus ille ad promerendam gratiam Pontificatum omnibus suffragiis ei delatum effusè gratulabatur. Sed omnes erecti erant in expectatione literarum quæ à Cardinalibus cum Senatusconsulto electi Pontificis in Hispaniam mitterentur. Obstabat mare hybernis tempestatibus saeuum, infestisq;

stisq; per omnia littora Gallis prædonibus interclusum, Pyrenæiq; saltus iuga cum præaltis niuib; , tum perpetuis Gallorum custodiis tenebantur: adeo ut quum tredecim dierum spacio , nihil ad confirmandam tantæ rei famam penitus adferretur , iam de ea re plerique dubitarent , quasi Galli hostes fictitiis literis ad eludendam hominis dignitatem totum id commentum in Hispaniam deferri curauissent . Cæterum ipse mirum dictu ea omnia de se uti Romæ acta erant , ab initio constantissimè credidit , quasi ab oraculis fatidicarum uirginum edoctus , quæ tanto rerum euentu promissis fidem attulissent , siue exactissima Syderum scientia , qua plurimum iuuenis oblectabatur , in opinione confirmatus , quum in genitura à sede planetarum admodum felici, stella etiam eximie magnitudinis in Horoscopo ad ipsam finitoris lineam præclara summæ fortunæ denunciatione præfulgeret , adeo ut Acredio medico anxie nimis , & tristi fronte , tantæ moræ spaciū per singulos dies uti spe deposita , supputanti, dicere non dubitaret; ut in spe concepta permaneret , neq; amplius eo literarum desiderio torqueretur , se enim Dei optimi maximi beneficio creatum esse Pontificem , & breui fore ut ab ipso in sede Principis apostolorum in urbe Roma , sub illa solemni Thiara conspiceretur . Interea à Cæsarea Augusta os mandibulæ Diui Lamberti martyris ad eum pro insigni munere delatum incredibili cum lætitia suscepit , id enim antea uel assiduis precibus impetrare nequiuerat , quamuis id Leo Pontifex ab ipsis Cæsare augustanis sacerdotibus per epistolam flagitasset , & Carolus Cæsar eos ad communicandas sanctissimi uiri reliquias , etiam atq; etiā hortaretur . Hinc est illud perfacetum Hadriani dictum ad familiares languidiore spe in ea tristi mora literas de Pontificatu ab urbe præstolantes , si non uobis arridendo inquit , Sed mihi ipsi futurus eram Pontifex , mihi equidem amplius non est opus tanta summi honoris potestate, quando iam Diui Lamberti reliquias, quod unum in tota uita uehementer optauerim, uel ad falsam delati Pontificatus famam felicissimè sim consecutus . Inter hos ambiguae spei sermones , quum per tredecim dies tota eius aula , & omnis ferè Hispania suspensis animis uersaretur , Cœnanti superuenere Nuncii ab urbe Roma , qui literas à Triumuiris cum Senatusconsulto ipsiq; comitiorum actionibus deferebant, quos tanta animi tranquillitate suscepit , ut pellectis literis, atq; his quod honestè conscriptæ uiderentur , pacata uoce , & leni capitis nutu laudatis , nihil plus sit locutus , quàm ut Nuncios tanquàm de uia fessos ad quietem hortaretur.

hortaretur . Adeo ut in eo sedati animi habitu frigidioreq; latitia Viancius Albergatus , qui à Leone missus , sacerdotum defunctorum hereditates in Hispania colligebat , indignanti similis non obscura uoce dixerit . Tenuatur ergo hic summus Pontificatus postquam tam lenta hylaritate suscipitur . Petebat Senatus , ut postquam legitimis omnium suffragiis Pontifex esset creatus , de se benemeritos Cardinales diutius frustrari nollet , paratisq; ad nauigandum rebus omnibus in Italiam primo quoq; tempore maturaret , ut quod Deo optimo Senatuiq; deberet , opportuna ope afflictis Italiæ rebus maturè allata , religiosè solueretur . Ferunt Hadrianum uti ipse postea testatus est , ea nocte diu mente ambigua uolutasse , an Pontificatum susciperet , nullaq; grauiore de causa inductum suscepisse , quam ut Dei optimi maximi nutibus obtemperaret , postquam aspirante cœlesti numine ab ignotis hominibus tantus honos offerretur . Apparebat enim ipso recusante , Christianæ reipublicæ dignitatem , dira dissensione Cardinalium conuelli penitus , & ad non dubium interitum fœdisimè lacerari , quoniam instauratis comitiis exitioso diroq; schismati materia præberetur . Nolebat etiam uti Cæsari deditissimus , recentis eius uictoriæ cursum impedire , nam Gallos Leonis morte plurimum exultare , Sublatisq; animis in spem noui Pontificis , qui partibus adesset , bellum in insubribus renouare didicerat , quæ omnia abrupta spe pacis atq; concordia ad conurbationem humanarum , & diuinarum rerum procul dubio pertinerent . Igitur sequenti die stolatus in publicum prodit , calciamenta aureis crucibus exornat , salutanti turbæ omnis generis hominum exosculandos præbet pedes , desumptoq; Hadriani Sexti nomine , id confestim in publicis libellis literisq; præscribit . Tum uerò finitimi populi ad constantem famam creati Pontificis Victoriæ undiq; conuenire , ultiores trans Hiberum amnē gentes pia quadam hylaritate postpositis rebus omnibus ad iter excitari , quoniam , quod tum rarissimæ felicitati datum uidebatur , ab ulla maiorum memoria Pontificem in Hispania nunquam uidissent . Ipsi Reguli insignes , natura admodum pii , atq; magnifici , opulentiq; item sacerdotes , & Episcopi imprimis Nobilium Ciuitatum inter se ambitiosa liberalitate certabant , nam quisq; munificentia studio in sacros præsertim usus se se regalibus donis onerabat , quibus apud Pontificem optimæ gratulationis nomine ad parandam gratiam uterentur . Nec defuere etiam pleraq; Matronæ nobiles , & sacratæ uirgines Cœnobiorum Septis inclusæ , quæ lintea omnis generis elaborata

borata pictis operibus , & ad cultum Pontificis , & in sacras uestes ornamenta'q; altarium cupidissime conferrent . Iamq; Hadrianus , uel ipso comitatu , uel aulae frequentia , uel instrumentis omnibus in augenda maiestate ad augustiorem pompam exquisitis , Romano , ac ornatissimo Pontifici simillimus erat , quū ad Cæsareā Augustam cōtendit . Ipse purpurea in sella succollantibus Hispaniæ Regulis effusa obuiam ingenti equitum multitudine urbem est inuectus , ueneratq; tum Alexander Cæsarinus Cardinalis ab urbe , qui Pontificem sacri Senatus , & Romani populi nomine uehementer impellebat ad nauigandū , ut Italiā atrocibus bellis , & imprimis Romani Pontificis prouincias ab ipsa factionū insania , cædibus ac incendiis expositas matura protectione liberaret . Quū esset Cæsareæ Augustæ , libido ei incescit ab singulari pietate inspiciendi diui Lambertii cadaueris , è quo pauloante , uti diximus , mandibulam dono missam , tā lato animo suscepisset ; Itaq; loculū , & ossa cupidissime , & cū eximia quidē ueneratione cōtemplatus est , quæ res in prodigium cōtinuo uersa , quoniā primū ipsius operū cadauer extitisset , famam præbuit , cū cito inter mortales esse desiturū : Quā etiā portentosi suspicionē auxisse uisa est Lampadis Christallus in tēpli medio ante arā temerè effracta , ob cuius casum , & ipse Pontifex , & qui circa erant solenni in ueste sacerdotes lucernali olio fœdisimè conspersos constat , ariolis id totū ad funesti ominis interpretationē faciliè trahentibus . Cæterū Hadrianus cū pio tum egregio cōsilio in unā eā curam corporeatq; animo erat intentus , ut quā imprimū Romā relictā Hispania nauigaret . Quanquā pleriq; Hispaniæ nobiles summis precibus , & ingentibus promissis cū in Hispania retinere conarentur , Henricusq; Britannia Rex cū ad se religiosa cōtentione in insulam euocare perseveraret , pollicereturq; uiaticum Regiæ munificentia , uenienti pariter , ac demum quum aliquot dies in Britannia substitisset , per Germaniam ad urbem in Italiam profecturo . Sed nihil hæc in tam pia , quā decorā propositi seueritate permanentem omnino morabantur , quin ipse spes omnium , uti parum honestas , sanctissima castigatione præcideret , & per Derthusiam in qua urbe ipse fuerat Antistes , Tarraconem ad mare deferretur , Vbi classem exornarat , contractis undecim Triremibus , & nauibus triginta onerariis , quibus præsidiaria cohortes decem , & totius aulae comitatus imponeretur . Expectabat etiam Ioannis Lusitaniæ Regis naues aliquot à Gaditano Freto , atque item nonnullos terrestri itinere equites , ut aliquantò maiore , nobilioréque

A A      frequentia



frequentia nauigaret . Verum hæc diutius non esse expectanda iudicauit , quum Cæsarem e Germania in Hispaniam redeuntem ad Portum , cui in Asturia uillæ uitiosæ nomen est , felici nauigatione peruenisse cognouisset . Nolebat enim à Cæsare uel retardari , uel omnino in Hispania retineri,quanquam nihil ei foret optatius quam Cæsare ubiq; uictorem , & dudum à Germanis Imperatorem appellatum conspiceret complectiq; arctius , ac item coram docere , quo in statu singulæ totius Hispaniæ prouinciæ relinquerentur . Sed se uti pius , & grauis iam planè Pontificem esse meminerat , & propterea publicæ personæ rationibus , potius quam priuatæ beneuolentiæ seruiendum arbitrabatur , ut potè qui statim repudiatis minorum negotiorum officiis , rerum omnium cogitationes , ad pietatem publicamq; salutem prudentissimè reuocaret . Cupiebat etiam se seconfestim eripere ab ea ingentis inuidiæ procella quæ sub aduentum Cæsaris sibi uni multo grauior , quam cæteris magistratibus imminebat , erat enim in eos seuerè animaduertendum , qui in tumultuosissima populorum defectione , perturbata uniuerfa ferè Hispania à Regio nomine rebellassent , nam si eorum nomina deferret , & in tabulis ad cæteros metu liberandos proscriberet , nolebat eos ipsius potiusquam magistratus iudicio damnatos uideri , quos Cæsar , uti æquum foret , ex merito ad pacandas prouincias esset percussurus , Quando ad Sanctissimi Pontificis opinionem pie , & clementer dictis , factisq; omnibus retinendam , nihil melius atq; præclarius foret , quam à miserorum suppliciis , atq; omni cruenta seueritate inuiolatum , atq; purissimū animū seruauisse , itaq; scribit ad Cæsare , ut eas colloqui spes abiiceret , & uti pium iustumq; principem deceret , æquo animo pateretur , si ipse grauissimis de causis incitatus , omnibus postpositis rebus , quamprimū in Italiā nauigaret , ibi enim cuncta bello deflagrare , populosq; præsertim Pontificiæ ditioni subiectos , per se factionibus implicitos , obnoxiosq; potentiorū iniuriis uexari passim , & uagantibus externarum gentiū armis crudeliter euastari , nec populū Romanū , qui suo principe esset orbatus , nec Sacrosanctum Senatum , qui delato Pontificatu , tantū de se iudiciū fecisset & spes suas in externi hominis fide collocare minimè dubitasset , deserēdos uideri . Quādo nihil turpius esset futurū , q̃ corū opinionē fefellisse , qui uni probitatis atq; iustitiæ , nomini famæq; ante periculū , nō minus pie , quam benignè credidissent , proinde ut maturo aduētu benemeritis de se Cardinalibus gratiā referret , dū per lenissimas tēpestates mare esset idoneū , cōtinuo ab Hispania

nia soluturum , daturumq; operam , ubi primum in urbe confedis-  
 set , ut Casariani duces aliquantò opportuniore maiorq; studio ,  
 quàm si in Hispania moraretur , aduentus sui beneficium sentirent ,  
 Nec multò post commonefacto sapius Senatu , & Guliermo En-  
 chauordio ob spectatam fidem negotiis in urbe præposito circiter  
 quattuormilia peditum , & paucos equites nauibus imponit , admi-  
 nistrante Ferdinando Andrada , quem copiis , & classi præfecerat ,  
 uel ob id quod sub magno consaluo ante uiginti annos in Italia  
 cum eximia laude militasset , pridieq; nonas augusti Tarracone pro-  
 fectus lenissimis tempestatibus Genuam peruenit . Excepere adue-  
 nientem Genuenses cum pie , tum liberaliter , quanquàm ab recen-  
 ti calamitate direptæ urbis , neq; apparatu , neq; animis ullam o-  
 mnino lætitiæ præferrent . Erat tum Princeps in Ciuitate Hieronymus  
 Adurnus , uirtute animi , & bellica laude insignis , qui dudum  
 expugnata arce gallicum præsidium expulerat , is ingentia dona re-  
 centis præcipuè comatus cū publico ciuium , tum suo etiam no-  
 mine Pontifici detulit , quæ tanta fuere , ut Hadrianus quasi non  
 omnia oculis planè contemplatus , singularum rerum indicem de-  
 posceret , ut grato ad eius officii memoriam animo cuncta confide-  
 ratius æstimarentur . Aduenere etiam à Mediolano ipse Franciscus  
 Sfortia , Prosperq; Columna , & Ferdinandus Piscarius , ut de  
 statu rerum Italiæ explicando , & communicando sociorum atque  
 hostium consilia , ipsum earum rerum non planè peritum accurate  
 perdocerent , quum triduo Genuæ substitisset , celebratam illam  
 Smaragdum excauatam in Hexagonium poculum , quæ una o-  
 mnium gemmarum precium superare existimatur , tam cupide , quàm  
 humaniter inspexit , miratus quod in tumultu direptæ urbis seruari  
 potuisset . Ab Genua demum in Delphini portum , atq; inde secun-  
 dissima nauigatione , comitantibus Adurniorum Triremibus , ad  
 Liburnum Pisanum portum est deuectus . Quo iam uenerat Iulius  
 Medices , quinque Cardinales , & totius Italiæ Principum Legatos  
 secum adducens , Superuenit & ipse Federicus Gonzaga Mantua-  
 nus Pontificii exercitus imperator . Itaq; extructo ligneo ponte ,  
 qui in mare prominebat , atq; eo festa fronde , & pictis insignibus  
 exornato , inter magnas acclamantis populi gratulationes , & tor-  
 mentorum bombos excipitur , Is primo statim egressu peruenusto  
 totius corporis habitu , omnium oculos simul atq; animos imple-  
 uit , erat enim ore probo , graui , uerecundo , ab sancta quadam hy-  
 laritate ualde conspicuo , uenerabundis autem Cardinalibus , & fe-

A A ii licem

licem aduentum enixè gratulantibus . Florentinisq; Legatis, qui ingentem copiam rerum esculentarum ad alendam aulæ comitatum recreandosq; remiges dono attulerant, tranquillo potius, quàm læto uultu, & sermone, dulci breuitate periucundo respondebat, ita ut quum nulla in gestu aut uerbis familiaritate uteretur, nihil temerè, quod esset elatum, & insolens, aut subagreste penitus emereret, id solum Cardinales, & reliquos blandimentis Romanæ aulæ assuetos uehementer permouit, quod Pontifex parum humaniter, & ferè contemptim secum agere uideretur, nam quum solus cœnasset, & nautæ utendum nocturna aura suaderent, adeo cupidè, & festinanter ad mare se proripuit, ut Cardinales in proximo simulcœnantes, nec moneret, nec expectaret, itaq; omnibus raptim ad triremes contententibus, de secunda uigilia, oram soluit, & ad centumcellas est prouectus . Ibi affuere à Senatu misi Pompeius Columna, & Franciotus Vrsinus Romani Cardinales, qui exceptum sub umbella Pontificem ad templum deduxerunt, ubi postquàm ad aram supplicatum fuit; oratio habita est à Pompeio tanti aduentus lætitiæ accommodata, à Centumcellis postero die Ostiam peruenit periculosa nauigatione, nisi maturasset, nam Tyberinas intranti fauces saua tempestas exorta est, quæ triremes uiolento cursu in diuersum abripuit . ab Ostia etiam pari festinatione est profectus, adeo ut Cardinales, qui iumenta ab urbe expectabant uel paucarum quidem horarum moram impetrare nequiuerint, per hunc modum tumultuario deformiq; agmine, quum Cardinales ignobilibus iumentis ueherentur, & nonnulli minores Antistites, & totius aulæ incondita multitudo, onusta sarcinulis in feruido sole iter faceret, ad Diui Pauli templum extra trigeminam portam est peruentum . Postero die quarto calendas Septembris Populus Romanus, singuliq; sacerdotum ordines solempni pompa per urbem inuectum ad uaticanas ædes deduxerunt, Sequenti die se totum præbuit Urbanis magistratibus, ut cuncta sigillatim cognosceret, opemq; afferret labanti Reipublicæ, nam Romæ pestilentia uulgatis morbis, ignobile præsertim uulgus inuaserat & ararium non modo erat inane, Sed gemmas publicas, & sacrorum solemnium ornamenta, & Leo ipse, & Triumuii demum Cardinales fœneratoribus oppiguerant, ut præsidia afflictis rebus pararent . Ariminum quoq; per insidias occupat . Sigismundus Malatesta, quoniam eam Urbem à patre Pandulfo diuenditam progenitores eius per ducentos amplius annos imperio tenuissent . Nunciabatur etiam Solymanus Turcarum Imperator,

perator, Rhodum ualidisimis tormentis & cum incredibili militum, & rerum omnium apparatu, iam tertium mensem oppugnare, Præfectosq; Turcarum qui in illirico fines tuerentur. Pannoniam citiorem crebris incursionibus uastare, nec Ludouicum Regem uti ætate nondum integra ac ingenii uiribus parum ualidum sustinere hostes posse, nisi in stipendium Pontificia pecunia iuuaretur. Quibus de causis necesse erat Pontificem rerum Italicarum penitus ignarum, & tum primum urbium suarum, & prouinciarum, Regulorumq; nomina perdiscentem in omnibus consiliis uehementissime conturbari, adeo ut quum his curarum fluctibus iactaretur, aliquando diceret, sibi fuisse iucundius Louanii Gymnasium cum studiorum laude moderari, quàm Romæ Pontificia in sede Christianæ rempublicam administrare, quando inquit in eam affectam omnibus malis, & recisis neruis magnopere debilitatam miser inciderim. Sed anxium, & diuersis difficultatibus implicitum, unus maxime de amittenda Rhodo metus agitabat, cuius clarissimæ urbis salus neq; negligi sine summo dedecore, neq; mature, strenueq; defendi sine grauissima impensa ingentiq; periculo posse uideretur, cum magnis Turcarum clasibus, non modo portus Urbis, fretumq; ipsum, sed totius etiam insulæ littora, & circumiecta maria oblecta tenerentur. Suadebat Iulius Medices ante alios, ut delectas ex his quas adduxisset cohortes, iisdem nauibus omnium rerum copia, repletis Rhodum continuo transportandas curaret, fore etenim ut ex per autumnales tempestates ualidioribus usæ uentis, contempta aut elusa Turcarum classe in portum plenis uelis inferrentur. Quarum nauium professione ausuros fortasse aliquid, Venetæ classis præfectos, qui in Creta cum quinquaginta rostratis diligenter excubarent, inuitariq; percuperent ad egregium facinus, si casu aliquo delendæ Turcarum classis facultas offerretur, quod si Venetus nihil omnino contra ueteres inducias cum Otomannis sibi tantum putaret, eo certè subsidio cum fortium tum maxime recentium militum feliciter adducto, necesse fore spes ipsas ex desidia christianorum Principum conceptas, Turcis imminui, & contra Rhodiis plurimum augeri, qui in ea auxiliorum expectatione erecti, tantam belli molem fortissime sustinerent. Sed quoniam infatis erat, ut Rhodus amitteretur, Hadrianus eius rei gerendæ occasionem propter multas, & rei præsertim numariæ difficultates penitus amisit. Hispani quoq; ut pote qui semel terram Italiam pedibus attigerant, longinquæ nauigationis laborem, ad incertum ma-

AA iii xime

ximè rerum exitum recusabant . Et Ludouicus à Corduba Princeps Sueffanus qui apud Pontificem pro Cæsare erat Legatus , Italiae Vrbes certo praesidio tueri ac exercitum imprimis , qui erat in Gallia Cisalpina , Hispano milite supplere , quàm Rhodiis opem ferre malebat , quoniam Rex Gallus etiam tot bellis , & præliis uictus , quin Italiam repeteret , minimè quieturus esse uidebatur . proinde singulis in rebus orando , instandoq; , Pontificem ne Cæsari deesse uellet uehementissimè perurgebat . Erat Hadrianus suoptè ingenio Cæsaris amantissimus , & quantum salua Pontificii nominis maiestate poterat , eius uictoriis non obscure latabatur , quanquam uti æquus , & quietis , & otii cupidus execrato bello , maxime cuperet , sedare eam controuersiam , quæ inter Gallum , & Cæsarem sine spe compositionis agitabatur . Erant uni omnium Hadriano ualde intimi Guliermus ipse Enchlauidius quem statim gratissima uoluntate à subnotandis supplicibus libellis Datarium & demum Dersethusensem Episcopum fecerat , & Theodoricus Hectius à secretioribus epistolis uir optimarum literarum notitia , & christiana modestia insignis , ii Belgæ erant , quibus propter usum grauisimarum rerum aliquando miscebatur Ioannes Ruffus Antistes Cōsentinus , ei antea familiaris , quum in Hispania apud Ferdinandum Regem pro Pontifice Legationis munere fungeretur . Hi Cæsarianis rebus propensissimo studio fauebant , & summam diuinarum ac humanarum rerum nequaquam latè cōmunicata auctoritate gubernabant . Horum consilio Pontifex bellum aduersus Malatestas , qui Ariminum occuparant , missis in Vmbriam Hispanorum cohortibus suscepit , nec multo labore Sigismundus est eiectus , ut potè qui iam Ariminensibus propter Naturæ acerbicatem atq; sæuitiam odio esse cœpisset . Nec alicunde circumuento , obfessoq; auxilia mitterentur , adiuuante maxime Pontificios Duces , Francisco Maria Feltrio Urbinate , ac item Alfonso Atestino Ferrariensi , qui ad promerendam gratiam eo bello insignem operam nauare cupiebant . Neq; tamen abiecta cura Rhodii belli Pontifex ad Adurnios Petrum Raboriū Genuam misit , qui onerarias naues conduceret . Sed ægrè admodum expedita pecunia , aliquantò tardius quàm oporteret , Tres excelsæ naues sunt exornatæ , quibus incredibili euentu felicem cursum fortuna denegauit . Nam perpetuos duos menses prodigio quodam contra anni consuetudinem Euris , & Vulturnis , qui sunt uenti omnium aduersissimi nauigantibus ad orientem , maria tenuerunt , quum eo tempore naturali terrarum halitu Etesia flare consueuerint ,

fuerint , perit , & Rhodii Magistri insignis oneraria quæ à Ni-  
 cea prouincia omnium rerum ingentem copiam ad insulam deue-  
 hebat . Interim Pontifex ingrauescente pestilentia Vaticanis ædibus ,  
 & coniunctis uiridariis se tenebat , neq; aditus nisi à maximis uiris  
 Legatisq; Principum , & Cardinalibus impetrabatur , Sustulerat is  
 more Germanorum qui pestilentiam contemnunt , omnem seueri-  
 tatem quàm libitinæ magistratus exercere consueuerat , aduersus eos  
 qui se se contracto , & dissimulato morbo incolumibus miscuissent ,  
 quæ libertas , & dissoluta euagandi , tegendiq; morbi licentia , ur-  
 bis faciem multiplicatis funeribus mirum in modum deformauit ,  
 itaq; hortantibus Triumuiris Romani populi conseruatoribus in-  
 staurati sunt magistratus cum officialibus , & reuocatae leges ad ue-  
 terem formulam puniendæ multitudinis , quæ edictis minimè pa-  
 ruisset . Interea Pontifex ad Germanos Regulos , & liberas Ciuita-  
 tes , quarum Legationes ad Conuentum Nurembergæ undiq; coi-  
 bant ; Franciscum Cheregatum misit qui omnium primus ab ipso  
 Episcopus propter ueterem amicitiam , & uirtutis opinionem fue-  
 rat effectus . Hortabatur Germanos , ut ad defendendam salutem  
 Ludouici Regis auxilia decernere atq; summittere uellent , simulq;  
 earum heresum obliuiscerentur , quæ antea rectè atq; legitime plu-  
 ribus conciliis essent damnatae . Nanq; Germania ferme omnis  
 Lutheri diri hominis superstitione imbuta , Romani Pontificis ma-  
 iestatem nefario criminationum genere proscindebat , quum ipse à  
 ueteribus sacrorum institutis , christianisq; moribus Desciuisset .  
 Sacerdos enim è cœnobio abiecta cuculla se proripiens cum sacra-  
 ta uirgine nuptias fecerat , ita ut præclari modo nominis Theolo-  
 gus in sago militari conspiceretur . Proposita tum erant à Lutheræ-  
 nis centum postulata , in quæis pleraq; summæ æquitatis uideri po-  
 terant : quod sæpius à Romano Pontifice ueluti impositis sacrarum  
 rerum uectigalibus auarissimè premerentur . Cæterum corruptis  
 impietate animis , id unum maximè spectabant , ut honestissimo  
 prætextu auaritiæ fœdæq; licentiæ , uti quisq; sua libidine raperetur ,  
 ianuam penitus aperirent . Alii nanq; dicata templis prædia impu-  
 denter usurpabant , alii professione sacerdotes abdicato cultu , &  
 eiurata continentia sacratas uirgines ex templorum septis tanquàm  
 uxores celebratis nuptiis ducebant , alii gulæ dediti nefastis diebus ,  
 contra maiorum instituta carnibus uescebantur , nonnulli etiã im-  
 mani furore perciti , Deiparæ uirginis simulachra fœdabant , & qui  
 ingenio , ac cruditione insignes erant . Sanctissimorū patrum dog-  
 mata

mata infanis interpretationibus peruertere conabantur . Quorum immanitati neq; antea quisquàm apprimè eruditus , neq; tum Cheregatus , uel saluberrimis disputationibus feliciter obuiam iuit . misit etiam Pontifex pecuniam in stipendium Ludouico Pannoniæ Regi . nam multis , & quidem turpissimis de causis Pannoniæ Regnum pauloante sub Matthia Coruino peramplum , & florens opibus , deformatum atq; exutum omni bellica laude penè conciderat , adeo ut Rex atate , fortunaq; admodum imbecillus , uix tueri fines , & arcere Turcas hostes posset , qui crebris , & repentinis incursionibus modo à Dacis & Triballis , modo ab Illirici limitibus prouinciam euastabant . Interim Rhodii magnitudine incredibilium operum superati , fessiq; perpetuo sex mensium labore , & uulneribus ferimè omnes debilitati , Solymanno deditionem fecerunt , neq; enim ulla iam spes auxiliorum supererat , & cuncta intus in maximè diuturna propugnatione defecerant . Ostentabat ueniam præclarè uictis Solymanus , quasi in parte gloriæ reponeret , si longè fortissimis uiris iam planè parta uictoria pepercisset . Enim uero uix credibile erat , non amplius Septingentos illustres equites cum paucis militibus græcis , tot mensium uigiliis , atq; laboribus nequaquàm cessisse . quum minore indies sui fiducia , & maioribus semper rerum omnium periculis , aduersus ducenta milia bellatorum nihil intermissa dimicatione restitissent . Equauerat Solymanus murorum , & Turrium fastigia terrenis duobus ingentibus tumultis , quos coacta ad opus innumerabili fossorum multitudine excauantium , & sensim ante se contra urbem terrenum & aggerem prouoluentium paucis diebus erexerat , è quibus tormenta inusitate magnitudinis directà contra pinnarum summitatem ad aquifsimos ictus omnibus horis mittebantur , inuascerantq; iam fossas Turcæ , muroq; successerant , fundamenta ab imo dolabris , & uetustibus subruendo , ita ut amplissimis ubiq; cuniculis in urbem penetrarent , & sæpè Rhodiis occurrendo per subterraneos specus decertarent , iustis quoq; præliis sæpè Prætoriani quos Ianizaros uocant , aggressi murum in summa propugnacula euaserant : Sed fortissimè repulsi præcipitatiq; in fossas temeritatis pœnas dederant , nam tam & si à lateribus ex obliquo minoribus tormentis sternerentur , nihil uel certissimæ mortis metu , quominus occisis integri recenteq; succederent , omnino deterrebantur . Erat Rhodiis tormentum quod ab immani uiolentia Basiliscum appellabant , excelso in loco constitutum , cuius pilis sesquipedali crassitudine castra ,  
& taber-

& tabernacula longissimè cū miserabili obuiorū Turcarum interitū petebantur magnā etiā gregariorū, & opus faciētiū militū autumnus solito grauior absumpserat, inductoq; & euulgato uentris profluuio dum illi fatigata corpora meridianis uētis intemperanter exponerēt. Sed Solymannus stabili decreto innixus singulari perseuerantia has tantas difficultates nō minore sua uirtute, q̄ nostra desidia superarat proposuerat enim emori potius, q̄ abscedere irritō incēpto, Suadentiq; Pyrrho Bassæ, ut in proximā Cariæ continentē transiret, atq; inde administrato bello, ex tuto uictoriæ exitum expectaret, grauius ignauia increpita succensuerat, nequaquā eā insignē esse uictoriā, prædicās, quæ præsentis Imperatoris manu minimè pararetur. Itaq; nouis delectibus in Cilicia, Syria, Ægyptoq; habitis copias egregiè suppleuit. Nam Feracatus Gazelle uicto cæsoq; & Mamaluchis ad intentionem deletis maximè illustris ab Attalia, Isicoq; sinu, & Antiochia, atq; item Caierbeius à Memphi, Pelusioq; & Alexandria in parandis, & transmittendis comitatibus, & copiis, omnem, uti opus erat, diligentiam adhibebant. His tantis adductus difficultatibus Philippus Villadamus Militiæ Rhodiæ magister, in consilio differuit, summæ esse stoliditatis, id ultra defendere conari, quod nec recentibus quidē receptis auxiliis, egregia spe tueri possent, quando iam cuncti ferè propugnatores confauciati, cōfectiq; uigiliis animos despondisse uiderentur nō esse funesta pertinacia, diutius cū fortuna cōtendendum, Quādo ipsi qui in præsidio essent, satis superq; officio & dignitati satisfecerint, amissæ siquidē insulæ dedecus ad eos pertinere, qui toties implorantibus opem ferre noluisissent eius herclè admisssi flagitii, quod extrema necessitas attulisset, nō Rhodios, Sed totius Europæ Reges infamia deflagratos, proinde sumendū esse cōsiliū à prudentia quā necessitas exprimeret nō ab inani animorū obstinatione, qua nihil iis qui in extremo casu uersarentur lethalius accidere posset. Sibi ergo tam honestum, quā omnibus ad salutem necessarium uideri, dedere urbem & Solymanni qui pro gloria certare existimari uellet, fidē experiri, ut benemeritos de republica christiana milites conseruaret, nec fortibus uiris opportunū in Europa locū esse defuturū, ubi meliore fato Rhodiæ militiæ signa defigerent, & acceptas à Barbaris iniurias egregio religionis studio, & commodiore tempore uindicarent, itaque emisiss Legatis, atque ipso demum Philippo sub fide publica ad Solymannum in castra profecto, conditiones de dedenda urbe sunt conscriptæ, quas Solymannus alioqui sauius hostis religiosissimè seruari iussit, ipso enim urbem ingressō

B B neq;



neq; templa , neq; priuatas domos, neq; obuios milites christianos, quisquam uel ingenio ferox Barbarus omnino uiolauit, ita ut Philippus clementer admissus & à Solymano Pater appellatus, quum omnia propè, præter bellici apparatus instrumentum suis trirēmibus imponeret, septem etiam anea tormenta præsidii nomine contra Piratas , uti ab eo didicimus impetrarit . Eo die quo Rhodus est dedita , prodigioso casu Epistilium portæ Sacelli in Vaticano sponte corruit , quum non plus passu altero Pontifex abesset à limine ad operanda sacra , solenni die christi Natalis statim ingressurus , ita ut prætoriani duo milites effracti marmoris fragmine opprimerentur; cæterum is nuncius toti Europæ admodum lugubris Pontificem incredibili dolore affecit , Quasi recens adhuc primorum mensum principatus , aduerso quodam rumore , adlatrantis uulgi , ea ferali clade notaretur . Nec multò post ad pacandam Italiam conuersus , Alfonso Atestinum Ferrariæ principem in gratiam, amicitiamq; recepit, quum is Herculem filium cum ornatissima legatione Romam misisset, ita ut ea, quæ criminosis admodum codicillis à Iulio Leoneq; Pontificibus aduersum eum tanquam Pontificiæ maiestatis reum decreta , & publicata fuerant , penitus antiquaret, eadem clementia , & liberalitate Franciscum Mariam Feltrium est persecutus , quem Leo Pontifex Principatu pulsum, atq; hostem declaratum sacris interdixerat . misit , & Legatum ad Venetos , ut eos Cæsari coniungeret , nouisq; initis fœderibus Gallus ab Italia procul arceretur . Erat tum Florentiæ Iulius Medices præclaro studio , omnibusq; sensibus cum Cæsare coniunctus, cuius auctoritatem pleriq; ueteres eius hostes , & ante alios Franciscus Soderinus Cardinalis conuellere contendebant, ita ut apud Hadrianum eum palàm accusarent, quasi ueteribus Pontificum thesauris potiretur, quos conuiuente Leone fratre in administranda republica rapuisset . Quæ tametsi falsa, & ridenda erant , quoniam abundè constabat Leonem immodicis sumptibus natura gaudentem , & postremo grauissimis implicitum bellis, suos pariter, atq; alienos loculos pecunia penitus exhaustisse, contractoq; insuper graui ære alieno uectigalia etiã publica addixisse fœneratoribus, tamen hæc apud externum hominem ingenio suspicacem , imperitum Romanæ aulae , & inopia plurimum æstuantem uerisimilia uidebantur . Inuoluit , & isdem propè suspicionibus Soderinus mirabili astu Laurentium Puccium & Franciscum Armellinum Cardinales uetere amicitia Iulio Medici coniunctissimos , quasi hic uti prædator insignis nullo iure, Quæsturae officio

cio potiretur, ille uero Sanctissimis indulgentiis, quibus animæ defunctorum expiarentur, immani quæstu diuenditis, ingentem pecuniæ uim nullo metu pœnæ peculatus auertisset. Quasi si hos publica flagrantēs inuidia repetundarum postulari, & facili conuictos damnari pateretur, Ærarium inane celeriter eorum opibus esset repleturus. Cæterum Iulio auctoritate sua, atq; innocentia præclare cuncta refellenti, potentes amici non decrant, qui eius absentis causam dissimulanter, & obliquis maximè sermonibus tuerentur, & manebat quidem apud æquum gratumq; Pontificem, recentis, & antiqui beneficii memoria prorsus incorrupta, ita ut parum ea subtili, & accurata Soderini delatione commoueretur, quominus pie, & grauiter se gereret aduersus eum qui præclare cum Pontificio nomini, tum ipsi Cæsari bellum gerenti totius Ethruriæ uiribus nixus semper adfuisset. Verum fortuna sicuti sæpè aliàs, ita & tum Iulio peregre, ac opportunissimè fauit. in transitu etenim Arni amnis Soderini literæ à Mediceis exploratoribus intercipiuntur, quibus ille Franciscum Regem hortabatur ad transferendum bellum in Siciliam exulum multitudine, & Hispanorum odio nouandis rebus opportunam, ut Cæsariani ab insubribus ad tuendum id Regnum traherentur, monebatq; ut nihil Pontifici temerè crederet, qui quum de pace agere uideri uellet, Cæsari tamen perenni quodam studio cunctis in rebus obsequeretur, nec quicquam aliud propensa uoluntate magis cuperet, quàm Cæsarem noua semper dignitate, nouisq; uictoriis auctum, florentemq; conspiceret, neque eum debere existimare in componenda controuersia æquisimum iudicem fore, qui in excellendo attollendoq; Cæsare, parentis & præceptoris officia semper impleuisset. Erant eæ literæ arbitrariis conscriptæ notis, Sed adeo rudi artificio, ut uel à mediocri interprete obseruatis, & deprehensis caracteribus facili legerentur. Has itaq; Iulius confestim Romam transiit ad Ludouicum Regulum Sueffanum Cæsaris Legatum eumq; disertè edocet, quanto cum periculo Soderinus Pontificiis consiliis, & grauisimarum rerum disceptationibus adhiberetur, eum enim esse hominem eximiis simulationis ambiguarq; fidei artibus ualde instructum, & super hæc insensum Cæsari, & Gallorum amicissimum, propterea se ab eo occultis insidiis, & atrocissimis criminationibus peti apud Pontificem, qui ab sancta illa Naturæ simplicitate nullas de magnis rebus suspensiones superfluas esse duceret, ut illo falsa persuasione deprauato, ipse concideret, circumuentusq; & distractus Florentia pelleretur,

BB ii pateretq;

pateretq; Soderinis respublica Florentina , & tota simul Ethruria , uetere suo studio , gallico nomini iungeretur . His conspectis literis Hadrianus quanquam ab initio confictas crederet , incredibile odium aduersus Soderinum concepit , ita ut id tamen egregie comprimeret , donec Iulius ad conuincendum Soderinum ab Ethruria uocaretur . Is non multo post intrauit Urbem à flaminia triumphali ferme pompa incredibili ordinum omnium fauore exceptus , nam ueteres etiam hostes cum eo in gratiam redierant , adeo ut Horatius Balconus , cuius pater recenti Leonis seueritate conciderat , & Fabius Petruccius , cuius frater Cardinalis in Arce Hadriani fuerat necatus , itemq; ipse Franciscus Maria Feltrius bis Urbino Mediceis armis eiectus , à Ponte Miluio aduentanti obuiam honoris causa prodirent . Nec multo post à Pontifice Soderinus & Iulius in Vaticanum euocantur , nam de industria erat euulgatum , Pontificem enixe pieq; daturum operam , ut duo maximi Cardinales , qui affinitate essent coniuncti , se pacificatere atq; arbitro cognitis & sublatis simultatum causis , ad amicitiam redirent . Verum ubi eos in penitiorem Borgiæ Turris testudinem abduxit , & illi inter se parum familiari uultu colloquerentur . Pontifex ad Soderinum conuersus , interrogauit an unquam in Galliam per arbitrarias notas scripsisset , prolatisq; literis ita conuicit , ut protinus lethali pallore confusus cuncta deiectis ad terram oculis fateretur , nec mora quum interruptis uerbis defensionem pararet , & supplex , ne in carcerem duceretur , oblatis uadibus locum in Vaticano ad dicendum causam , sibi dari postularet , à Prætorii Præfecto in Arcem est deductus . Id factum gallicarum partium animos fregit , auxitq; mirum in modum auctoritatem Pontifici , qui ab ætate , Urbana- rumq; rerum inscitia , & quadam naturæ lenitate , cum in consilio perplexus & timidus , tum in agendo maxime lentus , & parum efficax esse credebatur . Cœperat enim Hadrianus arcana rerum Soderino liberali fiducia communicare ; & magna ex parte consiliis eius regi , nam is erat ætate , atq; oris habitu grauis , ingenio & facundia insignis , cultiorum etiam literarum & humani diuinique iuris scientia perornatus , quibus uirtutum umbraculis sicuti subtilissimas artes incerti & parum sinceri animi peregre contagebat , ita Hadrianum nihil ultra perscrutantem facile deceperat . ob id Pontifex neminem fallere solitus , iniquissime ferebat , se ab eo fuisse deceptum , qui lenocinio quodam bonarum artium tam ingrati quam impie fidem fefellisset . His de causis aliquantò suspici-  
natui

natui nihilo familiarior erat effectus, adeo ut Cardinalibus tanquam factiosis & parum fidelibus de belli pacisq; negotiis nihil omnino communicandum existimaret, proinde Bernardino Caruaiali & Nicolao Flisco Cardinalibus respondere non est uertus, nemini uel Cardinali, se temerè credere, quod cum periculo Reipublicæ credendum foret, cum illi forte quererentur quod in consilium Cardinales superiorum Pontificum more nequaquam adhiberet, quando tot graues peritiq; rerum Senatores, ipsi nouo externoq; homini, alleuando curas, & in partem laboris impigrè succedendo in regenda Republica singulari adiumento futuri uiderentur. Ioannes quoq; Ruffus Antistes Consentinus qui usu rerum insigniq; prudentia plurimum ualebat ab intimis arcanorum cubiculis penè reiectus fuerat, quoniam Foro Liuii in Æmilia quod illi natale solum, Gibellini, quibus impensius fauisset, complures Guelfos nocturna irruptione trucidassent. Oderat enim Pontifex factiosos homines, nec eos publicarum rerum consiliis adhibendos putabat, qui priuati studii rationes, nequaquam sincera iudicii libertate, respicerent. Hinc fiebat ut Pontifex durior & hebetior in administranda Republica diceretur. Nam cum in ualde prudentibus, & maximarum rerum peritis, uariis de causis, nullam omnino uel exiguam fidem reponendam esse iudicaret, necesse erat ut unis maxime Belgis, quibus præclara fides abunde superesset, in arduis consiliis uteretur, quanquam in eis maiorem uim rationis atq; solertiæ, in expendendis absolucndisq; negotiis desideraret. Hinc illud perfacetum & plenum ingenuæ libertatis Hieronymi Balbi dictum emanauit, quum Legatus Romam missus à Ferdinando Casaris fratre, fuerentibus Lutheranis atq; imminentibus Turcis, à Pontifice maturam opem impleret, & ille contra perplexius & consideratius deliberata, retractaret Pleno Senatu, Fabius Maximus Sanctissime Pater inquit, Rem Romanam cunctando restituit, tu uero pariter cunctando, rem Romanam simul ac Europam perdere contendis. Quo orationis exordio adeo Pontifex uultu commotus est, ut pleriq; Senatores uix risum cohibere potuerunt, offenderat enim primo aduentu, in uniuersum Cardinales omnes, nam præmia quæ illi triumuirali magistratu ipso absente, benemeritis de Repub. tribuissent, ita antiquatis decretis irrita fecerat, ut officia aliquot, uel grauissimis de causis dono data, repeteret, dicebat enim sibi inopi postquam ararium penitus esset inane, ea pecunia opus esse, ad tuendam Pontificii nominis dignitatem, nec debuisse Cardinales

BB iii alioqui

alioqui rei suæ minimè profusos, liberalitatis laudem ex aliena pecunia quæritare. eodem etiam consilio uenalia officia his omnibus protinus ademit, quæ singulari benignitate Leo Pont. literatis uiris & præcellentibus ingeniis uirtutis causa tribuisset. ita tamen ut eius inusitata acerbitatis inuidiam humanissimis uerbis deliniret, quum ea detrimenta, se totidem sacerdotiorum redditibus pensaturum polliceretur, & certè nemini unquam latius atq; propensius, sacerdotia conferre erat solitus, quam his qui ab optimis studiis commendationem aliquam meruissent, Me quoq; dimidia parte equestris officii protinus exutum, quam Leo Pontifex historiam nostrorum tæporum, ad eius genium non iniucundè conscribenti, dono dederat, Comensi sacerdotio adeo studiosè remuneratus est, ut Scaramuciae Triuultio Cardinali, uehementer pro alio impetrare contenti, responderet, Iouium omnino eo, quanquam tenui, sacerdotio esse perornandum quem audiuiſſet optimis disciplinis liberaliter eruditum, & scriptorem annalium ualde elegantem, nec tamen esse poëtam; ut cæteri, qui cultiores literas sectarentur. Suspecta enim habebat poëtarum ingenia, ut potè qui minus syncero animo de christiana religione sentire, & damnata falsissimorum Dcorum nomina ad Veterum imitationem studiosè celebrare dicerentur, ita ut aliquantò plus mihi profuerit, non attigisse poëticam, quam in cæteris grauioribus studiis perpetuo multorum annorum labore desudasse. Grauisimè etiam tulerat se famosis carminibus apud Pasquilli statuam fuisse laceratum, sed id postea ciuili animo tulit, quum didicisset, eam maledicendi licentiam obscurorum hominum libertati atq; nequitiae dari, ut quum insignes uiros impunè carpsent, fortunam suam, ea uindictæ uoluptate consolentur. Decreuerat Hadrianus uti poëtis non obscure subiratus, Pasquilli statuam, quæ erat in Parione, demoliri, atq; eam in Tyberim præcipitare, sed Ludouicus Sueſſanus Urbano falsoq; ingenio id fieri debere pernegauit, subdens Pasquillum uel in imo uado, ranarum more, non esse taciturnum. ad id uero Pontifex, exuratur ergo inquit in calcem, ne eius uestigii ulla omnino memoriam supersit. Tum rursus Sueſſanus, rectè inquit, sed tam crudeliter concremato, poëtæ clientes non deerunt, qui Patroni cineres inuidiosis carminibus prosequantur, & supplicii locum quotannis statuto solenni die concelebrent, Quibus uerborum lusibus Pontifex ab iracundia ad iocos hylaritatemq; sensus omnes lenissimè reuocauit. Cæterum qui ab eximiis doctrinæ & pietatis laudibus, primo aduentu omnibus

gratus,

gratus , ac admirabilis euaserat , quum equitum Sancti Petri , & annonæ Præsidentium officia sublati aut dimidiati redditibus deteriora reddidisset , multis ordinibus aulae & Ciuitatis inuisus esse coepit , nam plerique uniuersam patrimoniorum substantiam , & totius uitae laborum ac industriae fructus in officia contulerant , allecti scilicet ubertate prouentus , cum pecuniae sub fide publica Pontificibus creditae , supra decumam in annum liquidissime responderent , sed oppigneratis Prouinciarum uectigalibus atque portoriis tantae facultates minime supererant , ut debita pecunia , tenore illo ueteris instituti , persolui possent . Hinc fiebat , ut Pontifex contra naturam suam ab inopia tenacior & illiberalior effectus iniquitatis & auaritiae calumniam subiret , ne uti ipse crebro dicere solebat , dum omnibus satisfacere contendit , omnibus demum decoquere cogeretur . Eo decreto exacerbatis officialium animis , quando quisque se impotenter exutum bonis , & sub fide publica deceptum , graui uociferatione quereretur , Marius Placentinus Vir togatus sacratiq; nominis desperatis honestae uitae commodis , immaue Facinus confodiendi Pontificis uecordi animo concepit , ita ut quum egressurum cubiculo aliquandiu expectauisset se se demum eodem ferro transuerberaret , siue impetu commotae bilis , siue atrocioris supplicii timore , quod rem communicasset , nec constituto in loco , socius facinoris , uti crediderat , esset repertus . Ferunt Pontificem eo casu uerecunda consternatione perturbatum , sapius id omnino esse uerissimum praedicasse , quod ab antiquis auctoribus traderetur , multum scilicet referre ad feliciorum fortunam , in quae tempora alicuius uel praeclara uirtus incidisset . Aurea namque tempora Leonis , omnibus Florentis pacis ac opulentiae commodis , ad luxum beatique otii laetitiam , affluentiam , ita bella & fames & pestilentia , tot per inter regnum Pontificisq; absentis incommoda , detrimentis illatis euerterant , ut ex ea recentis status publici recordatione , cuncta mala uel immerito ad execrationem innocentissimi Pontificis uerterentur . Interea Franciscus Rex Gallorum magnis undique coactis copiis in Italiam transire constituit , quibus rerum motibus excitati Caesariani Duces , operam enixe dederunt , ut confecta pace cum Venetis , ii etiam qui plurimum auctoritate atque opibus ualerent , in partes traherentur , in tractandis enim & exaequandis earum rerum conditionibus Hieronymus Adurnus antea uehementissime laborarat , moriensque Venetiis cuncta facilius absoluenda Marino Garaciolo reliquerat , Itaque inter Caesarem & Venetos fo-

dus

duſ ſolenne percuffum eſt nec Hadrianus moram attulit, uti oportebat, quominus Cæſar, omnibus Italiæ uiribus ad arcendos Gallos uteretur. Etenim poſtridie nonas Auguſti, qui dies ab admirabili caſu multæ niuis feſta memoria ad Mariæ Virginis templum in exquiliis eſt inſignis, ſacra celebrauit, Fœdusq; proluxa oratione aduerſus Gallos eſt pronunciatum, quo adſcripti erant Rex Henricus Britannicæ & Pannoniæ Ludouicus, & quicquid minorum Principum & liberarum Ciuitatum in Italia erat, ipſeq; Federicus Gonzaga Regulus Mantuanus Pontificis & Reipublicæ Florentinæ Imperator eſt declaratus, deditq; epulum regio apparatu Pompeius Columna Cardinalis, cunctis Principum Legatis, & Senatoribus, quum Pontifex, grauiore ſacrorum mora ut in maximo æſtu fatigatus ſe ſe in proximum diui Martini templum ad quietioris prandii commoditatem, opportunè recepiſſet, ibi leuem ab initio ſed mox lethalem contraxit morbum, ita ut ſenſim ualeſceret febris, adulatione præſertim Medicorum, qui nec exuſto inſtus, apprimēq; ſiticuloſo, & de nocturna iactatione conquerenti Venas, tangebant; ne ſcilicet in pernicioſam propinquæ mortis ſuſpicionem dubio metu erectum ſenem adducerent, itaque non diu deceptus, ubi hora fatalis inſtabat, Senatum aduocauit, commendatq; Repub. Pileo quem ipſe detulerat, Guliermum Enchauordium gratiſſimo animo decorauit, adiuuantibus, præſertim Iulio Medice, & Ludouico Sueſſano, quamuis pleriq; Cardinales, uti in ipſo mortis limine deſpecto Pontifice, in ſuffragium ituri minime uiderentur. Obiit idibus Septembris exacto anno ex quo ab Hiſpania appulerat, & eo forte die quo Gallicus exercitus Boniucto Duce repulſis Cæſarianis Ticinum amnem tranſiuerat, ita ut maximum negotium Succellori reliquiſſe diceretur. Morte eius pleriq; & præſertim ueteris aulae ſectatores effuſiſſimè ſunt lætati, & ſecundum eos nonnulli Romanorum, qui detrimenta rerum ſuarum ſenſerant, nam quum ignotæ hominum Facies Vaticano à Belgis ac Hiſpanis occupato, aditum petentibus occurrerent, longum atq; operoſum erat, familiaritate difficili, nouas amicitias comparare, ita ut quiſq; nouo ſtatim Principatu, eam luctuoſi & peſtilentis ſæculi fortunam præuerti poſſe exiſtimaret, quaſi ea incommoda nequaquam malignitate temporum, quæ tot calamitatibus eſſent notata, ſed quadam inexperti duriq; Pontificis acerbitate proueniſſent. Super hæc manauerat in uulguſ fama haud incerto auctore Pontificem nouo ſummæ ſeueritatis edicto publicatis ſuper  
id bullas

id bullatis solennibus codicillis dissolutæ Ciuitatis mores esse correcturum , ita ut atroci pœna tria præsertim hominum genera persequeretur; eos scilicet ante omnes qui ad Christi fidem reuersi impia animorum deuotione iudaicæ superstitionis ritus obseruarent, quorum maximè pecuniosorum ingens turba, iudiciorum metu, ab Hispaniis delapsa in Urbem, tanquàm in portum certissimæ salutis confluxerat . His enim Hadrianus uetere consuetudine plurimum erat infestus ; ut potè qui in Hispania ipsis inquirendis damnandisq; cum insigni Magistratus honore præfuisset , sub id genus ii quoq; ueniebant , qui superis impuro scelestoque ore maledicerent , & contemptim aut ioculariter de religione christiana loquerentur , & ii etiam qui minimè dubitarent profana negotiatione sacerdotia uenditare . Secundo loco erant Fœneratores atq; mensarii qui egenarium fortunas acerbissimis usuris euerterent, & annonam impotentii monopolio & diris præoccupationibus impudentissimè flagellarent . Ultimo inquirere punireq; decreuerat iuuentutis corruptores , eius enim criminis non omnino falsa suspicione , Vrbs ipsa conuiuentibus legibus infecta credebatur . Qua inopinata & graui seuerissimæ legis mentione , maculosos quosdam, cum Aulæ tum Ciuitatis , ueluti desperata publica securitate terruerat. adeo ut non defuerint petulantissimi iuuenes qui Ioanni Antracino Pontificis medico postes festa fronde per intempestam noctem protinus exornarent , cum titulo uncialibus literis inscripto in hæc uerba. Liberatori Patriæ S. P. Q. R. scilicet ut eo ioculari elogio non medicus uti ueneficus aut imperitus sed Maiestas ipsa sanctissimi Pontificis , qui salutari censura uti dignum erat Principe christiano, Urbem atq; aulam probrosis uitiiis repurgare cogitasset , non obscure carperetur . Enim uerò ea est natura populorum, ut quum dissolutæ uitæ licentia gaudeant , præsentis semper Principis mores detestentur , superiorum , uitam commemoratis uirtutibus in cœlum ferant , eius uerò qui defuncto sit successurus mores & consilia uti plena prudentiæ liberalitatis atq; iustitiæ futura pronuncient . Nam , ut plerumq; fit, spes hominum euentis rerumq; successibus alebatur , quando sibi quisq; fallacissima sæpè ratione mutato statim Principe meliora tempora destinaret . Laudabant in doctissimo Pontifice & longè grauisimo sanctimoniam , illiberalitatem non probabant , oderant seueritatem , quam ubi , sicuti sæpè erat solitus, lenitate remisisset , eam demum clementiæ laudem auaritiæ calumniis inuoluebant , quasi fontibus & conuictis nequaquam naturæ faci-

C C      litate,



litate , sed parum honesta cupiditate præsentis quæstus omnino parceretur , Nec sæuisima temporum conditione , ualde egentis , & multis simul difficultatibus circumuenti Pontificis necessitatem excusarent ; Ita ut tum Ciuitatis status miserè deplorandus esse uideretur , quum quisq; ferè insignium ac infimorum ordinum recti atq; honesti penitus oblitus , cuncta sibi in summa uitæ libertate licere uellet , nec ullum omnino corrigendis moribus censorem pateretur , etiam uel sola pecunia , digna supplicio crimina , uindicantem . Scilicet ut repudiatis christianæ medicinæ præsidiiis , affecti corruptiq; eo infantiæ prouheremur , ut indignantibus demum diis atq; hominibus in ipsa quæ imminabat horribili cadentis Urbis ruina immanibus barbaris corpora atq; animos ad omnia exempla crudelitatis ac ignominia præberemus . Acciuerat Hadrianus pauloante in Urbem , in Vaticanasq; ades cupidè receperat Petrum Caraffam Archiepiscopum Theatinum & Marcellum Caietanum ueteris christianæ disciplinæ moribus uenerabiles , & in omni grauiore doctrina longè lectissimos , ut eorum consilio in censura morum , ac administranda ea parte Reipub. quæ sacra respiceret , omnibus horis uteretur . Sed mors eius aliquantò maturior cæptis consiliis exoptatum ad publicam salutem successum eripuit . Ferunt Hadrianum alioqui uegetæ uiridisq; senectæ , contraxisse morbum assiduo ceruicis potu , quæ germanica consuetudine ex lupulis , ordeoq; decoctis exprimitur , nam per se cibi parcissimus erat & in tuenda ualitudine apprimè diligens & morosus , tanta horarum definitione ut denunciante architriclino paratas esse epulas , uel maximarum rerû colloquia protinus abrumperet , in mensa autem ad remittendum animum læpissime delectari solebat Toccino Sannione falsissimo quem ab Hispania secum adduxerat , quo etiam pro speculatore urbanarum rerum utebatur . Ornamenta insignis picturæ & statuarû prisca artis nequaquam magnificet , adeo ut Vianesio Bononiensium Legato commendante statuam Laocoontis , quam in Beluederii uiridariis Iulius ingenti pretio cœmptam , ad loci dignitatem collocarat , uersis statim oculis tanquam impiæ gentis simulachra uituperaret . Erga propinquos usq; ad notam naturæ subagrestis , durus & illiberalis fuit , ita ut patruelis filium Senæ Ethruscæ in gymnasio literis operam nauantem , quod Romam nequaquam uocatus intermissis studiis repentè uenisset , confestim meritorio equo impositum remisit , leuitatem animi identidem obiectans , & scuerè admonens , ut ab se modestiæ & temperantiæ exemplum opportune

tunc desumeret, alios quoque nec remoto quidem affinitatis gradu necessarios, quum spe celsioris fortunæ à Germania pedibus Romam uenissent, mirum in modum increpauit, donatosque singulis sagis lancis, & frugi uiatico, pedibus similiter in patriam redire iussit, quarum rerum testimonio superiorum Pontificum profusam liberalitatem erga propinquos, uti grauem perniciosamque Reipub. detestari erat solitus. Quando eo præsertim errore, cuncta sensim labefactata, se demum Pontifice ruitura uiderentur. Amicis autem & familiaribus gratisimo animo sacerdotia concessit, & locupletare bonos & studiosos moderata stabilique liberalitate concupiuit, honoreque pilei coccinei Theodoricum Hetium quumprimum noui Cardinales in Senatum legerentur, exornandum destinarat. Præcessere mortem eius haud obscura prodigia, nam Borgiæ turrissetum plumbea fastigii testudine insigne, sub qua ipse habitabat, repente conflagrauit, retulerat etiam inter diuos Bennonem uirum Sanctissimum, & admirandis operibus apud germanos insignem, & Antoninum Antistitem Florentinum singulari pietate conspicuum, namque antea sæpius fuerat annotatum Pontifices non diu superuixisse, postquam aliquem in diuorum numerum retulissent. Vt Leone, mortuo statim obseruarant, à quo Franciscus à Paula ingenti apparatu relatus fuerat. Conditus est Hadrianus temporario monumento in æde Diui Petri, iuxta Pios Picolhomineæ familiæ Pontifices cum hoc titulo. Hadrianus Sextus hic situs est, qui nihil sibi infelicius in uita duxit quam quod imperaret. Cæterum Guilielmus Enchauordius Cardinalis egregia gratisimi animi liberalitate non multo post magnifici operis sepulchrum extruxit, in templo Deiparæ Virginis Germanorum ad Circum Flaminium, in quo marmoreis pluribus signis, clarissimarum uirtutum effigies crudita arte repræsentauit, Quarum auspiciis Hadrianus humanæ fortunæ fastigium immortali cum laude esset adeptus, & demum moriens, certissimum inter cœlites nunquam interitura felicitatis locum, optimorum omnium iudicio meruisset.

F I N I S .

CC iii Hæc

*Hæc carmina sepulchro fuerunt affixa*

*Quam Potes merito optimoq; iure  
Inter Pontifices Pios iacere  
Maximæ Pictatis Hadriane .*

*Insignis Pictas tua Hadriane  
Viuenti tibi profuit , decusq;  
Aurei diadematis parauit  
Iure id mehercule , at æquius tuæq;  
Certius pictatis hoc Trophæum est :  
Defunctus quod honoribus tot , inter  
Duos contigerit P I O S iacere .*

# INDEX ELOGIORVM.

## A

Albertus Magnus	fo. 5
Ambrosius Monachus	9
Antonius Panhormita	10
Antonius Campanus	15
Argvropylus	18
Antiochus Tibertus	32
Alexander Achillinus	36
Antonius Nebriffensis	40
Aurelius Augurellus	42
Andreas Maro	44
Andreas Mattheus Aquauinus	45
Andreas Naugerus	48
Albertus Pius Carpenfis	52
Ægidius Cardinalis	53
Augustinus Niphus	58
Antonius Tibaldeus	59
Albertus Pighius	66
Antonius Galatheus	70
Antonius Tilefius Cofsentinus	70
Augustinus Iuftinianus Genuenfis	72

## B

Boccacius	7
Bartholus	7
Baldus	8
Beflanion	16
Bartolomeus Cocles	33
Bernardinus Corius	36
Baptifta Mantuanus Carmelita	38
Bernardus Bibienna	40
Balthafar Caftelio	47
Baptifta Pius	64
Benedictus Iouius	66

CC iii Barto

Bartolomeus Facius	6 8
Bernardinus Iustinianus Venetus	6 9

## C

Callimachus	2 7
Christophorus Longolius	4 2
Camillus Quernus Archipoëta	5 1
Christophorus Persona Romanus	6 9
Cælius Calcagninus Ferrarien.	7 2
Camillus Ghilinus Mediolanensis	7 4
Cosmus Pactius	7 5

## D

Danthes	6
Donatus Acciaiolus	1 2
Domitius Calderinus	1 4
Demetrius Calcondiles	2 0

## E

Emanuel Ghrifoloras	1 6
Elisus Calentius	2 9
Erasmus Rotherodamus	5 9

## F

Franciscus Petrarca	6
Flavius Blondus	1 1
Franciscus Marius Grapaldus	3 8
Franciscus Arfillus	6 5

## G

Georgius Trapezuntius	1 7
Georgius Merula	2 4
Galeottus Martius	2 8
Guido Posthumus	4 3
Gulielmus	

Gulielmus Budæus	6 1
Gaspar Contarenus Cardina.	6 2
Guarinus Veronensis	6 8
Georgius Valla Placentinus	6 9
Georgius Tiphernates	6 9
Gabriel Altilius	7 1
Georgius Sauromanus Germanus	7 2
Guaghinus Gallus	7 3
Germanus Brixius	7 3

## H

Hermolaus Barbarus	2 3
Hieronymus Sauonarola	2 7
Hercules Strozza	3 3
Hieronymus Donatus	3 5
Hieronymus Aleander	6 1
Henricus Cornelius Agrippa	6 3
Hector Boethus	7 3
Hadrianus Pontifex	8 2

## I

Ioannes Scotus	5
Iacobus Card. Papiensis	1 4
Ioannes Lascaris	2 1
Iouianus Pontanus	3 0
Ioannes Cotta	3 4
Iason Mainus	4 1
Ioannes Marius Catanæus	4 9
Iacobus Sanazarius	5 0
Ioannes Manardus	5 0
Ioannes Franciscus Picus Mirandula	5 4
Ioannes Ruellius	5 8
Ioannes Tortelius	6 8
Iacobus Bracelius Lygur	6 9
Ioannes Simoneta	6 9
Iacobus Faber Stapulensis	7 0
Ianus Parrhasius	7 1

CC iiii Iacobus

Iacobus Angelus Florentinus	7 2
Iacobus Zieglerus	7 3
Ioannes Reuclinus Germanus	7 4
Ioannes de monte Regio Germanus	7 5

## L

Leonardus Arctinus	8
Laurentius Valla	1 0
Leo Baptista Albertus	2 2
Laurentius Medices	2 2
Laurentius Laurentianus	3 1
Lancinus Curtius	3 7
Ludouicus Ariostus	5 2
Leonicus Tomæus	5 7
Lampridius	6 2
Ludouicus Cælius Rodiginus	7 0
Ludouicus Viues Vallentinus	7 5

## M

Musæi Descriptio	1
Marullus Tarchaniota	1 9
Marcus Musurus	2 0
Mirandula	2 5
Marsilius Ficinus	2 8
M. Ant. Coccius Sabellicus	3 1
M. Ant. Turrianus Veronen.	3 7
M. Antonius casa noua	4 7
Marius Molfa	6 5
Maphæus Vegius Laudensis	6 7
Ioannes Tortelius	6 8
Marcellus Virgilius Florentinus	7 2
Marinus Becichemus Scordenfis	7 3

## N

Nicolaus Perotus	1 3
Marcus	

Marcus Musurus	3 0
Nicolaus Leonicens	4 3
Nicolaus Macchiaucllus	5 5
Nicolaus Tegrinus	7 4

O

Ordines Imaginum	4
------------------	---

P

Pogius	8
Petrus Candidus December	1 1
Philclpus	1 2
Platina	1 3
Petrus Leonius	2 3
Politianus	2 4
Pomponius Latus	2 6
Pandulphus Collenucius	2 9
Philippus Beroaldus	3 2
Petrus Crinitus	3 5
Petrus Pomponatius	4 4
Petrus Grauina	4 6
Pomponius Gauricus	4 6
Philippus Decius	5 5
Petrus Paulus Vergerius	6 8
Petrus Alcyonius	7 0
Petrus Martir Angleria	7 1
Polidorus Virgilius	7 3
Paulus Æmilius	7 3

Q

\*

R

Rodolphus Agricola	2 1
Roffensis Cardinalis	5 7
Rutilius	7 0
Raphaël Volaterranus	6 9
Robertus	



Robertus Valturius 72

S  
T

Thomas Aquinas. 5  
Theodorus Gaza 18  
Thomas Linacrus 39  
Thomas Morus 56

V  
Z

Series Chartarum.

ABCDEFGHIJKLMNOPQR  
STVXYZ AABBBCC.

Duerniones omnes,præter CC qui est Ternio.

Venetis apud Michaëlem Tramezinum.

M D XLVI.





V R B I S R O M A E T O P O G R A P H I A B. M A R  
L I A N I A D F R A N C I S C V M R E G E M  
G A L L O R V M E I V S D E M V R B I S  
L I B E R A T O R E M I N V I C T V M.

*Adiecta priori eiusdem auctoris topographiae editioni in  
hoc opere sunt.*

*Vrbis, atque insignium in ea aedificiorum descriptiones,  
compluraque alia memoratu digna.*

*Errores nonnulli sublati.*

*Tituli, inscriptionesque non aliter, quam ipsis inerant marmo-  
ribus, emendatissime expressi, qui ab alijs hacenus  
neglecto ordine, & perperam in lucem editi inusantur.*

*Cum Priuilegio Pauli .III. Port. Max. cuius  
exemplum in fine libri impressum est.*

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

## FRANCISCO REGI GALLORVM

## VRBIS ROMAE LIBE

## RATORI INVICTO

B. MARLIANVS. S. D.



ROMANI Illi prisca inuicti. Rex cum maioribus, magisque necessarijs rebus animum adiecissent, huius urbis pulchritudinem cōtemnere uisi sunt. Posterius uero, atque in praesertim, qui Imperatorum memoria fuisse, multo labore, summa arte, summaque impensa innumerabilibus, & praclarissimis, ac penè immortalibus aedificijs eam ornauere. Quae tamen maiori ex parte iniuria temporum (ut in hominum uita nihil est perpetuum) interiere: reliquiae tamen, ac ruinae illorum, quae hodie extant, adeo sunt immensae, & mirandum in modum se extollunt, ut ab extremis orbis partibus plurimos ad se se uisenda iugiter, & alliciant, & attrahant. Qui eas contemplantes, rerum magnitudine ita obstupescunt, ut ab illorum contemplatione uel inuiti abscendant, contendantque fieri non posse, ut, aut ciuium Romanorum opera, aut Regum potentia, aut ullis principum diuitijs, sed uel Gigantum manu, uel diuina potius uirtute aedificia illa fuerint excitata. Haec igitur incredibilis tantarum rerum admiratio eò nonnullos iure optimo adduxit, ut de eis iusta uolumina conscriberent, animadeuertentes harum rerum cognitionem exteris hominibus, quibus uisendi urbem copia non est, iocunditati futuram, studiosis uero omnibus, & ad uaria auctorum loca explicanda necessariam, nedum conducibilem, fore. Scripsere autem illi (quod pace ipsorum dixerim) nullo penè discrimine uera pariter, & falsa, apta, atque inepta. Tamen eos, qui primi omnium hanc scribendi prouinciam aggressi sunt, ob eam causam non indignos laude existimamus, quòd ad plura, utilioraque inuenienda, uiam posteris ostendisse uidemus. Nos tamen uiam aliam planiorem, certiorumque ingressi hanc secundam editionem eò adduximus, ut non tam de eadem re editionem, quam nouum aliquid inuentum praestitisse uideamur. Sublatis. n. aliquibus rebus, quae minus ad operis institutum facere uidebantur, adiectisq; quamplurimis, sine quibus opus imperfectum uideri poterat, additis etiam ipsius urbis, quorundamq; insignium aedificiorum descriptionibus ad exemplar accurate expressis, id effecimus, ut unumquodq; aedificium in qua parte positum fuerit, hodieque extet, facile dignosci possit. Quam ob rem hoc opus legens Rex amplissime, urbem illam cognosces, quam ab hostibus dolo captam, crudeliter direptam, turpiter in seruitutē saepe redactā maiores tui, tuq; ipse illorum uestigia secutus, in pristinam libertatem restituis. Magno. n. exercitu celeriter comparato inuitos eos, quippe qui hanc urbem perpetuam sibi sedem delegerant, hinc abire coegisti. Quod beneficium quam magnum sit, te optime cognitum, incredibilēque uoluptatem capturum existimauimus, si ea, quae seruasti, quibus salutem dedisti, oculis cerneres. Et quanquā praclarum huius facinoris nulla hic sit insignis memoria, tamen nemo est, qui non ingenuè fateatur, Romanam plus tibi, quam Decijs, quam Camillo, quam Fabijs, quam ceteris denique ciuius, qui eam conseruauerunt, se debere. Si enim pro patria, pro suis fortune, pro coniugibus, ac liberis uitam exponere non dubitarunt. Tu uero pro aliena urbe, pro exteris ciuibus, pro eorum templis, aris, ac focis, sola pietate, sola religione tot labores sustinuisi, tot pericula subisti, tātos sumptus fecisti, ut tuum, magis quam illorum, & maius, & praclarius beneficium fuisse nemini sit dubium. Quapropter Christianissimi cognomēto, quo summi, idēque prudētissimi Pontifices maiores tuos appellari uoluerunt, iure optimo te nunc appellamus: Meritoq; nos hoc tibi opus dicamus, praesertim quod (ut à Re. Georgio Arminiaci Episcopo Ruthenēsi legato tuo accepimus) soles, cū à publicis negotijs & laboribus bellicis euacuus, de his praclaris aedificijs doctos interrogare, plurimūque horum cognitione delectari. Ex

A ii

quo illud profectò apparet, quod ab omnibus ferè prædicatur, te scilicet omni disciplinarum genere ornatum esse, tēq; eisdem uehementer oblectari, atq; id propterea te unum ex principibus omnibus hac ætate doctis fauere, eòsque sumopere amplexari. Quo fit, ut non arbitrer (quod nonnulli suspicant) me temere fecisse, quòd te multis laboribus, & curis districtum hoc munusculo interpellauerim, quoniam accipientis, & eiusdem prudentis idem semper est animus: Dantis uero non fortunam, sed meritum potius, & uirtutem spectare. Tamen si de omnibus rebus tuis optime speramus, futurūq; breui confidimus, ut quo magis repentina, & uehemens fuerit tempestas, eo citius fracta furorem deponat. Præcipuè quòd quemadmodum Deus Opt. Maxi. (ut in sacris literis legimus) pro pijs Regibus certare solitus est, sic dubitandum non est, quin & pro te Christianissimo Rege iur certaturus, qui quidem eius domicilium, eius templa, eius sacra, eius ministros, summum denique Pontificem ex faucibus, non hominum, sed immaniū ferarum sæpenumero eripuisti. Possemus hic multa alia beneficia, non in hanc solum, sed in multas alias Italiae ciuitates à te collata recensere, clementiam tuam indicare, munificentiam ostendere, ceterasque uirtutes animi eximias commemorare, uerum non est præsentis temporis, aut loci: præsertim quod si efficiendum esset, uideo me id præstare nequaquam posse. Quoniam (ut Pindarus in Pythiis inquit) ἀρετῶν δ' αἱ μέγιστα πωλύμοδοι. Igitur satis erit quod attigimus: quo omnes probe norint, me non temere has lucubrationes tibi Regi optimo consecrauisse. Quæ si tuo iudicio exactissimo, singularique prudentia longe inferiores uidebuntur, non minus, sed meum potius dantis animum consyæres, rogo. Vale.

- Aētus quid. 21.  
 Aditus capitolij quot. 20.  
 Aedes sacrae quae. 28.  
 Aequimelium. 51.  
 Aerarium ubi. 21. 41.  
 Agger Tarquinij. 6. 85.  
 Agon. 104.  
 Ager Lucullanus. 96.  
 Agonalia. 104.  
 Alba. 11.  
 Albula. 104.  
 Almon. 70.  
 Alta Semita. 89.  
 Ambitus quid. 89.  
 Ambitus urbis. 5. 6. 8. 9. 11.  
 Ambulationes Octavij. 18.  
 Ambulatio Craspedis. 16.  
 Amphiteatrum quid. 72.  
     T. Vespasiani. 78.  
     Statilij Tauri. 72.  
     Claudij imp. 77. 96.  
 Angiportus Clivi Capitolij. 20.  
 Antrum Fauni & Pici. 67.  
 Antrum Cyclopi. 78.  
 Anio flu. 115.  
 Apodyteria. 69.  
 Aqua urbis. 76.  
 Aqua ex Tiberi Rosos esse. 72.  
 Aqua ductus cur inuenti. 72.  
 Aquarum utilitas. 72.  
 Aquarum libra. 73.  
 Aqua piscinis excepta. 73.  
 Aqua signino purgabantur. 73.  
 Aquarū ductū struēdi mod⁹. 73.  
 Aquarum mensura. 73.  
 Aquas deducendi ius. 74.  
 Aqua caduca quae. 74.  
 Aquarum venditores. 74.  
 Aquarum Vestigal. 74.  
 Aquarum ius non transit ad em-  
     ptorem. 74.  
 Aquarum Curatores. 74. 75.  
 Aquarū Procurator. 74.  
 Aquarū fissularū collocatio. 74.  
 Aquarū Calix. 74.  
 Aquarū Castellum. 71. 74.  
 Aquarum Lacus. 75.  
 Aquariorum cura. 75.  
 Aquas Olerentium poena. 75.  
 Aquas surripientiū poena. 75.  
 Aquarum reditus. 75.  
 Aquarū Familia duae. 75.  
 Aquarum Tutela. 75.  
 Aquarū redēptorū Cura et ius. 75.  
 Aquarum ductus trās tiberim de-  
     tinati. 76.  
 Aquarū ductū ruinae causa. 76.  
 Aquarum ductus duplices. 76.  
 Aquarum ductus ex saxo quae-  
     drato. 76.  
 Aquarum ductus à Gothhis in-  
     staurati. 76.  
 Aquarū oīum quot Quinariae. 76.  
 Aqua Appia. 17. 118.  
 Aufeia. 83.  
 Augusta. 110.  
 Anio vetus. 76. 117.  
 Anio Novus. 76. 117.  
 Alexandrina. 104.  
 Aljictina. 110.  
 Claudia. 76.  
 Iulia. 83.  
 Martia. 82.  
 Mercurij. 119.  
 Sabatina. 112.  
 Tepula. 83.  
 Traiana. 76.  
 Virgo. 83. 96.  
 Ara Acca Larentia. 53.  
 Appollinis. 119.  
 Aij. 32.  
 Caesaris. 37.  
 Consi. 3. 61.  
 Ditis Patris. 104.  
 Febris. 36.  
 Herculis. 3. 56.  
 Iunonis Iugae. 31.  
 Iouis Elicij. 67.  
 Iouis Inuentoris. 66.  
 Iouis Viminei. 87.  
 Iouis Pistoris. 24.  
 Maxima. 56.  
 Martis. 17.  
 Mala Fortuna. 85.  
 Murcea. 67.  
 Neptuni. 100.  
 Saturni. 20. 21.  
 Septimiana. 17.  
 Arcus, & Fornices.  
 Camilli. 94.  
 Constantini. 67.  
 Domitiani Imp. 97.  
 Fabianus. 42.  
 Gratiani. 104.  
 Gordiani. 82.  
 Gallieni. 82.  
 Horatij Coclitis. 59.  
 L. Septimii. 38. 53.  
 Romuli. 32.  
 Sertinii. 61.  
 Traiani. 93.  
 Tyberii Cæs. 101.  
 Vespasiani. 47.  
 Area Capitolina. 95.  
 Area Flaminij. 95.  
 Armamentarium. 78.  
 Armilustrium. 65.  
 Argiletum. 51.  
 Argiletum Imum. 50.  
 Arx Capitolii. 23.  
 Asylus. 19. 52.  
 Atrium Capitolij. 24.  
 Libertatis. 67.  
 Minerva. 43.  
 Palatij. 33.  
 Pompeii. 101.  
 Scauri. 34.  
 Titi Imp. 79.  
 Traiani. 92.  
 Veneris. 48.  
 Vestæ. 30.  
 Auguratorium. 36.  
 Auentinus Mons. 65.  
 Auentinus cur ominosus. 6.  
 Auentini ambitus. 6.  
 B  
 Basilica quid, et cui usui. 43.  
 Aemilia. 63.  
 Caii & Lucii. 82.  
 Opimii. 34.  
 Porcia. 43.  
 Pauli Aemilii. 41.  
 Sempronia. 52.  
 Sefumini. 85.  
 Balnea quae. 69.  
 Balnearū genera. 69.  
 Balnea Pensilia. 69.



# T A B V L A .

Pauli Aemilii.88.	Caracallæ.119.	Saliorum.36.
Palatinæ.35.	Floræ.91.	Veteres.3. 28.43.79.
Bibliotheca Augusti.35.	Flaminius.99.	Curiarum duo genera.28.
Maiorum.4.	Intimus.63.	D
Octavia.94.	Maximus.59.	Deum unum tantum.36.
Traiani.93.	Neronis, & Caij.111.	Dies Comitiales.43.
Vulpia.88.	Clauus Annalis.22.	Digitus quid.73.
Busta Gallica.49.	Claudiani titulus.92.	Digitus Rotundus.73.
C	Clius Capitolinus.20.	Digitus Quadratus.73.
Capitolium unde.18.	Publicus.66.	Diribitorium.94.
Capitolium à quo extructū.18.	Suburranus.82.	Diuidiculum.74.
Capitolium ex saxo quadrato.18.	Victoriæ.4.	Doliola quæ.43.
Capitolium quoties arsit.18.	Vrbicus.84.	Domus urbis Romuli.4.
Capitolium à quib. instauratū.19.	Clitelæ.114.	Anci Martij.47.
Capitolij Limina ænea.18.	Cloaca.106.	Augusti.36.
Capitolij Tegulæ inauratæ.18.	Cloaca Max.106.	Aeliorum.82.
Capitolium Vetus.89.	Clypeus Martis.25.	Balbini.81.
Campus Agrippæ.94.	Cælius Mons.71.	Catilinæ.34.
Exquilinus.85.	Cæliolus.70.	Ciceronis duæ.36.
Flaminius.99.	Colosseus unde.78.	Cassij.49.
Floræ.101.	Colossus quid, & unde.78.	Calui Oratoris.36.
Martius.5.94.	Apollinis.35.	Cæsaris.36.45.86.
Martialis.78.	Martis.100.	Corneliorum.88.
Sceleratus.90.	Neronis.84.	Claudij Centimali.77.
Tiberinus.94.	Iouis.101.	C. Aquilii.87.
Viminalis.88.	Comitium.37.43.	Coruina.93.
Vaticanus.17.	Columna Antonini.95.	Fl. Sabini.89.
Capena Ciuitas.16.	Bellica.98.	Faberij scribæ.67.
Capita Bubula.36.	Cæsaris.43.	Gordiani Imp.82.
Caput æneū Commodi.26.	C. Duellij.42.	Hortensij.36.
Carcer Tullianus.38.	C. Mœnij.42.	Itali regis.67.
Carcer Pl. Ro. 51.	Lactaria.50.	Iunij Senatoris.78.
Casa Faustuli.34.	Mænia.44.	L. Amerimni.32.
Casa Romuli.19.36.	P. Mancini.63.	Lateranorum.72.
Caryatides.102.	Rostrata.25.	Lælia.86.
Castra Peregrina.72.	Traiani.93.	L. Crassi.36.
Castra Prætoria.10.119.	Columnæ aræ quatuor.25.	Manlij.23.
Castrum Custodiæ.116.	Collis Hortulorum.91.	Milonis.20.
Castellarius.74.	Compita urbis quot.10.	M. Flacci.36.
Carinæ.79.	Conditorium.89.	M. Antonij.49.
Cella Concordiæ.28.	Consualia.61.	Mamurra.77.
Iouis.22.	Cremera Flu.43.	Moenij.43.
Iunonis.22.	Curia quæ.28.	Martialis.91.
Minervæ.22.	Calabra.19.	Numæ.30.
Cenatio Iouis.36.	Hostilia.28.43.71.	Neronis.84.
Circus quid, & unde.59.	Nouæ.44.	Octavia.94.
Circus cui usui.59.	Octavia.50.	Ouidij poetæ.32.
Alexandri.104.	Pompei Magni.101.	Publicolæ.34.

- Pompei tres. 62. 81.  
 Phylidis. 67.  
 P. Africani. 52.  
 Pom. Attici. 89.  
 Pincij Senatoris. 91.  
 Q. Catuli. 36.  
 Q. Ciceronis duæ. 81.  
 Romuli. 36.  
 Ser. Tullij. 35. 84.  
 Scauri. 34.  
 Sallustij. 89.  
 Syllæ. 36.  
 T. Tatij. 23.  
 Tarquinij Prisci. 32.  
 Tarquinij Superbi. 30.  
 Tiberij Imp. 36.  
 Tetricorum. 78.  
 T. Clau. Clypti. 78.  
 Traiani. 66.  
 Titi Vespasiani. 79.  
 Viurbij. 37.  
 Vani. 37.  
 Virgilij Poetæ. 85.  
 E  
 Emporium. 63.  
 Ephiones. 65.  
 Equiria. 94.  
 Equus Fidiæ. 89.  
 Casaris. 43.  
 Constantini. 43.  
 Domitiani. 40.  
 Praxitelis. 89.  
 Traiani. 92.  
 Euripus. 59.  
 Exquilæ. 79.  
 F  
 Fauisæ. 24.  
 Fasti in æde Herculis. 100.  
 Feretrius Iupiter. 19.  
 Ficus Ruminalis. 31. 45.  
 Figuli ubi. 63.  
 Figulorum collegia quot. 63.  
 Fistulæ solutæ. 74.  
 Flora. 91.  
 Forum Augusti. 47.  
 Archimorij. 91.  
 Boarium. 52.  
 Cupedinis. 57.  
 Casaris. 48.  
 Esquilinum. 85.  
 Latium. 37.  
 Magnum. 37.  
 Nervæ. 48.  
 Olitorium. 50.  
 Piscarium. 56.  
 Romanum. 37.  
 Suarium. 94.  
 Sallustij. 89.  
 Transitorium. 48.  
 Traiani. 92.  
 Fons Cæruleus. 76.  
 Fons curtius. 76.  
 Fons Piconia. 83.  
 Fons Fauni, & Pici. 67.  
 Fossa. Quiritium. 5. 6.  
 Frascatum. 96.  
 G  
 Gabii. 118.  
 Galicanum. 16.  
 Germalus. 34.  
 Gregostajis. 33.  
 H  
 Heretum. 114. 115.  
 Hippodromus. 113.  
 Hylerna. 65.  
 Horrea Po. Ro. 17. 63.  
 Horti Ansiniani. 117.  
 Casaris. 110.  
 Domitiæ. 89.  
 Epaphroditiani. 84.  
 Galbæ Imp. 120.  
 Mecænatis. 85.  
 Martialis. 111.  
 Neronis. 111.  
 Pallantiani. 84.  
 Sallustij. 89.  
 Terentiani. 119.  
 I  
 Ianiculus Mons. 18.  
 Ianiculum. 109.  
 Ianus Geminus. 40.  
 Ianus septimianus. 17.  
 Ilex Sacra. 111.  
 Insulæ Tiberinæ origo. 107.  
 Iugerum quid. 21.  
 Lucurna. 96.  
 Iuno Moneta. 23.  
 Iupiter Opt. Max. 22.  
 L  
 Laurentalia. 10.  
 Latomia. 38.  
 Lacus Iuturnæ. 96.  
 Lacus Curtius. 40.  
 Lauacra virilia. 69.  
 Lauacra Muliebria. 69.  
 Lauacrum Agrippinæ. 87.  
 Lauacrum Decij Imp. 66.  
 Leuicanum. 118.  
 Lemonia tribus. 120.  
 Leges à Romulo latæ. 26.  
 Libri Sibyllini ubi seruati. 22.  
 Lignarij ubi. 63.  
 Luera Hieroglyphica quæ. 61.  
 Luvius Romuli. 36.  
 Lychnuci. 35.  
 Locus Palladij. 35.  
 Locus Mercurio sacer. 119.  
 Lupercal. 31.  
 Lupercalia. 31.  
 Lupanaria. 62.  
 Lucullanus Ager. 96.  
 Lucus Asyli. 119.  
 Aegeriæ. 119.  
 Camænarum. 16. 119.  
 Exquilinus. 82.  
 Fagutalis. 24.  
 Honoris. 119.  
 Iunonis Lacinæ. 85.  
 Petilinus. 14.  
 Querquetulanus. 85.  
 Vestæ. 50.  
 Lucaria festa. 115.  
 Ludi Megalenses. 35.  
 Ludi Piscatori. 110.  
 Ludi Circenses. 59.  
 Ludi Consuales. 61.  
 Lupi Pisces ubi capiebantur. 107.  
 M  
 Mansiones Albanæ. 72.  
 Macellum Magnum. 78.  
 Macellum Liuium. 82.  
 Mausolæum Aug. 97.  
 Malum Punicum. 89.

# T A B V L A .

Manalis Lapis. 119.  
 Mensura urbis. 11.  
 Metæ in Circo. 59.  
 Metæ Sudans. 78.  
 Milliarium Aureum. 40.  
 Miagirus Deus muscarum. 55.  
 Montes Urbis septē. 10.  
 Montium Divisio. 11.  
 Montes rudēib. creuisse. 73.  
 Mons Apollinis, & Clatræ. 89.  
 . Citatorum. 95.  
 Capitolinus. 13.  
 Marceus. 65.  
 Quæquetulanus. 71.  
 Romuleus. 33.  
 Remurius. 65.  
 Saturnius. 1. 4. 18.  
 Tarpeius. 18.  
 Vaticanus. 111.  
 Moles Hadriani. 113.  
 Muri ex saxo quadrato. 5. 18.  
 Murorum extensio. 8.  
 Muri restituti. 3.  
 Muri an in prisceis fundamētis. 8.

## N

Natatoria. 69.  
 Naualia ubi. 11. 105.  
 Naumachia Circi max. 60.  
 Cæsaris. 110.  
 Domitiani. 97.  
 Neronis. 111.  
 Nemus Alexandri Imp. 104.  
 Nossocomium. 108.

## O

Obeliscus quid. 61.  
 Obeliscus cur inuentus. 61.  
 Obeliscus ex quo lapide. 62.  
 Obeliscus à quo inuentus. 62.  
 Obelisc<sup>9</sup> primus Ro. aduect<sup>9</sup>. 62.  
 Obeliscus in Circo max. 62.  
 Campi Martij. 62. 97.  
 Vaticani, Cæs. Imp. 62. 111.  
 Ad Mausolæū Aug. duo. 62. 98  
 In Hortis Sallustij. 62. 89.  
 In Circo Caracallæ. 119.  
 Extra P. S. Laurentij. 117.  
 Officinæ Monetæ. 23. 41.  
 Officinæ Minij. 91.

Ouilia. 95.

## P

Pagus Lemonius. 120.  
 Palladium ubi. 35.  
 Palantium. 1.  
 Palus Caprea. 104.  
 Palatinus Mons. 35.  
 Palatium unde. 33.  
 Antonini Pij. 95.  
 Constantini. 69. 72.  
 Caracallæ. 69.  
 Decij Imp. 87.  
 Dioclitiani. 88.  
 Licinianum. 82.  
 Nervæ. 48.  
 Pincij Senatoris. 14.  
 Sessorianum. 72.  
 Palatij sacrificium. 37.  
 Pantheon. 102.  
 Penates qui. 22.  
 Pila Oratia. 43.  
 Pila Tiburtina. 91.  
 Piscina Publica. 70.  
 Pyramides unde. 63.  
 Pons Cestius. 109.  
 Caligulæ in foro. 38.  
 Campi Martij. 95.  
 Fabricius. 108.  
 Hælius. 109.  
 Ianiculensis. 109.  
 Lepidi. 106.  
 Lucanus. 117.  
 Mamæus. 117.  
 Numentanus. 115.  
 Palatinus. 106.  
 Miluius. 109.  
 Herculis. 108.  
 Sacer. 106.  
 Sublicius. 5. 106.  
 Salaris. 115.  
 Triumphalis. 18. 109.  
 Pomerium quid, & unde. 9.  
 Pomerium urbis Romuli. 3.  
 Pomerium à quibus ppagatū. 9.  
 Pomerium à quib. propagari pos-  
 terat. 6. 9.  
 Pomonal. 120.  
 Portæ Lani. 5.

Portæ urbis, quot. 10.  
 Portæ urbis Romuli. 3. 4.  
 Porta Agonenfis. 14.  
 Aurelia. 17.  
 Carmentalis. 4.  
 Collatina. 14.  
 Collina. 14.  
 Cœlimontana. 15.  
 Capena. 16.  
 Catularia. 10.  
 Exquilina. 15.  
 Flumentana. 14.  
 Figulnensis. 10.  
 Ferentina. 16.  
 Fontinalis. 17.  
 Gabia. 16.  
 Ianualis. 4.  
 Labicana. 11. 15.  
 Latina. 16.  
 Lauernalis. 10.  
 Mutionis. 4. 11.  
 Mugiona. 4.  
 Munutia. 10.  
 Nevia. 15.  
 Naualis. 17.  
 Pandana. 4.  
 Palatij uetus. 33.  
 Picularis. 10.  
 Quirinalis. 14.  
 Quæquetulana. 15.  
 Romana. 4.  
 Romanula. 11.  
 Ratumena. 10.  
 Raudiscula. 10.  
 Rarana. 117.  
 Scelerata. 4.  
 Saturnia. 4.  
 Saginalis. 10.  
 Salutaris. 10.  
 Stercoraria. 10. 20.  
 Trigemina. 6. 16.  
 Triumphalis. 18.  
 Viminalis. 14.  
 Porticus Aemilia. 63.  
 Antonini Pij. 95.  
 Concordiæ. 28.  
 Constantini. 24.  
 Circi Max. 59.

Cn. Octavius. 100.  
 Corinthia. 100.  
 Faustina. 42.  
 Fori Augusti. 48.  
 Fori Nervæ. 48.  
 Fori Traiani. 92.  
 Livia. 45.  
 Metelli. 24.  
 Mercurij. 99.  
 Neptuni. 95.  
 Octavia. 50. 100.  
 Pompei. 101.  
 Panthei. 102.  
 Q. Catuli. 36.  
 Quirini. 89.  
 Traiani. 92.  
 Veneris Erycinæ. 114.  
 Prata Mutia. 110.  
 Prata Flaminia. 99.  
 Prata Quintia. 113.  
 Prædium Iul. Pauli poetæ. 111.  
 Posunurum quid. 9.  
 Puteus Proba. 86.  
 Puteus aquæ salientis. 88.  
 Puteal Libonis. 42.


Q  
 Querquetum. 15.  
 Quirinalis Mons. 88.  
 Quinaria fistula unde. 73.

R  
 Regiones Urbis. 10.  
 Regia Numæ. 30.  
 Remoria. 66.  
 Rivus Herculanus. 70. 117.  
 Roma ubi, quando, et à quibus cōf  
 dita. 2.  
 Roma quadrata. 3. 35.  
 Romæ primi cultores. 1.  
 Rostra Vetera. 44.  
 Rostra Nova. 38.  
 Rumon. 104.  
 Rupes Tarpeia. 21.

S  
 Sanguis Deus. 11.  
 Salina. 17. 59. 63.  
 Saturni oppidum. 4. 18.  
 Saturnii. 20.  
 Saxum Carmentis. 13.

Saxum Tarpeium. 18.  
 Sacarium Numa. 51.  
 Sacrum Bonæ deæ. 119.  
 Scalæ Annulariæ. 36.  
 Scalæ Gemoniæ. 66.  
 Septem Salæ. 81.  
 Septizonium Severi. 68.  
 Septizonium alterum. 68.  
 Seuges inaurati. 25.  
 Senaculum. 19. 28. 34.  
 Senaculum Mulierum. 90.  
 Senacula quinq. 29.  
 Senatuscons. ubi poterat fieri. 28.  
 Secretarium Po. Ro. 40.  
 Sepulcrum Accæ Larentiæ. 10. 53.

Argi. 51.  
 Archia poetæ. 120.  
 Africani. 120.  
 Britanici. 98.  
 Bacchi. 116.  
 C. Cestij. 63.  
 Cæcilij Statij Poetæ. 111.  
 Collatini. 119.  
 C. Pobilij. 93.  
 Drusi. 98.  
 Ennij Poetæ. 120.  
 Faustuli. 45.  
 Gallieni Imp. 120.  
 Hircij. 98.  
 Hadriani. 113.  
 Iulia. 98.  
 Ilia. 98. 115.  
 Licinij Tonsoris. 115.  
 Marcelli. 98.  
 Marij. 115.  
 Mariæ uxoris Honorij. 112.  
 Metella. 120.  
 Metellorum. 119.  
 M. Vlpj. 98.  
 Neronis. 91.  
 Numæ Pomp. 110.  
 Pansa. 98.  
 Pom. Attici. 120.  
 Q. Cæcilij. 120.  
 Romuli. 45.  
 Remi. 66.  
 Scyllæ. 98.  
 Scipionum. 113. 119.

Septem Epulonum. 113.  
 Seruiliorum. 119.  
 Sororis Horatiorum. 120.  
 T. Tatij. 67.  
 Vestalium. 30.  
 Sepulcrorum forma varia. 85.  
 Sepulcrorum pub. locus. 85.  
 Septa Campi Martij. 95.  
 Sicilia locus in Palatio. 36.  
 Silicarii. 75.  
 Sylva Laurentium. 67.  
 Sororium Tigillum. 49.  
 Spoliarium. 78.  
 Spelunca. Caci. 66.  
 Statuæ . Simulacra . Signa .   
 Imagines.  
 Actus Navii. 25. 44.  
 Apollinis. 25. 28. 35. 36. 48. 50.  
 Apollinis eburnea. 48.  
 Aesculapii. 28. 50.  
 Asragalizonium. 79.  
 Actii poetæ. 119.  
 Achillis. 100.  
 Alexandri magni. 48. 50. 101.  
 Ariadna. 62.  
 Augusti. 42. 98.  
 Antonini Pii. 95.  
 Alcibiadis. 43.  
 Aemilii pueri. 25.  
 Anseris argentea. 23.  
 Annii Fecialis. 30.  
 Boni Euentus. 25.  
 Bonæ Fortuna. 25.  
 Batti. 28.  
 Britanici. 36.  
 Canis. 22.  
 Cupidinis. 50. 112.  
 Cete. 100.  
 Cn. Octavii. 44.  
 Chori. 100.  
 Cadmi. 101.  
 Castoris. 21. 43.  
 Cereris. 28.  
 Cassandra. 34.  
 Coruini. 48.  
 Cæsaris. 42. 108.  
 C. Fulcinii. 44.  
 Cornelia. 25.

# T A B V L A .

Claudian. 92.  
 Camilli. 44.  
 Calypsus. 101.  
 Cassij. 49.  
 Constantini. 27.  
 Cleopatræ. 112.  
 Deorum Noxiorum. 22.  
 Dianæ. 28. 35. 50. 36.  
 Delphinum. 100.  
 Equi Fidiæ. 89.  
 Equi Praxitelis. 89.  
 Equi Cæsaris. 49.  
 Europæ. 101.  
 Fortunæ. 56.  
 For. Mulicbris. 119.  
 Floræ. 38.  
 Fabij Max. 25.  
 Hesionis. 50.  
 Herculis. 25. 50. 102.  
 Herculis ærea. 25. 27. 55.  
 Herculis Tunicati. 44.  
 Herculis Triumphalis. 55.  
 Hygiæ. 28.  
 Hippocampi. 100.  
 Hermodori. 43.  
 Hor. Coclitis. 43.  
 Hialysij. 45.  
 Iouis. 21. 25. 28.  
 Iouis Imperatoris. 22.  
 Iouis Tonantis. 25.  
 Iouis ærea. 23.  
 Iani. 25. 40. 48.  
 Iunonis. 28. 50.  
 Iugurthæ aurea. 25.  
 Lepidi. 44.  
 L. Bruti. 25.  
 L. Roscij. 44.  
 Latonæ. 28. 50.  
 Ludienis. 47.  
 Liberi patris. 50. 62.  
 Lupæ cū Ro. & Re. 27.  
 Laocoontis. 79. 112.  
 Leonis Lapidei. 45.  
 Musarum. 50.  
 Minervæ. 40. 50. 56. 102.  
 Martis. 28. 119.  
 Mercurij. 28.  
 Metelli. 25.

Marforij. 40.  
 M. Aurelij. 26.  
 Minutii Augurini. 17.  
 Marfysæ. 34.  
 Nemesis. 25.  
 Numeriani Imp. 35.  
 Nili. 26. 112.  
 Numæ. 25.  
 Nympharum duarū. 50.  
 Nereidum. 100.  
 Proserpinæ. 22.  
 Pollucis. 21. 48.  
 Pudicitia. 56.  
 Pristis. 100.  
 Phorci. 100.  
 Philippi mac. 50.  
 Pitagoræ. 43.  
 Pretidum. 35.  
 Q. Marci Tremuli. 38.  
 Q. Ciceronis. 49.  
 Regum omnium. 25.  
 Rheni. flu. 40.  
 Romuli. 112.  
 Remi. 112.  
 Satyrorum quatuor. 50.  
 Scie. 61.  
 Stata Matris. 42.  
 Siluani. 41.  
 Sibyllæ. 44.  
 Sibyllæ tiburtinæ. 115.  
 Scipionis. 25.  
 Scipionis Africani. 120.  
 Sp. Nautii. 44.  
 Syllæ. 25. 44. 45.  
 Ser. Tullii. 25. 57.  
 Senis cum lyra. 22.  
 Tigris. 26.  
 Tritonum. 41.  
 Thetidis. 100.  
 Tullii Cælii. 44.  
 Trebii. 25.  
 Tiberis. 112.  
 Tiberij Imp. 78.  
 Tauri in fo. Bo. 3. 52.  
 Thesei. 25.  
 Victoriæ. 22. 28. 48.  
 Veionis. 19. 23.  
 Veneris. 37. 45. 49. 50. 100.

102. 112.  
 Veneris Cloacina. 43.  
 Veneris Erycina. 114.  
 Varronis. 35.  
 Stagna Neronis. 78.  
 Suburra. 86.  
 Sublices. 106.  
 Suburbanum Phanoti. 116.  
 Suburbanum Phylidis. 119.  
 Subuelia. 34.  
 T  
 Tabula victoriæ Messalæ. 44.  
 Victoriæ Scipionis Asiatici. 25.  
 Mancini. 43.  
 Iugurthæ. 25.  
 Raptus Proserpinæ. 22.  
 Imaginis Belli. 48.  
 Castorum, & Victoriæ. 37.  
 Aiæcis, & Medæ. 49.  
 Tabularium. 26.  
 Tabularū Curatores. 26.  
 Tabulæ legū tria. M. 26.  
 Fœderū carthaginiensū. 22.  
 Ciuitatis datæ Equitibus Cam  
 panis. 38.  
 De rebus gestis d' Clodio. 26.  
 Aenea quæ in Templo Lateran.  
 extat. 9.  
 Tabernæ Argiletana. 52.  
 Argentariæ. 43.  
 Bibliopolarum. 52.  
 Cæditia. 119.  
 Decem. 86.  
 Lanæ. 52.  
 Meritoria. 104.  
 Nouæ. 43.  
 Quinquæ. 43.  
 Septem. 43.  
 Tres. 119.  
 Tabernola. 82.  
 Tempa: Aedes sacræ. Delubra.  
 Sacella. Fana.  
 Templum quid. 28.  
 Apollinis. 35. 36. 88. 89. 99. 111.  
 Aij Dei. 32.  
 Augusti. 38.  
 Apis. 90.  
 Aesculapij. 107.

- Bellonæ. 98.  
 Bacchi. 116.  
 Bonæ Deæ. 65.  
 Boni Euentus. 102.  
 Bruti Callaici. 100.  
 Carmentæ. 4. 51.  
 Consi. 53. 61.  
 Concordiæ. 20. 22. 24. 28.  
 33. 34.  
 Cereris. 62. 114.  
 Castoris. 37. 100.  
 Cæsaris. 37.  
 Carnæ Deæ. 77.  
 Claudij Cæs. 77.  
 Camænarum. 16. 119.  
 Dianæ. 66. 70.  
 Deæ Viriplacæ. 36.  
 Faustina. 42.  
 Fauni. 72. 108.  
 Felicitatis. 85.  
 Febris. 36.  
 Floræ. 62. 90.  
 Fidei. 22. 35.  
 Fortunæ. 21. 85.  
 For. Equestris. 101.  
 Fortis Fortunæ. 56. 109.  
 For. Masculæ. 56.  
 For. Muliebris. 119.  
 For. Malæ. 85.  
 For. Obsequentis. 24.  
 For. Primi genia. 24. 56. 90.  
 For. Prosperæ. 56.  
 For. Paruæ. 56.  
 For. Publicæ. 88.  
 For. Virilis. 57.  
 Gentis Flauia. 90. 97.  
 Herculis. 55. 65. 90.  
 Herculis Custodis. 100.  
 Herculis Musarum. 100.  
 Herculis Victoris. 55.  
 Heliogabali. 42.  
 Honoris. 70. 90. 114.  
 Iouis. 89. 208.  
 Iouis Custodis. 19.  
 Iouis Feretrij. 19.  
 Iouis Opt. Max. 21.  
 Iouis Capitolini. 21.  
 Iouis sponforis. 24.  
 Iouis Statoris. 29. 100.  
 Iouis Tonantis. 20.  
 Iouis Victoris. 36.  
 Iunonis. 21. 50. 89. 99.  
 Iunonis Lucinæ. 97.  
 Iunonis Monetæ. 23. 67.  
 Iunonis Matutæ. 50.  
 Iunonis Regina. 66.  
 Iunonis Sospitæ. 34.  
 Iani. 4. 5. 40. 48. 50. 53.  
 Iuuentutis. 61.  
 Isidis. 70. 93.  
 Iuturnæ. 96.  
 Larum. 3. 36. 47. 95.  
 Libertatis. 24. 36. 67.  
 Lunæ. 47. 67.  
 Liberi. 62.  
 Liberæ. 62.  
 Mentis. 24.  
 Martis. 16. 70. 99. 111. 119.  
 Martis Vltoris. 48.  
 Matutæ. 56. 67.  
 Mercurij. 62.  
 Mineruæ. 21. 67. 89. 94.  
 Matris Deorum. 35.  
 Murtiæ. 56. 65.  
 Marianum. 82.  
 Neptuni. 61. 88. 95. 100. 104.  
 Neniæ. 115.  
 Orci. 35.  
 Opis. 24.  
 Pacis. 45.  
 Pietatis. 51. 96.  
 Pudiciciæ Patriciæ. 56.  
 Pudicitia Plebeia. 56.  
 Penatium. 35.  
 Pollucis. 37.  
 Proserpinæ. 62.  
 Pantheonis. 102.  
 Quirini. 14. 30. 70. 89.  
 Quietis. 78.  
 Romuli. 32. 43.  
 Remi. 43.  
 Rauenatium. 109.  
 Ridiculi. 119.  
 Saturni. 4. 20. 21. 41.  
 Salutis. 24. 49. 90.  
 Spei. 50. 119.  
 Solis. 47. 62.  
 Stluani. 86.  
 Termini. 23.  
 Telluris. 49.  
 Tempestatis. 119.  
 Veionis. 19.  
 Veneris. 62.  
 Veneris Caluæ. 24. 114.  
 Veneris Erycinæ. 24.  
 Veneris Genitricis. 48.  
 Veneris Myrtæ. 63.  
 Veneris Victricis. 101.  
 Veneris, & Cupidinis. 72.  
 Vulcani. 47. 100.  
 Vertumni. 53.  
 Vestæ. 24. 30. 36. 57.  
 Victoriæ. 34. 67.  
 Virtutis. 70.  
 Volupia. 11.  
 Terminalia festa. 120.  
 Testaceus collis. 63.  
 Testamentū Militare. 86.  
 Terentium. 104.  
 Theatrum quid. 72.  
 Theatrum Marcelli. 50.  
 Theatrum Pompei. 100.  
 Therma quæ, & unde. 69.  
 Agrippinæ. 102.  
 Antonianæ. 69.  
 Alexandrinæ. 104.  
 Aurelianæ. 110.  
 Dioclitiani. 87.  
 Constantini. 88.  
 Decianæ. 66.  
 Gordiani. 82.  
 Hadriani. 104.  
 Neronianæ. 104.  
 Nouati. 87.  
 Olympiadis. 87.  
 Seuerianæ. 110.  
 Titianæ. 79.  
 Traiani. 66.  
 Varianæ. 66.  
 Tiberis uaria nomina. 104.  
 Tiberis etymologia. 105.  
 Tiberis fluxus. 105.  
 Tiberis natura. 105.  
 Tiberis altitudo, & latitudo. 105.

# T A B V L A.

Tiberis Curatores. 105.  
Trebia flu. 114.  
Tribunal Aurelium. 101.  
Tribunal Libonis. 42.  
Trophaea Marij. 82.  
Turres Capitoli. 18.  
Turris Militiarum. 88.  
Turris Meccenatis. 85.  
Turris Mamilia. 86.

## V

Vallis Martia. 97.  
Vallis Quirinalis. 88.  
Valmontone. 118.  
Vaticanus Mons. 111.  
Velia. 34.  
Velabrum. 52.  
Vestaliū corruptarum pœna. 90.  
Vestales defodiendi mos. 90.  
Vertumnus. 53.  
Vininalis Mons. 87.  
Via Appia. 15. 16. 70. 118. 119.  
Aurelia. 120.

Aemilia duæ. 114.  
Ardeatina. 15.  
Asinaria. 15.  
Claudia. 114.  
Cassia. 114.  
Collatina. 114.  
Campana. 118.  
Flaminia. 113.  
Fornicata. 95.  
Figulinensis. 115.  
Gabina. 16. 118.  
Labicana. 117.  
Lata. 93.  
Latina. 15. 118.  
Laurenzina. 67. 120.  
Nona. 10. 30. 32. 70.  
Numentana. 114. 115.  
Cistensis. 15. 120.  
Prænestina. 117.  
Portuensis. 120.  
Reata. 98.  
Sacra. 47.  
Salaria. 14. 114.

Sublacensis. 77.  
Triumphalis. 18.  
Valeria. 118.  
Vitellia. 120.  
Viarium Curatores. 11.  
Viuarium. 116.  
Vicus Corneliarum. 88.  
Cyprus. 49.  
Iugarius. 31.  
Mamurri. 89.  
Fortuna Respicientis. 37.  
Patricius. 86.  
Padi. 37.  
Sceleratus. 49.  
Thuscus. 32. 71.  
Thurarius. 53.  
Vitrariarum. 63.  
Villa Publica. 95.  
Villa Cæsarum. 114.  
Vrbs Rauenatiū. 110.  
Vrbs Romuli. 3.  
Vrbs Ro. magnitudo. 9.  
Vstirnum. 85.

## VRBIS ROMAE TOPOGRAPHIA.

## DE ORIGINE VRBIS. CAP. PRIMVM.




**Q**VONIAM in hac urbis descriptione de quibusdam locis, & ædificijs ante urbem conditam excitatis, nonnunquam erit dicendum: opere precium fore arbitramur, etiam de illis populis, & regibus, qui tunc deinceps hanc tenuere regionem, quam paucis fieri poterit, loqui. Sic. n. fiet, ut primum à quibus ædificia posita fuerint, melius intelligamus: deinde à quam parvis initijs urbs Roma originem traxerit, ad eamque creuerit magnitudinem, ut nihil illi par, aut secundum, in toto orbe terrarum inueniretur. Romanæ igitur urbis regionem Siculi primi omnium tenuere: antea uero habitata ne fuerit, an deserta, nihil est quod affirmare possimus. Mox Aborigines, duce Oenotro Lycaonis filio, ex Arcadia ad inquisitionem agri melioris sponte huc profecti, illis expulsi, locum occuparunt. Quibus deinde Pelasgi, & aliorum Græcorum quidam errabundi, profugique ex Thessalia, admixti, auxilio eis ad bella cum populis finitimis fuere. Permanserunt autem in his sedibus usque ad bellum troianum, priscam illam Aboriginum appellationem seruantes. Horum autem regem Saturnum fuisse memorant: qui cum Cretæ imperaret, habens cum Ioue filio de agris contentionem, bello expulsus, in Italiã uenit, & cum cultum uinearum, & falcis usum Ianum docuisset, ab eo in partem imperij est admissus. Cæterum Iano defuncto ad eum solum imperium peruenit. Annis deinde sexaginta ante res troianas, fuerunt Arcades ex urbe Palantio exeuntes, sedemque duce Euanthro quærentes, in hunc locum, ubi nunc Roma est, delatos, à Faunorum Aboriginum rege, & benigne susceptos esse, & agri portiones accepisse: illorumque, colle haud procul à Tiberi electo, struxisse castellum, Palantiumque à metropoli eorum in Arcadia appellasse: paucis uero annis interpositis, aliam classem græcã, ducente Hercule, eandem tenuisse regionem: ex hisque quosdam missionem ab eo precatos, in colle, qui tunc Saturnius dicebatur, posuisse sedem. Hos Peloponenses: & qui ex Elide profecti fuerant, Phænetas, & Epios fuisse comperio. Quibus nullum erat amplius desyderium reditus, euersa eorum patria ab ipso Hercule. Hi aliquandiu rem suã separatim administrarunt. Cæterum haud ita multo post uictum, leges, sacra cum Aboriginibus cõferentes, sicuti Arcades, & prius Pelasgi fecerant, ciuitatis eiusdem participes facti sunt. Secunda uero ætate, post Herculis profectionem, Latino ex filia Fauni regnante, Aeneas in Italiã uenit: qui cum statim pralio fuisset exceptus, in aciemque iam exercitum duxisset: ad colloquium à Latino fuit uocatus: in quo tantam sui admirationem præbuit, ut in societatem imperij receptus, Lauiniaque ei in matrimonium data, gener ascitus sit. Hic deinde Aborigines, Troianosque communiter nomine Latinos nominauit. Post hæc utriusque bellum aduersus Turnum Rutulorum regem, propter fraudatas Lauiniæ nuptias, fuit: in quo Turnus, & Latinus occubere. Quare Aeneas soceri regnum suscipiens, quarto imperij sui anno, in bello aduersus Mezentium Etruscorum regem, è uita migravit. In cuius locum Ascanius eius filius succedens, trigésimo anno post Lauiniæ constitutionem, Albam condidit. Anno deinde octauo & trigésimo, eo mortuo, Syluius eius frater, post mortem Aeneæ ex Lauinia natus, imperium accepit, cumque undetriginta imperasset annos, Aeneæ Syluii filio illud reliquit: hic uero post unum & triginta, Latino Syluii: Latinusque post quinquaginta, Alba: qui undetriginta illud tenuit. Post eum Athys quatuor & uiginti regnauit annos: deinceps Capys duodetriginta: inde Capetus tredecim, & Tiberinus postea octo. Huic succedens Agrippa quadraginta regnauit annos: Romulus deinde undetriginta: post hunc triginta & septem Auentinus: qui Proci imperium ipsum per manus tradidit. Hic uiginti & treis imperauit annos, Amuliumque, &

A



Numitorē pcreauit. Amulius duos & quadraginta annos regnū, quod Numitori fratri seniori debebatur, hardiure occupās, Rlxā eius filiā, ne quis uindex regni ex genere Numitoris oriretur, Vestæ sacerdotē fecit, quæ duos pueros incerto stupro conceptos enixa est: quos Amulius exponi iussit. Sed fortuna origini romanæ prospiciens, eos lupæ alendos obtulit: quæ cū sapius ad paruulos, ueluti ad castulos, reuerteretur, rem Faustulus pastor animaduertit, subtractōsque feræ Accæ uxori nutricōs dedit. Nomina autem pueris alteri Remo, alteri Romo sive Romulo fuisse. Adultis inter pastores de uirtute quotidiana certamina uires, & pernicitatem auxere. Igitur cū Latrones à rapina pecorum frequenter summonerent: Remus ab his captus regi offertur, criminique ei datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. Tunc à rege in ultionem Numitori traditur: qui adulescentia iuuenis permotus in suspicionem expositi nepotis adducitur: & cū eum nunc lineamētorum filie similitudo, nunc atas expositionis anxium teneret, Faustulus cum Romulo superuenit: à quo cognita origine puerorum, facta inter ipsos coniuratione, Amulium interficiunt: Numitorique auo regnum restituant. Sequenti uero anno regni Numitoris quadringētesimo trigesimo secundo (ut tradit Cæsar) post illum captum, XII. Cal. Maias Romam, ubi expositi fuerant, condiderunt. Et quanquā, ut de tempore, ita de conditore, mira inter scriptores uarietas existit: communis tamen opinio est, Romulum Martis filium urbis auctorem fuisse. Vnde Cic. Principio inquit, urbis parens Romulus non solum auspicato, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. Romulum autem, non Remū, urbi nomen dedisse ferunt: quia captatis augurijs Remus prior sex uultures uidit: Romulus mox duodecim. Que res, cū unus tempore, alter numero certaret: bellum creauit: in quo extincto Remo, Romulus à se Romam denominauit.

Si hāc figuram, & sequentes, secundum naturalem prospectum attollere uoluissimus: contigisset ut omnibus partibus montium, una excepta, occultatis, ædificia in suo situ locari nō potuissent. Quæ propter cū melius putaremus utilitati omnium esse consulendum, quam inani pictura quosdam oblectare: figuras ipsas planas posuimus: curauimus tamen latera montium secundum illorum altitudinē ita inumbrare, ut cōualles ab ipsis facile distinguantur.



¶ In hac figura, atq; in maiori,  
proprium cuiusque loci situm ibi  
esse intelligo, ubi prima eius dis-  
tinctionis littera collocata est. Neq;  
puto admonendum esse lectore,  
in Divora nominibus templi no-  
men sub intelligi,

Cu. Ro.	Curia Romuli.
Cu. Hosti.	Curia Hostilia.
Carment.	Carmentalis.
D,	Lomus.
F. Ro.	Forum Romanum.
Phe.	Pheretrij.
Ru.	Ruminalis.
S.	Sepulcrum.
Statoris.	S. Louis.

## De urbe Romuli. Cap. II.

**V** Rbis nouæ figuram, quadratam Romulum designasse auc. sunt Plut. & Diony. Sed ut de forma, certa est opinio apud scriptores, ita de ambitu, quibusue terminis finiretur, incerta, & uaria. Liuius enim refert, Romulum montem Palatinum primum, in quo erat educatus, muniuisse, & Gellius, antiquum pomerium eiusdem montis radicibus terminatum: quorū opiniononi recte quadrat, quod ait Cor. Tac. Capitolium, Romanūque forum à Tatío Sabinorum rege urbi additū, cuius uerba sunt hæc. Initium igitur, & quod pomerium Romulus posuerit noscere, haud absurdum reor. Igitur à foro Boario, ubi æreum tauri simulacrum aspicimus: quia id genus animalū aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus: ut magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis spatijs interiecti lapides per ima montis Palatini ad aram Consi: mox ad Curias ueteres, tum ad sacellum Lariū, forūque Romanum, Capitolium, nō à Romulo, sed à T. Tatío additum urbi creditur. Quibus uerbis conijcimus, Tatium deducto muro à saxo Carmentali in occasum, ad uiam quæ nunc haud procul abest à Tiberi: inde ad circi Maximi partem extremā, ubi fuit ara Consi: cōuersoque mox in ortum æstiuum, parū ultra amphitheatrū Titi, hincque ultra forum Neruæ, & tandem ipsum murum cū altero cornu Capitolij coniungentem, Capitolium ipsum, & Palatinum montem inclusisse. Huic tamen opinionioni minime uidetur assentiri Strabo, cū inquit. Prisci nanque Capitolium, collūque Quirinalē sic munire muris: ut uenientibus aliunde exterius facilis foret ascensus: adeo ut T. Tatiū primo aduentans incurso locorum potitus sit, cum raptatum uirginum ulcisceretur iniuriā. Nam si ante Tatij aduentū colles hi muniti fuerunt, non oportuit ab alio, quā à Romulo, munitos esse. Hoc idē innuit Diony. cū inquit. Romulus, & Tatiū urbem statim maiorem effecerunt, duos ei colles alios adijcentes: Quirinum, & Cœliū, separātesque habitationem alter ab altero in proprijs locis utrique uitam agebant: Romulus quidem Palatium occupans, & montem Cœlium palatio propinquum: Tatiū uero Capitolium, quod ab initio cœperat, & Quirinalē rupem. Si igitur ante Sabinorum bellū urbs Romuli cū Palatini montis radicibus terminos habebat: in amplificatione ab ipso Romulo, & Tatío facta, Capitolium a mons propius Palatio, quā Quirinalis, existēs, addi prius fuerat necesse. Adde & illud. Quod ipse mons Palatinus quadratam nō conuulisset formam: qualem fuisse à Ros

A j

mulo positam demonstratum est. Iccirco cum cōstans sit opinio, Carmentalem portam ad radices Capitolij suam, in nova urbe à Romulo cōprehensam: Liuiusque in eiusdem urbis ampliatione post Romulum quid, quòque tempore additum sit commemorans, nullam de Capitolio, tanquam de primæ urbis parte, faciat mentionem, existimamus urbem à Cor. descriptam, T. Tatius falso attributam, Romulus esse monumentum. nec obstat quod idem Liuius dicit, Romulum primum Palatinum, in quo erat educatus, munivisse: in eo. n. uerbo, primum, uim esse hanc opinor, ut munito prius Palatino, urbem condiderit. Seruius autem gram. ait, alios dicere Romulū septem colliculos ab initio inclusisse: alios uelle hos ipsos, qui nūc sunt, à Romulo inclusos, alijs tamen nominibus appellatos, quæ mutata sunt postea: at uerisimile non sit, pastores rebus adhuc angustis tantum campum in tanta hominum paucitate esse complexos, cum Plut. uelit mille domos tantum fuisse: Dionysiusque non plures tribus perditum millibus, & pauciores equitibus trecentis ipsis urbis conditoribus affuisse.

De portis urbis Romuli. Cap. III.

**V**rbem treis portas habēre Romulus reliquit: aut (ut plurimis tradentibus credamus) quatuor, inquit Plin. Sed earum nec nomina, nec locum ponit. Qui uero treis tantū à Romulo relictas fuisse ferunt: eas Carmētalē, Romanā, & Pandanā appellarūt: Carmētalēque à matre Euandri, suā sub Capitolio, inter saxum tarpeium, & Tiberim: & uersus circū Flaminiū, ut inquit Sex. Rufus. Liuius. n. se primo bel. p. n. loquens de uico Iugario clare docet, Carmētalē sub Capitolio fuisse: sed clarius Plut. in uita Camilii: ad Carmētalē, inquit, portā Pōtinus cōtēdit, ut quid ageretur, p. silentiū specularetur: nam huic maxime directo Capitolij incumbit: idē docet Solinus, his uerbis: Pars infima Capitolini mōtis habitaculū Carmēta fuit: ubi & Carmentale fanū nunc est, à qua Carmētalīs portæ nomen est: eodē modo Sex. Pom. qui templū Iani fuisse extra ipsam portam, apud theatrū Marcelli, tradit. Huic aut portæ Sceleratæ postea nomen fuit: quod ea egressi Fabij ad Cremerā, flu. ex lacu attingente syluas, nunc Bacchani nuncupatas, orientem, omnes interfecti sunt: unde idem refert, religioni esse quibusdam porta Carmentali egredi, & in æde Iani senatum haberi: quod & ea porta Fabij egressi essent, & in ea æde. S. C. factum. Romanam autem portam prope Titi amphitheatrum fuisse innuit idem auctor, cum ait, Romana porta instituta est à Romulo in infimo cliuo Viçtoria: qui locus gradibus in quadraturam formatus est. Appellata est autem Romana à Sabinis præcipue, quod ea proximus aditus erat Romam. Sunt tamen qui Mutationem portam ibi extitisse dicunt: et quanquam Varro hanc in Palatio fuisse uult, potuit tamen accidere, quòd Romulus in urbis extensione Romanam denominauerit, quæ deinde à mugitu boum, qui per eam introducebantur, sortita sit nomen portæ Mutationis, relictæ in priori pomerio. Mugionem autem alteram ab hac fuisse significat Sex. Pom. affirmans appellatam à Mugio quodam, qui eidem tuendæ præfuit. Videndum tamen, ne apud Var. Mugionis sit legendū, à mugitu: Mutationis uero apud Sex. Pom. à Mutio eius portæ custode. Pandanæ autem meminit idem Var. nam cū probasset Saturnium oppidum fuisse prope Saturnium mōtem, sic sequitur. Eius uestigia nunc manent tria, quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quam Iunius scribit ibi, quam nunc uocant Pandanam: quæ ultima uerba innuunt, Pandanam fuisse à Romulo constitutam eo in loco, ubi prius in Saturnio oppido fuerat Saturnia. Ex quibus uerbis conuincimus, Pandanā portā non alibi, quā in Velabro suam: sic appellatam, ut scribit Sex. Pom. quia semper pateret. Propterea fortasse noui scriptores Liberā et dixere, quod liberū aditū in urbē iugiter præberet. Qui uero uolūt Romulū quatuor urbis portas reliquisse, quartā, Ianualē nuncupatā, ad radices Viminalis fuisse dicunt. Quò cum Romuli pomerium (ut plerisque placet) non perueniret: hancq. Palatij portam fuisse dicat Var. credimus Romulum treis tantum instituisse portas: qui numerus, in urbe adhuc parua, publico usui satisfacere posse uidebatur. Hanc autem Ianualē ab euentu appellatam scribit Macrobius. eius uerba apposui. Cum bello Sabinorum, quod uirginum raptarum gratia

commissum est, Romani portam, quæ sub radicibus collis Viminalis erat, claudere festinarent: quia in ipsam hostes irruebant: postquam est clausa, mox sponte patefacta est: cumque iterum, ac tertio idem contigisset: armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, custodes steterunt: cumque ex alia parte acerrimo prælio certaretur, subito fama perculit fusos à Tatio nostros: quam ob causam Romani, qui tuebantur, territi profugerunt. cumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex æde Iani per hanc portam, magnam vim torrentium undis scatentibus erupisse, multasque perduellium cateruas, aut exustas feruenti aqua, aut deuoratas rapida uoragine, deperisse. Ea re placitum ut belli tempore, ueluti ad urbis auxilium profecto Deo, fores referarentur. Piso etiam in *annalibus* memoriæ prodidit, Ianualet dictâ ab Iano, & ideo ibi posuim Iani signû, & ius institutû à Pompilio, ut esset semper clausa, nisi cum bellum foret. Sed cum huius dei templa plura fuisse legamus: sciendum, quod non unius modo, sed omnium fores tempore pacis claudebantur: aperiebantur autem, ut uisum est, bello instante. Quo autem nomine hæc porta prius uocaretur, non satis constat.

De uario urbis ambitu, Regum, consulûmq; tempore.

Cap. IIII.

**V**Rbe noua constituta, dum Romulus, quæ ad deorum religionem, hominûmq; iura pertinere uidebantur, curaret: Romani interim alia, atque alia loca appetebant: ut urbs indies amplioribus cresceret munitionibus: cum in spem magis futuræ multitudinis, quàm ad id hominum quod tum erat, munirent. Nam composito Sabinorum bello, & ex duabus una facta ciuitate, etiam hominum copia est aucta. Deind: Tullus rex euerfa Alba, duplicatòque ex illius ruinis ciuium numero, Cæliû urbi addidit, Esquiliasque, auctore Liuiò, auxit. Ex quo conijcimus, aucto numero ciuium, Romanos etiam extra muros in montibus, uallibusque adiacentibus, ac foro proximioribus domos struxisse. Capto deinde Politorio, omni que multitudine Romam traducta, Ancus urbem ampliauit: nouæque multitudini Auentinum concessit. Multis postea Latinis in ciuitatem acceptis, Ianiculum quoque urbi coniunxit, ponte Sublicio tunc primum factò: quiritiûmq; fossam in planioribus urbis circumduxit. Tarquinio autem Prisco, qui urbem muro cingere parauerat, defuncto, eam curam Ser. Tullius suscepit, & Viminalem, Quirinalemque quinque collibus addens, urbis ambitum ampliauit. Sed contra Liuium sentire uidetur Strabo, & Diony. quorum alter dixit, Quirinalem cum Capitolio, ac Palatio ante aduentum T. Tatij fuisse munitum: alter uero eundem Quirinalem, & Cælium ab eodem Romulo, & Tatio urbi additum: ubi intelligas oportet, partem illam Quirinalis tantum esse munitam, quam iunctam Capitolio Traianus deinde, ut forum institueret, complanauit: et in hunc sensum Diony. uerba accipias u. lim, uidelicet, Romulum, & Tatium illorum montiû quasdam particulas addidisse, Tulliûmq; regem maiorem postea ambitum esse cõplexum: id enim Liuius innuere uoluit cum ait, Esquilias auxit: Nam si auxit, ergo pars ipsarû intra urbem fuerat recepta: nulla. n. alia apparet ratio, qua dubium, quod ex uaria auctorum opinione oritur, tollere possimus. Sed ad rem redeamus. Muros urbis rudibus, uilibûsq; structuris ædificatos Tarquinius Superbus primus cepit saxis magnis formatis ad regulam extruere. Ex eo quippe tempore portæ Romuleæ paulatim, & nomen, & usum amisisse uidentur: licet Carmentalis diutius suum retinuerit. Et cõstructio urbis Regum tempore ulterius non processit, non permittente numine, quanquam omnia circum urbem erant habitata. Nam cum antiqui uellent urbis menia, quæ Collinam non excedebant portam, ad Miluium pontem usque producere, Aruspices prohibuere: quia nec licebat in urbe comitia facere, nec milites legere. Hinc Cic. xij. ad Atticum. Sed casu inquit, sermo à Capitone de urbe augenda, à ponte Miluiò: Tiberim duci secundum montes Vaticanos Campum Martium coædificari: illum autem Campum Vaticanum fieri quasi Martium Campum. Hinc constat Campum Martium extra urbem extitisse: si

cui etiam ostendunt uerba Appiani: Ait. n. Syllam ulterius progressum, in eo exercitū, ante urbis portas, statuisse. Quod uero Lilius dicit, Ancum Auentinum nouæ multitudini concessisse, non propterea cum intra pomerium recepiſſet: ſignificat: nam primo decadis quintæ extra urbem fuiſſe oſtendit, ſic inquit. Aediles extra portam Trigemina, in Auentinum porticum ſilice ſtrauerūt: & Gellius extra pomerium: cuius ſunt hæc uerba. Habebat autem ius proferendi pomerij, qui Po. Ro. agro de hoſtibus capto auxerat. Propterea quaſum eſt, ac nunc etiam in quaſtione eſt: quā ob cauſam ex ſeptem montibus, cum cæteri ſex intra pomerium ſint, Auentinus ſolus, quæ pars non lōginqua, nec inſpectu eſt, extra pomerium ſit: neq; id Ser. Tullius rex, neque Sylla, qui proferendi pomerium titulum quaſuit: neq; poſtea D. Iulius, cum pomeriū proferret, intra effatos urbis fines incluſerint. Huius rei Meſſala aliquot cauſas uidere ſcripſit. Sed præter eas omnes ipſe unam probat, quod in eo monte Remus urbis cōdendæ gratia auſpicauerit, auēſq; irritas habuerit, ſuperatusque à Romulo in auſpicio ſit. Idcirco inquit, omnes, qui pomerium protulerunt, montem iſtum excluſerunt: quaſi aubus obſcanis ominoſum. Sed de Auentino monte prætermittendum non putauit: quod non pridem ego in Eliadis grammatici ueteris cōmentario oſfendi: in quo ſcriptum erat, Auentinum antea, ſicuti diximus, extra pomerium excluſum. Poſt auctore D. Claudio receptum, & intra pomerij fines obſeruatiū. Diony. tamen commemorat, Ancum collem hunc modice editum, & in orbem ſtadia. XVIII. fermè complexentem, muro cinxiſſe: cui Gellium non aduerſari, ex uerbis Strabonis ſatis conſtat, qui ait: ne colles adeo muniti, eſſent incumbētia ſuperne tanquam caſtella, eum clauſiſſe: ea puto cauſa, quò multitudo, quam in ipſum capto Politorio traduxerat, ab hoſtili incurſione eſſet tuta: non ut obſeruaretur intra pomerij fines, aut urbis terminos. Ideo non dixit, urbi addidit, ſed muro cinxit. Cum enim eſſet malis auſpicijs ominoſus, non totus habitabatur, ſed uſque ad M. Valerij, & Sp. Virginei conſulatum erat publicus, ac ſyluarum plenus, ut idem Diony. prodidit. Menia autem urbis Regum tempore minorcm, quàm nunc, orbem eſſe complexa, oſtendit idem Strabo, his uerbis. Quem quidem locorum defectum Seruius redarguit: nam ſuppleuit ipſe, adiecto Eſquilino colle, & Viminali. Ea uero loca adueniētibus hoſtibus facile poterāt capi. Quocirca profundiore exterius ducta foſſa, & accepto ſolo ſtad. ſex aggerem porrexerunt ſuper foſſæ ſupercilio interiore, murūque cum turribus è Collina porta uſque ad Eſquilinam impoſuerunt. Aggerem autem, de quo Strabo meminit, Tarquinij fuiſſe, infra oſtendemus. Foſſam uero eam dicit, quam Lilius quiritiū appellat. Si igitur in eo aggere muri cum turribus excitati erant, non dubium eſt, ambitum urbis anguſtiorcm tunc, quàm poſterioribus temporibus fuiſſe: id que clarius oſtendunt uerba illa: è Collina porta uſque ad Eſquilinam. Quod portarum interſtitium ſi nunc fueris dimenſus, non ſex, ſed potius quindecim ſtadiorum eſſe, inuenies. Poſito igitur altero pede circini in foro Romano, quod in urbis maioris figura eſt, ſi alterum ad diētum aggerem extenſum circunduxeris, urbis ueteris ambitum fermè deſcribes: niſi quod ea non omnino orbicularis erat, ſed ut ſequens figura tibi demonſtrat.









per totius urbis circuitum menia dilatata opinamur: uerum ea tantum parte, quæ pro tempore addi magis opportuna, atq; necessaria uidebatur: quod ex Strabone conijcere posse uidemur. Postquam enim demonstrauit Ancum regem Cælium, Auentinumque urbi addidisse, subiūgit. Colles enim adeo munitos extra muros illis permittere, qui incumbentia superne castella cuperent, nequaquam recte se habebat: totum etiam explere circuitum usque ad Quirinalem minime ualuit. Quantum autem ex uarijs rationibus colligere licuit, ante Claudij Imp. tempora à Capena porta, usque ad Collinam, menia sunt ampliata: deinceps ab ipso Claudio, recepto intra pomerium Auentino, translataque porta Trigemina eo, ubi nunc est, usque ad Tiberim. Et sic sequitur, quod ait Plin. Menia urbis suo tempore M. P. XIII. CC. fuisse complexa. Quæ mensura licet hac nostra sit plus minus stadijs X maior, tamen optime cōueniet, si perspexeris, quòd Amphitheatrum Statilij Tauri intra menia erat inclusum. Nam muri (ut ex uestigijs apparet) exterius producebantur, amplioresque, quàm nunc, fines habebant. Quòd autem quidam existiment Vopiscum, quia scribit Aurelianum muros urbis sic ampliasse, ut quinquaginta propè millia eorum ambitus teneret, à Plin. dissentire: mirum quod non animaduertierint: Vespasianum, & Aurelianum non eodem regnauisse tempore, cum CX annis interfuerint. Eo magis ridiculum uidetur: quòd dum hoc dubium tollere conantur: Vopisci uerba peruertunt: & loco, murorum urbis, ambitum Romæ, substituunt: atque ex iureconsultorum definitione aiunt, Plin. per urbem intelligere partem tantum menibus clausam: Vopiscum uero: per Romam, etiam continentiæ ædificia. Sed hanc uerborum inuersionem ut concedamus: quid deinde est, ampliare Romam, secundum istos: Nempe hunc, atque illum locum ædificijs occupare. Verum ea non principis, sed priuatorum cura est. Quare arbitramur Aurelianum propagasse menia, hinc uia Flaminia ad portam nunc Primam appellatam, distantem ab urbe, secundum mensuram antiquam. M. P. VIII. Illinc per urbis directum, & extra portam, Latinam Fiumentanæ oppositam ad totidem millia passus: Quæ utraque milliaria, si simul acceperis, diametrum perficies pas. ad XVI millia: cuius diametri ambitus erit, ut ait Vopiscus, M. P. quinquaginta. Neque tanta urbis amplitudo tibi sit admirationi: siquidem Suet. memoriæ prodidit, Neronem destinaſſe Hostiatenus menia promouere, atque inde fossa mare ueteri urbi inducere. Eutropius etiam scribit Aurelianū ipsum muris ualidioribus, ac laxioribus urbē seſſiſſe: licet, quantum ipsos muros promouerit, non exprimat. Verum quia menia à Barbaris sæpe alicubi sunt aperta, & demolita, posteriores inter instaurandum orbem minorem complexos esse: & quò minori impensa ea instauraret, ad fundamenta antiqua reduxisse, eaq; maiori ex parte super eisdem extare, opinamur. Quam opinionem attigit Strab. hūc in modum locutus. Addamus & illud: quòd qui etiam deinde ædificia quadam ex parte addiderunt, non sane potiora sua in potestate habuere: uerum iactis antea fundamentis seruierunt. Instaurata autem à nonnullis urbis menia nemini dubium est. Magnam uero partem Arcadium, & Honorium restituisse ostendit titulus in tiburtino lapide super portam nūc Ripæ incisus, qui est talis.

S. P. Q. R.

IMPP. CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS PRINCIPIBUS ARCADIO ET HONORIO =  
VICTORIBVS AC TRIVMFATORIBVS SEMPER AVGG.  
OB INSTAVRATOS VRBI AETERNAE MVROS PORTAS AC TVRRES EGESTIS =  
INMENSIS RVDERIBVS EX SVGGESTIONE. V. C. ET INLVSTRIS  
MILITIS ET MAGISTRI VTRIVSQ. MILITIAE STILICHONIS AD PERPETVITA =  
TEM NOMINIS EORVM SIMVLACRA CONSTITVIT  
CVRANTE FL. MACROBIO LONGINIANO. V. C. PRAEF. VRBIS D. N. M. Q. =  
EORVM

Animaduertendum est autem, quòd uersibus illorum titulorum, quos propter nimiam longitudinem unico ordinē, quemadmodum in marmoribus sculpti fuerant, paginae latitudo non capiebat, in fine primi duas uirgulas opposuimus (ut in hoc titulo) quæ indicant sequentem uersum antecedentis reliquum esse



esse. Item quòd si in eisdē titulis aliquid offenderis aliter scriptū, quam nūc in cōmuni sit usu, ne illud, tanquam errorem, emendare cures: quia, ut in hoc volumine scriptum, ita in saxis incisum, inuenitur. Ceterum Claudium pomerium propagasse testatur Cor. Tac. cuius uerba subieci. Pomerium auxit Claudius more prisco quo is, qui protulere imperiū, & terminos propagare datur. Et quos tunc Claudius terminos posuerit facile cognitu, & in publicis actis perscriptum. Quòd pomeriū propagarit, constiat cum ex tabula aenea in Lateranensibasilica sita, cuius rei caput hoc est.

VTI QVE EI FINES POMERII PROFERRE PROMOVERE CVM EX RĒPVBLICA  
CENSEBIT ESSE LICEAT. ITA VTI LICVIT TI. CLAVDIO CAESARI. AVG.  
GERMANICO.

tum ex lapide tiburtino effosso apud cloacam nunc ædis D. Luciae, cuius titulus est huiusmodi.

TI. CLAVDIVS  
DRVSI. F. CAISAR  
AVG. GERMANICVS  
PONT. MAX. TRIB. POT.  
VIII. IMP. XVI. COS. III.  
CENSOR. P. P  
AVCTIS. POPVLI. ROMANI  
FINIBVS. POMERIVM  
AMPLIAIT TERMINAITQ.

Quos uero terminos posuerit, nusquam inueni. Pomerij autē ethymologia traditur a Liuiο sic. Pomeriū, uerbi uim solū inuententes, post meniū interpretatur esse. Est autē magis circa murū locus quē in cōdendis urbibus quondā Hetrusci, quā murū ducturi erant, certis circa terminis inauguratio cōsecrabant: ut neq; interiore parte ædificia menibus continuarentur, & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quòd neque habitari, neque arari fas erat: nō magis quòd post murū esset, quā quòd murus post id, pomeriū Romani appellarunt. Et in urbis incremento semper quantū menia processura erant, tantū termini hi cōsecrati proferrebantur. Hactenus Liuius, cui Vosij. uidetur aduersari. Ait. n. Aurelianū adhibito. S. C. muros urbis dilatauisse, neque tunc quicquam addidisse pomerio, sed postea: cum non liceret nisi ei, qui agri barbarici aliqua parte temp. locupletauisset, pomerium propagare. Verum dicimus Liuium loqui secundum longitudinem. Nam, quoad murorum ampliatorum circumferētiā, necessario auctis menibus pomerium profertur. Vosij. uero etiā secundū latitudinē. Quæ more prisco non augebatur nisi ab eo, qui imperium propagasset. Sed terminos pomerij, non nisi Augurum iussu poni, mutari, aut restitui potuisse, innuit hic titulus.

#### COLLEGIVM

AVGV RV M AVCTORE  
IMP. CAESARE. DIVI  
TRAIANI. PARTHICI. F.  
DIVI. NERVAE. NEPOTE  
TRAIANO. HADRIANO  
AVG. PONT. MAX. TRIB.  
POT. V. COS. III. PROCOS.  
TERMINOS POMERII  
RESTITVENDOS. CVRAVIT

Pomerio autē, ut testatur Var. auspicia urbana finiebātur. Hinc Sex. Pompeius dicit, Posimurum esse pontificale pomerium, ubi pontifices auspicabantur: dictum quasi Pomurum idest proximū muro. At de huius, & urbis ambitu tam uaria est opinio, ut nemo possit singulis quibusque tēporibus proprios fines cognoscere. Hinc Diony. ait. Si quis uelit Romæ magnitudinē exquirere nullum habebit signum certū quo cognoscatur quousq; sit hæc urbs progressa, aut unde esse non amplius urbs incipiat. Descendit, inquit Aristides, hæc usque ad mare, ubi commune emporium, communisque omnium, quæ terra proueniunt, dispensatio. Quacumq; in parte eius urbis constituerit quis, nihil prohibet quo minus sit pariter & in medio: Et mox. Quidquid nūc Italiæ restat completum iri uniuersa mihi uidetur, unāq; futura urbs perpetua in Ionium mare protensa.

De portis generatim. Cap. VI.

Q Vemadmodum ambitus urbis uarios terminos est consecutus, eodem modo & portæ. Quarū nonnullæ in pomerij amplificatione in media urbe remanentes & usum, & nomen amisere. Multæ tamen translata pristinum retinuerūt. Multæ et interpositæ nouū adeptæ sunt. Plin. autē ætate sua XXI III eas fuisse prodidit. Eius uerba sunt hæc. Menia eius collegere ambitu imperatoribus Censoribusque Vespasianis, anno conditæ DCCC XXVII, Pas. XIII. M. CC. Complexa montes

B

septem. Ipsa diuiditur in regiones XIII. Compita Larum CCLXV. eiusdem spatij mensura corrente a milliario in capite Romani foris statuto ad singulas portas. Quæ sunt hodie numero XXIII. ita ut XII portæ semel numerentur, prætereanturque ex ueteribus VII. quæ esse desierunt. Efficit passuū per directū XXX. M.D.CCLXV. Ad extrema uero tectorum cū castris Prætorij ab eodem milliario per uicos omnium uiarū mensura colligit paulo amplius LXX.M.P. Quod si quis altitudinem tectorū addat, dignam profecto æstimationē concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari. Hæc Plin. Cuius uerba, quoniam difficilia sunt, singulatim explicabimus. Quod ambitus urbis M.P.XIII.CC. completeretur, declaratum est. Quod eiusdem mōtes sint septē, ostendit Var. qui Romam septimontiuū esse dicit, & Virg. hoc carmine, Septemque una sibi muro circundedit arces. Injunctaque alia huius rei sunt exempla. In regiones autem XIII fuisse diuisam indicat inscriptio se-

IMP. CAESARI. DIVI  
 TRAIANI. PARTICI. FIL.  
 DIVI NERVAE. NEPOTI  
 TRAIANO HADRIANO  
 AVG. PONTIF. MAXIMO  
 TRIBVNIC. POTEST. XX  
 IMP. II. COS. III. P. P  
 MAGISTRI VICORVM VRBIS  
 REGIONVM, XIII

Carmentalis, quæ & scelerata  
 Romana  
 Pandana  
 Ianualis  
 Flumentana  
 Collatina  
 Collina, quæ & Quirinalis, agonensisq;  
 Viminalis, quæ & Figulnensis  
 Querquetulana  
 Esquilina  
 Neuia

Compita dicta uolunt, ubi uia competunt. Larum addit: quia in compitis anniuersaria sacra fiebant: hinc Ouidius inquit.

Compita grata lari cōpita grata cani. Ipsi attributus erat dies Compitaliorum appellatus: qui quotannis concipiebatur auctore Var. Mensura corrente. Hic Plin. milliariū aureū intelligit, de quo suo loco dicemus. Ut autē intelligamus, quod ait esse hodie XXIII portas, necesse est omnia nomina portarum, apud uarios auctores reperta, recensere. Quæ sunt hæc,

Cælimontana	Ratumena
Gabiusa	Saginalis
Ferentina	Labicana
Capena	Rauduscula
Trigemina	Lauernalis
Naualis	Salutaris
Aurelia	Piacularis
Fontinalis	Catularia
Triumphalis	Munutia
Romanula	Mugiona
Mutionis	Stercoraria

Ex dicta autem portarū summa si septem, quæ Plin. temporibus esse desierāt (Quarum quatuor sunt urbis Romuleæ, & duæ Palatij) insuperq; & stercoreariā Cliui Capitolini, ac Triumphalem extra urbem suam, subduxeris: reliquæ erunt XXIII. Vellem autē eos, qui XXXVII substituere, illarū apposuisset nomina. Ratio.n. illa, quod in antiquis exemplaribus ita scriptū sit, satis friuola uidetur. Nam in numerorū scriptura facilis est libroriorū lapsus. Neq; uero difficile erit & XXXVII, & XII. quas semel esse numerandas dicit Plin. inuenire, si quis ad nostrā portarū summā addiderit: Veientanā, Tiburtinā, Prænestinam, Valeriā, Ardeatinā, Flaminīā, Salarīam, Numentanam, Appiam, Ostiensē, Portuensē, & quasdam alias, à Nouis scriptoribus traditas. Sed ista omnia uiarū uocabula sunt: portarū.n. nusquam apud idoneos auctores esse legi: licet & Procopius, improprie tamen, Collatinam, Pincianā: Collinam, Salarīā: Esquilinam, Prænestinā: Aureliam, Pancratianā: & Ammianus Trigeminā, Ostiensis nomine appellarint. Romanulā autē, ac Mutionem Palatij fuisse portas asserit Var. his uerbis. Laurentia ab Acca Larentia: huius sacrificiū fit in Velabro, qua in Nouam uiam exitur, ut aiunt quidam, ad sepulcrum Accæ, qui locus extra urbem antiquam fuit, nō longe à porta

Romanula. Et alibi sic inquit. Intra muros uideo portas dici, in Palatio Mutionis, à mugitu, quòd ea pecus in Bucinatum antiquum oppidum exigebant. Alteram Romanulam, quæ dicta est à Roma, quæ habet gradus in Naualia ad Volupia Sacellū. Labicana autem portæ meminit Plin. Ferentina Plut. Cæterarū uero Sex. Pom. Etymologia autem quatuor portarum urbis Romuli posita est. Quindecim uero, quæ nunc extare dicuntur, cum Triumphali extra pomeriū sita, mox ordine satis perspicuo iras detur. Illarum autem, quorū locus ignoratur, etymologiam hic ponere, superuacaneum esse arbitramur. Animaduertendū tamen apud prædictum auctore sanqualis pro Saginalis: & Anci pro Sangi legi: idque ex alio loco conijcimus, ubi sic inquit. Propter uia fit sacrificium, quod est proficiscenai gratia Herculi, aut Sango, qui. s. idē est deus. Alij profecturi uia Herculi, aut Iano sacrificabant. Esi & Ianus, secundum aliquos, Sabina lingua Sangus: de quo Plin. ait, Lanam cum colo, & fufo Tanquilis, quæ eadem Caia Cæcilia uocata est, in templo Sangi durasse prodente se auctore M. Var. Sed ad reliqua Plin. uerba reuertamur. Efficit, inquit, passū per directū XXX. M. D CCLXV. intellige urbis, ius burbiūque diametrum: Quem si ulterius ad omniū tectorum extrema produxeris, castrāque Prætoria eris amplexatus, eiusdem diametri longitudo erit, M. P. LXX. Vteruis autem horum diametrorū numerus ternarium multiplicet, suum quisque ambitum efficiet.

De situ urbis. Cap. VII.

**Q**uoniam ualles, locaque depressa, propter amplissimos fornices superædificatos, ita montibus æquata sunt: ut nonnullorū montiū discrimen uix agnosci possit, pauca quædam erunt percurrenda, quòd ipsorum diuisio facile percipiatur. Viminalis igitur (ut ab eo cuius fines indiscreti maxime sunt initium faciamus) uico Patricio, deinceps uia, quæ secus Dioclitiani thermas ad portam Querquetulanam tendit, ab Esquilis diuiditur: à Quirinali uero plana Suburra, & ualle Quirinali, ac uia quæ ab eadem ualle ad portā Viminalē recta progreditur. Quirinalis uero à latere læuo pila Tiburtina, & sequenti ualle à colle Hortulorum separatur. Aliqui tamen uolunt (quorū opinio est probabilior) uiam ad portam Collatinam ducentem, esse utriusque collis terminū. Esquilias autē uia Labicana à Cælio: Cælium uero à Cæliolo uallis, quam perfluit Riuus, qui nunc Appj dicitur: ambos denique ab Auentino, uia Appia disternit. Mons Ianiculus non ea tantum parte, quæ nunc menibus inclusa ē, continetur: nam ad eadem. S. spiritus, atque ad uallem, qua laterum Fornaces hodie sunt, usque pertinet. Ab ea postmodum ualle montes Vaticani ad pontem Miluium usque protenduntur: inter quos, & Tiberim iacens campus montium nomine Vaticanus appellatur. Reliquorū montium discrimina sequenti figura notiora sunt, quàm expositione egeant. Si quis autem eorundem montium, & conuallium, totiusue ambitus urbis longitudinem, ac latitudinem scire desiderat, ex eadem figura deprehendet: dummodo non ignoret. st. stadium. p. passum in ea significare: & mensurā, quæ eidem subiecta est, octo stadiorum spatium referre: singulaque stadia pas. CXXV. pas. pedes. V. pes digitos. XVI. siue uncias. XII. continere. Itaque iuxta hanc rationem deprehendet, totum ambitū, qui nunc menibus septus est, pas. XII. M. & quingentos ferme amplecti.

Sed licet suum urbis dimensi fuerimus mensura pedis antiqui, quam in marmore incisam aliquot in locis inuenimus, tamen quia deinde in æde XII Apostolorum uidimus in suprema parte columnæ insculptum. ωδωv. θ. hoc est pedum nouem, cuius columna longitudo in nouem partes diuisa cum efficiat mensuram parum ampliorem ea nostra, quam diximus, ueremur ne huius uarietatis causa fuerit, quòd temporis uetustate marmora detrita sunt, uel ne in diuersis artibus, uel temporibus, mensura uariarit: igitur utriusque exemplum hic posuimus.

B ij




Quae locorum angustia omittere fuit necesse, et descriptis facile intelliges

A.	Arcus.	I.O.M.	Iouis opt. Mar.	V.	Vicus. VI.
Am.	Amphitheatrum.	Later.	Lateranensium.		
Aq.	Aqua.	Mar.	Marcelli.		
Aes.	Aesculapij.	Mec.	Mecoenatis.		
Aquil.	Aequimella.	Nau.	Naumachiae.		
B.	Basilica.	Ob.	Obeliscus.		
Bal.	Balnea.	Olym.	Olympiadis.		
Bu. Cal.	Busta Callica.	P.	Posta.		
C.	Circus.	Pr.	Prata.		
Cl.	Clivus.	Pa.	Palatium.		
Cu.	Curia.	Por.	Porticus.		
Cem.	Campus.	Ph.	Fidiae.		
Cap.	Capitolium.	Prax.	Praxitellae.		
Car.	Carcere.	S.	Sepulcrum.		
Col.	Columna.	Sp.	Spelunca.		
Const.	Constantini.	Septis.	Septisium.		
D.	Domus.	T.	Theatrum.		
F.	Forum.	Tb.	Thermae.		
In.	Iunonis.	Tonantis.	Isidis.		



Hæc mensura habita proportionem figuræ Urbis. continet stadia octo.









De Portis nunc extantibus: ac primo de Flumentana.  
Cap. VIII.

**V**ario urbis ambitum ostenso, atque antiquarum portarum nominibus generatim connumeratis, de portis nunc extantibus, deque earum etymologia locus postulat ut loquamur. Porta Flumentana, sic appellata, ut Sex. Pom. placet, quod Tiberis ea fluxisse affirmarent: non eo loco erat, quo nunc est porta, quæ Populi dicitur: alioquin Campus Martius intra pomerium fuisset inclusus: quod nemo mediocriter eruditus asserere audebit. Erat igitur ad Tiberis ripam, eregione murorum quos Ancus rex in Lenculo extruxerat. Quod innuit titulus ille, de ampliacione pomerij à Claudio, superius adductus, & Lilius his uerbis. Tiberis infestiore, quam priore, impetu illatus urbi, duos pontes, ædificia multa, maxime circa portam Flumentanam, euertit. Ad hanc portam lucum Petilinū fuisse, Lilius sic testatur. Ita prædicta due in Petilinum lucum extra portam Flumentanam, unde conspectus in Capitolium non est, concilium populi indicitum.

Post Flumentanam proximo loco est Collatina, cui à Collatia oppido, in quod aliarum ciuitatū opes fuisse collatæ nomen inditum esse, scribit Sex. Pom. de ea Lilius. Collatia, & quidquid circa illam agri erat, Sabinis ademptum. Seruat quoque ætas nostra morem appellandi in Collatia quidquid eregione eius portæ habet ager Romanus. Qui uero extra antiquam urbem Flumentanam, & hanc positam esse aiunt, menia, in quibus nunc est, à Belisario condita fuisse putant. Nos uero in ea sententia non sumus: sed ab eo fuisse instaurata, quæ multo tempore antea posita erant: menibusque à Collatina porta ampliatis, Collatinam eisdem additam, uel certe ex antiquo pomerio cum Flumentana eò, ubi nunc est, translata, Pincianamque, sicuti nunc, cœpisse appellari, à proximo Pincij senatoris palatio. Aliter enim quomodo Procopius, qui tempore eiusdem Belisarii bello Gotthico interfuit, Pincianam nominauisset, ni prius menia fuissent aucta: portæque ab eodem palatio prope extante nomen obtinuisset: aut quo modo Sex. Pom. qui ante Belisarium uixit, etymologiam tradere potuisset eius portæ, quæ secunda istorum opinionem, nondum erat.

Quirinalis tertia à Flumentana eo nomine dicta est, quod ea in collem Quirinalem iretur, siue quod proxime esset Quirini sacellum, ut refert Sex. Pom. Eadem Agonalis est dicta, eodem auctore: sic. n. inquit. Agonia, sacrificia, quæ fiebant in monte: hinc Romæ mons Quirinalis Agonis, & Collina porta Agonensis. Quam eo nomine appellatam esse dicit, quod inuadato circo Flamini agonales lud di qui in eo celebrabantur, extra ipsam portarentur: ludosque ipsos ideo agonales esse dictos, quia locus in quo initio facti sunt, fuerit sine angulo. Constat igitur, hanc portam apud priscos, hæc duo nomina obtinuisset. Ex quirinali autem in Collinam à collium uarietate nomen mutauisse uult Varro. Nunc porta Salaria dicitur, à uia: sic dicta, quod ea Sabini sal deferebant. Sed quod hæc priscis temporibus uia Salaria diceretur, ex eo constat: quod nulla alia est rectior euntibus in Sabinos: nam uia Flumentana in eam incidit. Huius etiam rei testis est titulus incusus in altero latere pontis Narsæ, in eadem uia, qui cum pontem uia Saliariæ esse testatur. Et Cor. Tac. ingressum militum Vitellij imp. in urbem describens aperte ostendit, Collinam portam esse initium uia Saliariæ: sic. n. ait. Tertiū agmen per Salariam Collinæ portæ appropinquabat. Per hanc portam memorant Callos Senones urbem ingressos, eamque populos esse.

Viminalis Quirinali succedit, eiusdem nominis cum monte, in quo extat: ab eoque denominata est. Regū autem tempore in aggere Tarquinij fuisse ait Strabo, his uerbis. In aggere autem medio tertia est porta eiusdem nominis cum colle Viminali. Tertiam autem dicit, quia Flumentana, & Collina ipsam in ordine præcederet: Collatina enim tunc non erat: quæ postea in urbis amplificatione fuit interposita. Viminali portæ nunc. S. Agnetis nomen est.

Quintam, quæ nunc clausa est, licet nostræ ætatis plerique omnes Interaggerem uocarint, tamen eius nominis nullam probabilem rationem ostēdisse uidentur. Nec enim ab aggere Tarquinij quam lōgis

sim: ab ea posito, hoc nomen obtinuisse credendum est. Nam in angustiori ambitu urbis in medio eius aggeris sua erat Viminalis, ut modo dictum est. Quare hanc illam esse portam crediderim, quā Plin. Querquetulanam appellat: cuius uerba hæc sunt. Lucus fageus fuit, portæque Querquetulana: in colle in quem uimina petebantur. Si igitur in Viminali colle erat uiminum sylua, à qua collis est denominatus: & eius latitudo, relicto ambitu Viuarj paulo plus stadijs tribus perficitur (Nā muri prius extendebantur ferè recta à porta nunc. S. Agnetis ad hanc ipsam clausam, ut fundamenta ostēdunt) absurdum est dicere tam breui spatio portam, quæ interaggerem uocaretur, locū obtinuisse inter Viminalem, & Querquetulanam: quarum alteram Strabo: alteram uero Plin. in eodem Viminali fuisse affirmāt. Aliqui aut uolunt, Querquetulanam in monte Cælio stetisse: quoniam Cor. Tac. scribit, montem istum Querquetulanum prius uocitatum: Et Sex. Pom. ait, Nymphas Querquetulanas appellatas præsidentes Querqueto, quod genus syluæ erat intra portam, quæ ab eo dicta sit Querquetulana. Vtunque hoc habeat, illud affirmare possum: apud scriptorē aliquem antiquum nō inueniri portam, quæ Interaggerem nominaretur.

Subit porta nunc. S. Laurentij, prisco nomine Esquilina dicta. Hanc nonnulli Tiburtinā, non Esquilinā eē cōtendūt: aiuntq; Strabonem scribere, in cāpo Exquilinio duas fuisse portas: Tiburtinā, & Esquilinā: Esquilināq; inter Neuiā portā, & nunc. S. Laurentij positam, tunc fuisse clausam. Sed ego neque Strabonem, neque quenquam priscorum inuenio, portam Tiburtinam nominauisse: Neque uerisimile sit, Strabonē Esquilinam portam clausam affirmasse, cū Cic. qui eadem ætate fuit, Cælimontanam, Esquilināque inuicem prope suas, apertāque fuisse ostēdat. Ciceronis uerba hæc sunt. Cū ego Cælimontana porta introisse dixissem, responsione me inimica Esquilina introisse homo promississimus lacessiuit. Quod autem Liuius non semel ait, castra inter Esquilinam, Collināque posita, non est quod intelligas Ciceroni aduersari: intèrque eas portas, Querquetulanam, Viminalēque non positas fuisse.

Transamus ad Neuiam, hodie portam Maiorem appellatam: cui Neuij cuiusdam sylua, quæ in illis fuerat locis, fecit nomen: ut testatur Var. & Sex. Pom. Hanc nonnulli arbitrantur eandem esse cum Labicana. Neuia autem sit, quæ Maior nunc dicitur, mox considerabimus. Hanc sequitur porta, nūc. S. Ioannis nuncupata, olim uero Cælimontana: à monte in cuius margine est sita. Quam L. Cornelio, & Q. Minutio Cos. tactam de cælo narrat Liuius. Asinariam aliqui appellauere: sed nusquam scriptū inuenire ē apud idoneos scriptores, quod ulla porta hoc nomine uocet. Viæ aut Asinaria mentionem facit Sex. Pom. Quam inter Ardeatinam, Latināq; fuisse, sic ostendit. Cato in ea, quā scribit cū edisertauit Fuluij Nobilioris censuram, significat aquam eo nomine, quæ est supra uiam Ardeatinam inter lapidem secundum, & tertium: qua irrigantur horti infra uiam Ardeatinam, & Asinariam, usq; ad Latinam. Cum igitur Ardeatina esset inter uiam Ostiensem, & Appiā: & post Appiā sequeretur Latina, oportuit inter has Asinariam positam esse. Ex quo patet portam nunc. S. Ioannis, uiamque ab ea inchoantem, nullo modo esse Asinariam. Sed portā esse Cælimontanam illud etiam est argumento: Quod mons ipse nullam aliam, præter hanc, habet portam. Verum huius, & quarundam prædictarum ordo ex uerbis Liuij facillime apparebit: ideōq; ea hic apposimus. Porſenna inquit, primo conatu repulsus, consilijs ab oppugnanda urbe ad obsidendam uersis, præsidio in Ianiculo locato, ipse in plano, ripisque Tiberis castra posuit: nauibus undique accitis, & ad custodiam, ne quid frumenti Romam subuehi sinerent, & ut prædatum milites trans flumen per occasiones alijs, atque alijs locis trañcerent. Breuique adeo infestum omnem agrum Romanum reddidit, ut non cetera solum ex agris, sed pecus quoque omne, in urbem compelleretur, nec quisquam extra portas propellere auderet. Hoc tantū licentiæ Hetruscis, non metu magis, quā consilio, concessum. Namque Valerius Cos. intentus in occasionem multos simul, & effusos improuisos adoriēdi: in paruis rebus negligens ultor, grauem se ad maiora uindicem seruabat. Itaque, ut eliceret prædatores, edicit suis postero die frequentes porta Esquilina, quæ auersissima ab hoste erat, expellerent pecus: scituros

id hostes ratus : quòd in obsidione, & fame seruitia infida transfugerent. Et scire perfugæ inditio, multòque plures, ut in spem uniuersæ prædæ, flumen traiciunt. P.Valerius inde T. Herminium cum modicis copijs ad Il. lapidem, Gabina uia, occultum confidere iubet. Sp. Largum cum expedita iuuentute ad portam Collinā stare : donec hostis prætereat : inde se obijcere, ne sit ad flumen rediuis. Cos. alter T. Lucretius porta Neuia cum aliquot manipulis militum egressus. Ipse Cælimontana delectas cohortes educit : hique primi apparuere hosti. Hactenus Livius. Quibus uerbis constare puto, Neuiam inter Esquilinam, & Cælimontanam locum habuisse. Collinamque, ut etiam supra ostendimus, esse, nunc Salariam dictam. Flumentanæ autem non meminit : quia licet Hetrusci recta per Campum Martium transire potuissent, tamen quia inter urbis menia, abruptòsque montes erat iter, ne in alijs quod inciderent periculum, & quò propinquiore à nauibus cursu ferretur in pecus, ad eum ferè Tiberis locum deuenire, qui medius est inter pontem Miluium, & Anienis ostia. Quare non oportuit ad portam Flumentanam milites locare. De Viminali puto non meminisse, quia alijs portis fuerat satis, & struere insidias, & exponere pecus, ac turmas, præsidiaque emittere. Sed ad reliquas tandem ueniamus.

Post Cælimontanam autem occurrit in angulo murorum, sub Cæliolo, porta nunc clausa, per quam ingreditur riuus hodie Appij dictus. Hanc portam Gabiusam (quam tactam de cælo commemorat Livius) plerique omnes fuisse arbitrantur : sicq; dictam, quòd iter aperiret in Gabios : cuius oppidum diu demoliti loco, Gallicanum quod hodie uocant, successit.

Sequitur in Cæliolo Latina, quæ quòd in Latium mitteret, obtinuit nomen : idque immutatum etiā nunc manet. Et quanq; mille ab hinc annos hoc uocetur nomine, non tamen apud idoneos auctores de ea est mentio. Verum cum Strabo in uia Latina Ferentium urbem fuisse asserat : crediderim portam hæc eā esse, quæ Plut. Ferentinā nominauit. Nā Romulus inquit, expiationibus ciuitates expurgauit, quas adhuc etiam Ferentinam ad portam obseruari tradit. Sic uero appellatam opinamur : quòd iter ea esset, qui ad Ferentinos Hernicorumque populos proficiscerentur.

Post Latinam paruo intervallo se se offert Capena : cuius etymologiam ostendit Solinus. Scribit. n. Italum regem ex Sicilia cum Syracusanis ad Ianum uenisse, ac eius consilio, auxiliòque ciuitatē iuxta Albam condidisse Capenam nomine, & ab ea postmodum Capenam portam denominatam. Ser. uero Gram. aliam ponit etymologiam. Nam super eo Virgilij loco. Lucòsque capenos : ait. Vnde (hoc ē à capenis lucis) & porta Capena, quæ iuxta Camænas est nomen accepit. Asconius Pedianus etiam scribit, extra hanc portam lucum, & ad eam Camænarum fuisse. Proptereaq; portā Camænam à nonnullis olim fuisse appellatam. Hanc in uia Appia esse ostendit Frontinus, Commemorans Appium uiam à porta Capena Capuam usq; muniendam curauisse. Cum autem uia in qua est Septizonium Sæueri tendēs ad portam. S. Sebastiani, uia Appia à Spartiano uocetur, Ciceroque in eadem templū Martis, quod fuit extra Capenam, esse dicat, non est q. dubitari possit, portam in uia Appia existentem, non esse Capenam. Quam madidam appellauit Iuuenalis : quia inter cæteras portas depresso esset loco. Sunt qui propter aquæ ductum ante ipsam deriuatum, madidam dictam uelint. At Cicero priorē opinionem comprobare uidetur, cum ad Q. Fratrem inquit. Romæ, & maxime Appia, ad Martis mira proluuiēs. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ, magna uis aquæ usque ad piscinam publicam. Si quis aquæ ductus Appiæ causa madidam appellatam esse cōtendat, propter illud Mar. Capena grandi qua pluit guta : nō uideo cur idem alias portas non etiam madidas appellet, super quibus aquarum ductus, & tunc erant, & adhuc etiam extant. Neq; desunt, qui à fontium ubertate Fontinalis huic portæ nomen ascribant. Sed de Fontinali inferius erit disceptandum. Est aut capena quæ hodie. S. Sebastiani nūcupat. Restat ultimo loco citra Tiberim, Trigemina : denominata, quòd ea contra Curiatios Trigemini Horatij egressi sint. Nam etsi in castris tunc erant, existimandum tamen est, quòd ex ijs prius Romam redierint, quàm contra eos proficiscerentur. Hanc autem portam prope templum nunc Scholam Græcam nuncupatum, atque ad Auentini radices fuisse, facit ut credamus,



dā quod Liuius ait, Aediles extra ipsam in Auērinū porticū strauisse : eodēque in loco Trigeminā fuisse innuit, cū bello punico secundo incēdiū inter Salinas, & portā Carmētalē describit. Quod incēdium omnia ædificia, quæ erant in uico Iugario sub Capitolio, cōprehendit, Aequimeliūque, iacēs inter rupē Tarpeiā, & Velabrum: mox extra Carmentalē portā p ripam Tiberis in Fortunā, ac Martiæ templā debacchatū ē. Nā Salinæ, ut suo loco ostēdemus, in eadē ripa erant, infra templū nūc D. Stephano cōsecratū. Huius autē portæ locū innuit et Frōtinus, his uerbis. Ductus aquæ Appiæ hēt lōgitudinē à capite usq; ad Salinas : qui locus est ad portā Trigeminā. Et alibi. Cacus habitauit locum, ubi Salinæ nomen, & ubi Trigemina porta: & cū dicat, Riuum dictæ aquæ eductum eē in Naumachia nā : qui locus parū distat à Tiberi : nō dubiū ē Trigeminā portā fuisse, quo loco demonstratū ē. Recepto autē Auentino intra pomeriū ad radices eiusdē montis, ubi primū ingrederis planiciē Testaci, translata ē. hūc locū indicare uidet Liuius in bello mac. dicens, Aediles alterā porticū extra portā Trigeminā, inter Lignarios, fecisse. Lignarios. n. in eadē planicie habitauisse, infra ostēdemus. Et Plin. scribit, extra hanc portā Po. Ro. statuam posuisse Minutio Augurino, qui ad assem precium farris redegerat : unde uidetur Po. Ro. ad Horrea publica, quæ ibidem fuerant, eam statuisse. Tandem dilatatis tertio urbis menibus eō, ubi nunc est, translata fuit. Quæ Porta. S. Pauli nunc dicitur.

In Ianiculum tandem transeuntes, uideamus de porta, quæ haud procul à Tiberi est, & porta Ripæ nunc uocatur. Hanc pleriq; omnes portuensem, quod ad portum à Claudio imp. extructum ducat, appellarunt. Sed quod nomen prius obtineret, ignorare uidentur. Nos uero Naualis obtinuisse affirmamus : quoniam de hac Sex. Pom. sic meminit. Naualis porta à uicina Naualium dicta. Quibus cum nulla alia sit propior, Naualem esse nemini dubium esse debet.

Secundam portam Ianiculi, nunc. S. Pancracij, Aureliā dictā uolunt: ab Aurelio uiro consulari, uel ab Aurelio imp. uel à uia Aurelia, quod est uerisimilius : Siquidem supra ostendimus nomina uiarum per abusionē ferē omnibus portis esse attributa. Aliqui uero aiunt uiam ipsam à porta nomen accepisse. Quo autem nomine apud priscos uocaretur, non satis constat. Apud Procopium autē legimus sepulcrū Hadriani extra portā Aureliam iactu lapidis impositum, & ne à Belisario occuparetur, Romanos utrinque deducto muro illud inclusisse, eo modo ut esset eidē portæ tanq; propugnaculum. Quibus uerbis conijcimus, Pancratianā non fuisse Aureliam : hancq; sub ipso sepulcro in ripa Tiberis uiam. Dubium est autē à quo nomen adepta sit : nam ab Aurelio uiro consulari non potest accepisse, quia huius temporibus eouq; menia non extendebantur, neq; pons fuerat posuit, per quem ad ipsam transitus esset. Egitur uidetur ab Aurelio imp. denominationē accepisse: qui forte eam excitauit, ne per pontem hostibus in campum Martiū eēt transiurus : ni manus Aurelianū eā tunc posuisse, cū urbis ambitū propugnauit. Quāq; ab eo, Aureliana nomen erat deriuādū. Si aut uolumus, Pancratianā ab Aurelio Cos. prius Aureliam nuncupatā, dicemus substituto nomine Pancratiana, priori iā abolito, ab altero dictorū imperatorū, huic apud sepulcrum Hadriani sita, Aureliæ nomen inditum esse. At nisi in codice græco bibliothecæ Vaticanæ legissem duobus in locis ἀυρηλιᾶς ἢ Ἡλῖᾶ legendū putarem, ab Hælio Hadriano, qui eā extruxerit, uel ea ratione, quā diximus, uel ad ornatum, aditūmque eiusdem sepulcri.

Tertiæ portæ Ianiculi i ordine oīum ultimæ, Septimianæ fuit nomē, idq; et nūc seruat. Quod à Septimio Imp. referūt accepisse: quæ Spar. ait, ipsum excitauisse thermas in Ianiculo ad portā sui noīs. Affirmat insuper i ipsius portæ frōtispicio Septimij nomē inscriptū, ibiq; Ianū Septimianū septimianāq; arā fuisse, ac prisco noīe fontinalē nūcupatā. i. deabus fontium sacra. De hac Sex. Pom. ita meminit. Fontinalia fontium sacra : unde & Romæ Fontinalis porta : et Liuius ita. Aediles alterā porticū ad portā Fontinalē, ad Martis Arā, qua in cāpos iter eēt, pduxere. Qui aut uolūt Capenā Fontinalē esse, exponūt. In cāpos: ubi pugnarūt Trigemini: qui cū ualde ab urbe distarēt, pbabilior ē rō, ut de Vaticanis intelligamus, ex eo q; Plin. scribit, Vitelliū. CC. sextertijs cōdidisse patinā, cui faciendæ fornax in cāpis exadificata erat: uidemūsq; in Vaticanis et nūc fornaces, multāq; argillā ad fistilia cōficienda aptā : quod eē nō cōstat in Cāpis Trigeminorū. Præterea crebrior ē mētio de Vaticanis. Idē auctor, Praxitelus inquit, Ionē fecit eburneum in Metelli æde, quæ Cāpus petiit. Cic. Cāpū Vaticanū fieri quasi Martium

C

*Campum.* Insuper Liuius primo & tertio ab urbe condita, de Capena: quinto uero de bel. mac. de Fontinali ita loquitur, ut diuersas esse intelligam.

Urbis portis tandē descriptis, portæ et triumphalis, licet extra pomerium eēt, operæ pretiū fuerit locū ostēdere. Pontē igit, cuius pilarū fundamēta infra pontē Hæliū cernuntur: & Portā, cuius uestigia ad intimā Tiberis ripā olim extabāt: Viāq; ad Cæs. obeliscū protensam, triumphali nomine appellatam esse, nonnulli opinātur: Quoniā Iosephus Vespasiani, & Titi triumphū describens, ait ipsos non in Palatio maiori, sed in Isidis tēplo nocte quiescisse, trāsuiſſeq; ad Octauianas ambulationes: uotisq; rite celebratis recessisse ad portā, quæ ab eo, quod per illā semper triumphorū fōra ducere, nomen accepit. Quibus uerbis cōstat, Capenā nō eē eādē, quæ Triumphalis. Nam ambulationes Aug. fuerunt ad Mausoleum. Fit igitur uerisimile hinc per portam, & pontem triumphalem eō profectum esse, ubi nunc est hospitale. S. Spiritus. Suet. cōmemorat quosdam Senatores censuisse Augusti funus porta Triumphali ducendum.

#### De Menibus urbis. Cap. IX.

**M**enia urbis nunc extantia nō eē antiqua, sicuti nulli est dubium, ita multis argumentis apparet. Legimus. n. partim Belisariū, partim uero nonnullos Pōtīfices ea instaurauisse: unde uariā formā obtinuisse uidentur: sicut & portæ uariam latitudinem. Præterea menia hæc lateritia, illa uero ex saxo fuerant quadrato, ut Liuius significat, & Cassiodorus. Qui scribit Theodoricum regem Ostrogothorū Romā tunc tenentē. S. P. Q. R. cupienti menia partim à Visogothis aperta, partim uetustate collapsa instaurare, petentiq; in ipsa instauracione saxa amphitheatrici iacencia, cōcessisse.

### LIBER SECVNDVS.

#### De Capitolio Cap. Primum.



Voniam superiori libro urbis sumum, uariūque eius ambitum descripsimus, murisque, ac portis sumus complexi: reliquum est ut quid, quoue tempore, à quibus singulis in locis ædificatum sit, indicemus. Incipiamus igitur à Capitolio, cuius uaria nomina ita refert Var. Sunt & nomina tot montibus, quos postea urbs muris comprehendit: è quibus Capitoliū: dictū, quod hic, cū fundamenta foderētur ædis Iouis, caput hominis inuētū dicūt. Hic mons antea Tarpeius dictus, à uirgine uestali Tarpeia: quæ ibi à Sabinis necata armis, & sepulta: cuius nominis monimētū relictū: quod ē nūc eius rupes, Tarpeiū appellat saxū: hūc antea mōtē Saturnium appellatum prodiderunt. Eam autē d: nominationē à Saturno, qui mōtē ipsum incoluit, accepisse, nemini est dubiū: & Virgilius de Ianiculo, & Capitolio loquēs innuit, his uersibus.

Hæc Ianus pater, hæc Saturnus cōdidit urbē:

Ianiculūque illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Saturniā fuisse ubi antiqua Roma, Ianiculūque in parte eius, testatur Plin. Et Solinus portā Castelli, quod Herculis comites excitauerunt, Saturniam appellatā eē tradit. Hunc autē montem muris sep̄tū fuisse ostēdit Liuius, cōmemorās Tarquinium Priscū bello Sabinorum Capitolium se ædificaturum uouisse: & cū iactis fundamentis obijſſet diē, Superbū capta Pomeria ex spolys hostiū absoluisse. Eo autē pulso Horatius Puluillus consecrationem deinde obijt. Tunc ex saxo quadrato fuisse legimus: uestigiūque hoc idem ostendunt: & nos ex eiusdem Capitolij fundamentis saxa tantæ magnitudinis erui uidimus: ut uere dixerit Plin. Sed tunc Senes aggeris uastum spatium, & substructiones insanas Capitolij mirabantur. Limina Capitolij ænea fuisse Cn. & Q. Ogurnio Aed. Cur. Tegulas æreas Catulus inaurauit: quas Honorius Pont. ad ædem diui Petri tegendam transtulit, ubi nonnullæ adhuc ē cernuntur. Capitolij turres plurimas habuisse innuit Cic. in Catilinā: quæ nonnullas de cælo tactas fuisse cōmemorat. Per Mariana bella Scipione, & Norbano Coss. igni direptum est: refecit Sylla: dedicauit Cæstus: cuius nomen (ut prodidit Plut.) inter tanta Cæsaris opera usq; ad Vitellium mansu: quoniam nimmo in eo loco, ubi hodie est pub. Salis receptaculum, adhuc manet. Nam legimus.

Q. LVTATIVM. Q. F. Q. CATVLVM COSS. SVBSTRVCTIONEM  
ET TABVLARIVM DE SVO FACIENDVM COERAVISSE.

Arfit iñ Vitellião bello, ut scribit Cor. Tac. Quod instaurauisse Vespasianũ, asserit Suet. his uerbis, Re-  
stitutionẽ aut Capitoli aggressus rudetibus purgandis manus primus admouit, ac suo collo quãdam  
extulit. Tercio cũ in Vespasiani morte igni consumptum esset, restitutionis curã Domitianus suscepit,  
ut idẽ auctor sic testatur: Plurima, & amplissima opera absumpta restituit, in quẽs & Capitoliũ, quod  
rursus arserat: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. Cuius instau-  
rationis impensã. X I I. M. talentorum exceísse dicitur.

De Templis, Iouis Feretrij, Iouis Custodis, Veionis, & de Curia Cas-  
labra, Senaculo, atq; Asylõ. Cap. I I.

Iouis Feretrij Templũ, primũ omnĩ Romæ consecratũ, bello Cenninensĩ Romulus uouit, uotiq;  
reus in uertice Capitolini collis, ut inquit Diony. extruxit, eo in loco ( ut pleriq; oēs consentiũt )  
ubi nunc est Araceli. Feretrij aut cognomen obtinuit, quod cũ Acronẽ ducẽ interfecisset, ut uotũ suũ  
maxime Ioui gratũ, ciuibũque suis iocundũ efficeret, spolia ipsius ducis, fabricato ad id ferculo, ge-  
rens in Capitoliũ ad quercũ pastoribus sacrã, in trophæi formã fictã, hostis arma deposuerit, designãs  
simul cũ dono templo Iouis fines, cognomẽque addens, Ioui Feretrio, à feriẽdo hoste, ut uotis petier-  
rat: auc. Plur. Sex. uero Pom. quod pacẽ ferre putaret, cũ ex eius templo sumerent sceptrum per  
quod iurarent, & lapidẽ Silicẽ, quo fœdus ferrent, Feretriũ denominatũ scribit. Hoc tẽplũ cũ uetustas-  
te, & incuria detectũ prolaberetur, admonitũ Pom. Attici ( ut in eius uita testatur Cor. Nepos ) res-  
ciendũ Cæs. curauit. ampliã autẽ esse prius ab Anco rege cõmemorat Liuius. Huius uisigia, ubi ma-  
iora denũ, ubi uero minora quinuẽ pedũ ætate sua adhuc extitisse, asserit Diony. Templũ Iouis Cus-  
todis Domitianus adeptus imperiũ excitauit, sèque in sinu ipsius Iouis sacrãuit. Id autẽ ubi nunc sunt  
Salinæ: & ubi hodie ẽ carcer Capitolinus appellatus, Iani tẽplũ fuisse, quidã opinantur: quorũ senten-  
tiã aduersatur, quod fundamenta ex saxo quadrato, & fornices in eisdẽ Salinis, ac uisigia por-  
ticus foro superstantia, locum publicũ ex ijs, quæ mox dicemus, fuisse ostendunt. Nam & de Iano Cas-  
pitolino apud antiquos scriptores nusq; legimus. Crediderim igitur hoc in loco suã fuisse Curia Cas-  
labram, quam culmis Romulus texerat: in quam uocabatur. S. P. Q. à rege Sacrificulo, ut ludos  
rum, sacrificiorũque pernosceret diem: in ea. n. ratio sacrorũ tantũ gerebatur. ut scribit Sex. Pom.  
De hac autẽ Curia meminit Var. cũ inquit. Primi dies mensium nominati Calendæ ab eo, quod his  
diebus calenẽ eius mensis Nonæ à pontificibus quintanæ, an septimanæ sint futuræ in Capitolio, in cur-  
ria Calabra. Prope hanc autẽ fuisse Romuli Casam idẽ Var. est auctor. Eã humilẽ fuisse, ostendit Vis-  
truius, his uerbis. Item in Capitolio commonefacere potest, & significare mores uetustatis Romuli  
Casã in arce sacrorum stramẽtis tecta. Ad eandẽ autẽ, uel ubi illa fuerat, Senaculũ stetisse innuit Li-  
uius, cũ ait Censores porticum ab æde Saturni in Capitoliũ ad Senaculum, ac super id Curia straxisse.  
Veionis Aedem in area nunc Capitolina locum obtinuisse, hæc uerba Gelli docent. Est autẽ et ædes  
Veionis Romæ inter Arcem, & Capitoliũ. Mox subdit. Cum Iouem igitur, & Diuẽm à iuuando  
nominaissent: eum quoq; contra Deum, qui non iuuandi, sed uim nocendi haberet ( nam deos quosdã  
ut prodesent, celebrabant: quosdam ne obessent, placabant ) Veionem appellauerunt dempra, atque  
detracta iuuandi facultate. Eius simulacrum, quod est in æde, de qua supra dixi, sagittas tenet, quæ  
sunt uidelicet paratæ ad nocendum. Quapropter eum Deum plerique Apellinem esse dixerunt. Im-  
molatũque illi ritu humano capra: eiusque animalis figmentũ iuxta simulacrũ stat. Asylũ templũ  
in dicta area fuisse, significat Diony. sic. n. inquit. Lucũ umbrosũ mediũ Capitolique, & Arcis, quod  
uocai intermontiũ duorũ quercetorũ, templũ Romulus cõstituit: de eodẽ Strabo. Romulus Asylũ ape-  
riens inter collẽ, & Capitoliũ, huc perfugiẽtes ciuitate donatos designat: & Liuius. Locũ, qui nũc sepe-  
tus densis sentibus inter duos lucos, Asylũ appellat. Ex eo finitimus populus, ois turba, sine discrimine

C ij

et feruus, et liber, auida nouarū rerum perfugit. Et hunc locum Ouid. attigit, his uersibus.  
Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,

Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Ex eo. n. nemo exarabatur. Varios aut terminos habuisse testatur Strabo, his uerbis. Templum et nūc, et olim Asylum erat, cuius libertatis termini sunt mutati: Alexander ad stadiū extendit: Mithridati uero dimissa ab angulo Cerami sagitta uisum ē paululū ipsum stadiū transcendere: Antonius huic proxime accessit, et cū eo termino urbis partē comprehendit: Postea Cæs. Aug. cum id damnosum existimaret, et nihil aliud esse, quā multis malefaciendi causam exhibere, irritū fecit. Suet. de Tiberio loquens. Aboluit, inquit, et uim, morēque Asylorū, quā usq̄ erāt. Primi aut omniū Hercules nepotes timentes insidias illorū, quos auus, priusq̄ ē terris migraret, afflixerat, Asylum instituisse dicuntur, hinc Statius.

Asylum herculeos fama est fundasse nepotes.

Et quia nonnulli ex quibusdam Ouidij carminibus sub rupe Tapeia Asylum stetisse uolūt, quid de hac opinione sentiam, ubi de basilica Sempronij erit sermo, dicitur.

De Cliuo, Varijsq; aditibus Capitolij: Domo Milonis: porta Stercoraria, ac de templis  
Iouis Tonantis, et Fortunæ. Cap. III.

**C**liuus aut, per quem in Capitolium fuerat ascensus, qua parte steterit, inter nostri tēporis doctiores magnum est certamen. Suet. tamen in ea, quā uergit in Velabrū fuisse, significare uis detur: ita narrans. Gallici triumphi die Velabrum prateruehens penē curru excussus est axe defracto, ascenditque Capitolium ad lumina. XL. elephantis dextra, atq; sinistra lychnucos gestantibus. Et Ouidius locum attigit, his carminibus.

Inde uelut nunc est, per quem descenditis, inquit,

Ardus in ualles, et fora cliuus erat.

Ser. tamen dum ait Saturni templum fuisse ante cliuum Capitolinum, ubi aedes Concordiæ, innuit hunc cliuum fuisse forum Romanum uersus, ubi erat utraq; aedes: Huic sententiæ conueniunt Cic. uerba sexta a Etione in Verrem, quā sunt hæc. Tamen cū de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent. Nam carcerem sub Capitolio in capite fori fuisse, infra ostendemus. Arcus etiam Septimij imp. inibi posuit, facit, ut credam aditum in hunc collem eregione ipsius quādoque stetisse: præsertim q̄ paucis ab hinc di:bus detecta fuit uia, silicibus strata, ab area Capitolina ad eundem arcum protensam: tamen cum latitudo eius sit pedum septem tantum, non arbitramur eum esse cliuū celebrem, de quo meminit Suet. quando Capitolinum montem plures aditus habuisse affirmat Cor. Tac. quorum hic, qui ad arcū Septimi pertinet, est unus: Alium uero à Concordiæ ad Monetæ templū fuisse, Ouid. testatur, his uersibus. Candida te niueo posuit lux proxima templo,

Qua fert sublimes alta Moneta gradus.

Tertius in urbē planā (planā dico urbē quæ hodie habitat) ut et nūc, descensum præbuit: ibi. n. nostra ætate detecta fuit porta marmorea: Quæritus est de quo nunc agimus. M. aut Aemilio Cos. hunc Cliuum, silicibus sternendum Censores curauisse, memoriæ prodidit Liuius, et Cic. Milonē in eodē Domū scutis refertā habuisse, testatur: hæreditariā, an conductā, dubium est: quia superius dixerat: nullū angiportū esse, in quo Miloni non esset conductā domus. In eodē cliuo fuit porta Stercoraria nuncupata: de qua Sex. Pom. sic loquitur. Stercus ex Aede Vestæ: XVII. Cal. Iulias defertur in angiportū mediū ferē cliui Capitolini, qui locus clauditur porta Stercoraria. Idē scribit Saturnios eos dictos, qui castrum in uno cliuo Capitolino incolebant, ubi Ara dicata ei deo fuerat ante bellum Troianum. Iouis autem Tonantis Aedes apud Cliuum, ubi hoc tempore noxij puniuntur, posuit Augustus: quod liberatus esset periculo, cum expeditione cantabrica per nocturnum iter leæticiam eius fulgur perstrinxisset, seruūque præcedētem exanimasset. Cū dedicatam hanc ædem assidue frequentaret, somniauit queri Capitolinum Iouem

cultores sibi abduci, seq; respōdisse, Tonantem pro ianitore ei appositum : ideoq; mox tintinabulis fastigium ædis redimiuit, quod ea ferè ianuis dependebant, auctor est Suet. Refert Plin. Iouis Statuam exemplar æris Deliaci, quo Polycletus est usus, in hac æde fuisse : & ante ipsam Cai oris, & Pollucis opus Hygiæ. Quibus uero lapidibus ea ædes extructa esset, alibi sic indicat. Inter hos primum (ut arbitror) marmoreos parietes habuit scena M. Scauri, non facile dixerim sectos, an solidis gl'bis posuit : sicut est hodie Iouis Tonantis ædes in Capitolio. Prope hanc ædem fuit & Fortunæ, ut testantur carmina, quæ in eius templo Præneste quidam se legisse affirmant : quorum principium hoc.

TV QVAE TARPEIO COLERIS VICINA TONANTI  
VOTORVM VINDEXT SEMPER FORTVNA MEORVM

De rupe Tarpeia : Templis, Saturni, Iouis Opt. Max. Iunonis, Minervæ,  
Iuuentutis, & Fidei. Cap. IIIL.

**R** Eligua pars montis, post Cliuū, Rupes Tarpeia est dicta : ex qua damnati præcitrabātur. Hinc Cic. ad Atticum. Quis enim audeat uiolare (Brutum scilicet) propolita cruce, uel saxo. Et Plin. ait, Metellum ad Tarpeium raptum, ut præcitraretur. Gellius autem scribit, eodem mortis genere etiam eum damnari solitum, qui falsum testimonium dixisse, conuictus esset. Diony. uero, Rupe hanc foro superstitisse, dicit. Duci, inquit, eū iussit in superstantem foro colle : est enim is colliis rupes uasta, unde mos est eis deñcere aduersarios. Cui opinioni ne refragari uideamur, dicemus totum montem, & arcis, & Tarpeia rupis nomine, appellari. Saturni Aedes infra hanc rupem sita erat : ubi paucis ab hinc annis fuerat sacellum cum turri. S. Saluatoris cognomento in Aerario, siue in Statera : incumbens hospitali. S. Mariæ in porticu nuncupata. Fuerit ne ea condita à comitibus Hercules, de qua Sotinus meminit : an à T. Tatio, de qua Varro : an à Tullo rege, de qua Macrobius, incertum est : quam uero Lucretium posuisse scribit Critolaus, eam esse non arbitramur. In hac autem æde fuit Ararium, omnium primum institutum, & trutina, eiusq; uestigia extitisse suo tempore testatur idem Var. Propterea non ab re nostri in Statera cognominarunt. Volunt autem Publicolam omnium primum ædem Saturni ararium declarauisse. Et quamuis Saturni, & Opis ædem in uico Ingario fuisse, dicat Sex. Rufus, hanc tamen ipsam opinor eum intelligere : nam etsi in Capitolio erat, ipsi uico tamen subiacenti incumberebat. Diony. Saturno Arcem attribuit, secundum uiam qua ex foro in Capitolium ascensus erat, sitam. Iouis Opt. Max. templum, siue Iouis Capitolini, uouit Tarquinii Priscus. Superbus deinde librarum agenti. XL. M. in fundamentis impendit. Verum cum ad tectum ferè opus peruenisset consecrationem non obijt, quia tyrannide excidit. Dedicauit hoc Horatius Publicolæ collega, ut sequenti titulo habetur.

M. ORATIVS CONSVL EX LEGE TEMPLVM IOVIS OPTIMI  
MAXIMI DEDICAVIT ANNO POST REGES EXACTOS A CON-  
SVLIBVS POSTEA AD DICTATORES QVIA MAIVS IMPERIVM  
ERAT SOLENNE CLAVI FIGENDI TRANSLATVM EST.

De hoc templo Diony. meminit, his uerbis. Extructum est autem super crepidine firmatum alta, octo iugerum in circuitu, ducentorum fermè pedum unumquodq; latus habens (Est autem iugerum duplicatus in longitudinem actus, ut ait Plin. Is est in quo boues aguntur cum aratur uno impetu iusto, hoc est. CXX. pedum) Et quia Diony. ætate, quædam huius templi extabant uestigia, subdit. Paucum quiddam uariantem inuenire posset aliquis eminentiam altitudine ne quindecim quidem pedibus integris : à parte quidè, qua frons meridiè spectat, cōprehensim triplici columnarū, ordine : ab obliquis uero partibus, simplici : in eo tria sunt Sacella æqualia, inter se communia habentia latera : mediū quia dē Iouis : ab utraq; parte Iunonis, & Minervæ : sub una aquila, unaq; uelata tectura. Hinc Ausonius ait. Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.

¶ Quod aut Diony. dicit, Super crepidine alta : hoc ad naturalē decorē ptinet, Nā ædibus sacris, quorū decorū maxime in tutela ciuitas uidere ē,

C in

ut Ioui Iunoni, & Minervæ, in excelsissimo loco, unde menium maxima pars conspiceretur, aëre distribuebantur, auctor Vitruvius. Cur autem Tarquinius hæc numina sub eodem tecto statuerit, ostendit Macr. his uerbis. Sed qui diligentius eruunt ueritatem, Penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus: per quos habemus corpus: per quos rationem animi posidemus. Esse autem medium æthera Iouem: Iunonem uero immum aëra, cum terra: & Minervam summum ætheris cacumen. Et argumento utuntur: quod Tarquinius Demarathi Corinthij filius samothracijs religionibus mystice imbutus, uno templo, ac sub eodem tecto, numina memorata coniungit. Iouem autem propter beneficia, Optimum: propter uim, Maximum Po. Ro. nominabat, auctor Cic. Iouem autem Capitolinum eundem esse, qui erat Opt. Max. ex eo conijcimus, quod ante hæc epitheta, præponit, Capitoline. Erat huius Dei templum, præter cætera ornamenta, multis statuis exornatum: quarum unam auream. X. pedum dicauisse D. Claudium, scribit Tremellius. Iouis autem Imperatoris simulacrum in eodem templo statutum fuisse opinamur. Sic enim Cic. inquit. Iouem Imperatorem quanto honori in suo templo fuisse arbitramini. Victoriæ statuem ibidem fuisse testatur Plut. Et Plin. sex pocula Murrhina ex triumpho à Pompeio in urbem aduecta. Libros autem Sibyllinos in dicto templo sub terra, in arca lapidea conditos esse, & à decem hominibus custoditos, prodidit Diony. Polibius uero fœdera cum Carthaginiensibus iuncta, per scripta in tabulis æneis, ab Aedilibus hic conseruata. Inibi fuit Pallium breue, purpureum, lanestrū, ad quod cum Aurelianus iungeret purpureas suas uestes, cineris specie decolorata uidebantur diuini comparatione fulgoris. Hoc munus rex Persarum, ab Indis interioribus sumptum, ipsi Aureliano dedisse perhibetur. Habuit hoc templum fistulas quasdam, quibus aqua reliquis templis, ac sedibus suppeditabatur. ut pro Rabirio testatur Cic. qui contra Rullum, & pro Domo sua docet. S. C. & orationes in eodem templo sæpe habitas. Eo ibant noui Coss. sacrificatum: quia Ioui omne debetur initium. Arsit cum aedibus, & sacellis coniunctis Vitelliano bello, ac Titi Imp. tempore: auct. Plin. Diony. & Cor. Tac. In ea autem parte Capitolij fuit, quæ plateam, nunc Montanariam dictam, despicit: ad radices cuius paucis ab hinc annis fuerat templum. S. Saluatoris, ab illo prisco Iouis templo, in Maximis cognominatum. Erat in eo Iouis templo Cella, hoc est pars secretior templi, quam ingredi prophano non licebat. In hac fuere Coronæ aureæ duæ: quarum alteram ex. XX. Philipeis factam: secundum Gallos Pamphilij legati, in Curiam tulerant: Alteram Carthaginiensium missi gratulatum ob uictoriam partam aduersus Samnites. Inter hanc, & Minervæ Cellam, Iouis imperatoris Signum collocatum fuisse, ait Sex. Pom. à T. Quintio Prænestæ aduectum: & ante Minervæ Deos Noxios: eius uerba apposui. De Noxijs appellantur tria signa in Capitolio ante Cellam Minervæ genibus nixa, ueluti præsidia parientium nixibus: quæ signa, sunt qui memoriæ prodiderint Antiocho rege superato, M. Attilium subtracit Po. Ro. deportasse, atque ubi sunt, posuisse. In huiusce Deæ Delubro fuit Tabula, in qua raptum Proserpinæ Nicomachus pinxit. In Iunonis Cella Canem ex ære suum uulnus lambentem se uidisse asserit Plin. Iunonis autem sacellum fuisse à sinistra sacelli Iouis: Minervæ uero à dextra ostendit Linius, his uerbis. Lex uetusta est priscis literis, uerbisque scripta, ut qui Prætor Max. sit, clauum pangat. Fixus fuit dextero latere Iouis Opt. Max. qua Minervæ est templum. Eum clauum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuisse ferunt: eoque Minervæ dicatam legem, quia numerus Minervæ inuentum est. Iuuentutis Aediculam prope Minervæ Delubrum stetitisse, scribit Plin. idemque libro trigesimo tertio innuit Concordiæ Templum in Capitolio suum fuisse, cum inquit. Inciditque in tabula ærea Concordiæ ædem. C. III. annis post Capitolinam dedicatam. Hæc nouisse Manlium in Gallia quidam memoriæ prodiderunt. Fidei Templum apud Iouis Capitolini extitisse ostendit Cic. de nat. deo. his uerbis. Qui igitur iusurandum uiolat, is fidem uiolat: quam in Capitolio uicinam Iouis Opt. Max. ( ut in Catonis oratione est ) maiores nostri esse uoluerunt. Plin. Spectata est, inquit, & in æde Fidei in Capitolio imago senis cum lyra puerum docentis.

De Arce: Templo Iunonis Monetae: ac de Lomo T. Tatiij,  
M. Manlij: atq; de Saxo Carmentae.  
Cap. V.

**S** Aturnius mons in Arce, & Capitolium diuiditur: ut passim apud historicos, aliosque auctores legitur. Cic. in Cat. Vobis Arcem, & Capitolium. Livius. Exules, & Serui duce Appio Herdonio nocte Capitolium, & Arcem occupauere. Hæc propemodum octauam moris partem occupabat, ut eius indicant fundamenta in ea parte, quæ ad theatrum Marcelli uergit: ad cuius radices, prope ædisculam D. Andreae in Vincijs nūcupatam, ante annos. XX. inuenta est porta marmorea, ab eaque gradus ad ipsam arcem ferentes: qua porta crediderim Tarpeiam illam Vestalem hostes introduxisse: nam Tiberim, ad quem aquatū fuerat profecta, proxime spectat. Iunonis Monetae Templum fuit in Arce, in ea parte, qua nunc sunt horri Conseruatorum dicti, ut ex uerbis Liuij coniectura assequi licet, qui sic inquit. Damnatum Manlium de saxo tarpeio deieciūt: adiectæ mortuo notæ sunt, publica una: quod cum Domus eius fuisset, ubi nunc Aedes, atque Officina Monetae, latum ad populum est, ne quis patricius in Arce, aut Capitolio habitaret. Idem alibi ait, Fabio Dorso, & Ser. Sulpicio Cos. Dictatorem creatum L. Furium Camillum, aruncanōque bello inter ipsam dimicationē hoc uouisse templum: quod Cal. Iuij dedicatum fuisse asserit Macr. de quo templo sunt hæc Ouidij carmina.

Arce quoq; in summa Iunonis templa Monetae

Ex uoto memorant facta Camille tuo.

Moneta à monendo est dicta. Cic. inquit: Moneta à monendo. Nam post cladem illam maximam à Senonibus Callis factam, audita uox ex arce Iunonis fuit, ex quo illa appellata est Moneta. Domus autem Manlij idem Cic. meminit pro domo sua: cuius uerba subieci. M. Manlius, cum ab ascensu Capitolij Gallorum impetum repulisset, non fuit contentus beneficij sui gloria, regnum appetere est iudicatus: ergo eius domum euerfam duobus locis conuersitam uideris. Ibidem autem fuerat antea Domus T. Tatiij, ut scribit Solinus. In eadem arce fuit Simulacrum Veionis. Plin. Nonne, inquit, Simulacrum Veionis in arce ex cupresso durat, à condita urbe quingentesimo quinquagesimo primo anno dedicatum. Simulacrum argenteum Anseris, cuius clangore arx ipsa fuerat seruata, memoriae causa, ibidem fuerat collocatum: de quo Lucretius sic cecinit.

Romulidarum arcis seruator candidus anser.

& Propertius.

Anseris & tutum uoce fuisse Iouem.

Et Plin. Est inquit, & Anseri uigil cura Capitolio testata defenso per id tempus canum silentio proditis rebus. Quam ob rem cibaria anserum Censores in primis locant. Saxū autem Carmentæ, quod Tarpeiae rupis pars quædam est, despicit Tiberim, eregione ferè pontis Senatorum.

De Templis, & quibusdam alijs ædificijs in Capitolio extructis, quorum Certus  
locus ignoratur. Cap. VI.

**L** Apidem informem, atque rudem coluere Romani, Terminum appellantes: cuius templum à Tatio rege dedicatum, tradit Var. Plut. uero à Numa cōditum. Cum autem Tarquinius Superbus uellet Iouis Capitolini templum ædificare, cœpit captare augurijs, qui mons esset aptissimus, cumque Tarpeius ex omnibus esset inuentus, in quo erant diuersorum numinum sacella, actum est, ut exinde ad alia templa numina euocarentur sacrificijs: quò posset libere, & sine periculo templum Iouis ædificare: cumque omnes Dii libenter migrassent, Terminus, limitum Deus, abscedere noluit: tunc de hoc ipso sacrificatum est, & deprehensum, quod Terminus cum Ioue remanens æternum ubi imperium cum religione significaret. Quo loco aut colebatur super eum foramen patebat in tecto, quod

nefas esse putarent Terminum intra tecta consistere. Alij uero dicunt primam partem tecti eius templi patuisse, quia sub dio ei sacrificabatur : & ( ut ait Lactantius ) publice, quasi custodi finium, Deo : hinc Sex. Pom. Terminio, inquit, sacra faciebant, quod in eius tutela fines agrotum esse putabant. Terminum qui exarsset, & ipsum, & boues sacros esse Numa statuit. Legimus autem apud D. Augustinum Mariem quoque, & iuuentam regi Deorum cedere noluisse : quod imperium Romanum nullum terminum esset habiturum, nec senectam sensurum. Mentis autem, & Veneris Erycinæ ædes in eodem Capitolio fuisse, testatur Liuius, his uerbis. Interea Duumiri creati sunt. Q. Fabius Maximus, & Atilius Crassus ædibus dedicandis : Menti Attilius : Fabius Veneri Erycinæ : utraq; in Capitolio est, canali uno discretæ. De æde Mentis sunt Ouid. hæc carmina.

Mens quoq; numen habet, Menti delubra uidemus,

Vota metu belli perfide pœne tui.

Alias ædes sacras complures in Capitolio fuisse, Cic. innuit, cum de templo Fidei locutus, sic subdit. Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiæ? Libertatis? Victoriæ? quarum rerum, quia uis est tanta, ut sine Deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit. Idem in phil. Opis non semel meminit: ad eamque, rursus ad Att. ait, Scipionem proauum Metelli statuam Censoriam habuisse. Hanc autem ædem uouit Tatiux rex, auctor Var. quam Sp. Posthumio Albino, & Q. Martio Philippo Cos. tantam esse de cælo commemorat Liuius. Fortunæ autem Primigeniæ, & Obsequentiæ ædes in Capitolio condidit S. r. Tullius. Hanc Deam uarijs cognominibus a Romanis nuncupatam legimus. Nam publicam appellabant, cum reip. faueret. Masculam, cum omnibus maribus. Muliebrem itidem, quando mulieribus. Virilem, cum iam adultis. Primigeniam, cum primogenitis. Item Fortis Fortunam, quando exinsperato adesset. Equestrem uero, quando maxima cum celeritate ueniret. Obsequentem, cum ad omnia uota accederet. Paruam, ubi humilē ad maximas opes, summōsque honores uelaret. Seiam, ubi segetes, ceterosque fructus feliciter ad maturitatem perduceret: Et prosperam eam dicebāt, quæ semper propitia assideret. Malam uero, quæ iugiter aduersaretur. Iouis Sponsoris ædem posuit Tarquinus Superbus : quam Posthumius Nonis Iunijs dedicauit. Veneri Caluæ Fanum in Capitolio Romani constituere in honorem matronarum : quia capta urbe a Gallis deficientibus funibus ex illarum capillis eas fecissent. Alteram ædem ibi Venerem habuisse, ostendit Suet. in Calig. Vestæ ædes in eodem colle fuit, ut significat Sex. Pom. de porta Stercoraria locutus. Aram autem Iouis Pistoris in Capitolio suam fuisse, innuit Ouid. his uersibus.

Nomine, quam precio celebratior arce tonantis.

Discant pistores quid uelit ara Iouis.

Bibliothecam Maiorum multis columnis exornatam : Porticusque duas, Metelli alteram, alteram Cōstantini Capitolium habuisse dicitur : Atriumque publicum, quod tactum esse de Cælo testatur Liuius. Fauisæ, quæ sunt loca cisternis, cellisque similia, ubi reponebantur ea, quæ in templis uetustate erant facta inutilia, fuisse in area Capitolij, Gellius & Sex. Pom. auct. Locumque sacrum in eodem Capitolio fuisse legimus, ex quo sumebatur uerbena, qua coronabantur Feciales, & Paterpatratus fœdera faciaturi, uel bellum indicturi : & lapidem silicem, quem tenebant per Iouem iuraturi dicentes. Si sciens fallo tum me Di: spiter salua urbe, arcēque bonis eijciat, ut ego hunc lapidem. In eodē Capitolio. S. C. haberi solitum asserit Liuius, his uerbis. Eo facto, auocatam a se concionem tribunus questus, & in ordinem se coactum, ex Capitolio, ubi erat concilium, abiit.

De statuis, Imaginibus, & Columnis.

Cap. VII.

**I**Nter alia multa, uariaque ornamenta, quibus Capitolium erat insignitum, plurimæ in eo statuæ fuisse. Quas cognoscere nō erit ab re alienum: siquidem eis cognitio in multorum insignum locorum



cognitionem multos deuenisse, uidemus. Harum bonam partem, sicuti columnarum, ex deuictis prouincijs in urbem Romani deportarunt: quod & Cic. testatur in lib. de nat. deo. qui sic ait. Etenim fana multa spoliata, & simulacra deorum de locis sanctissimis ablata uidemus à nostris. Ingentem autem numerum fuisse, ex Cor. Tac. uerbis perspicitur, quæ sunt hæc. Sabinus undiq; statuas decora maiorum in aditu obiecit, ne hostes in Capitolium penetrarent. Quæ etsi uera sint, perpaucas tamen uidemus literis mandatas. Quæ apud uarios auctores sunt reperta, breuiter commemorabo. Iouis igitur treis fuisse legimus: quarum unam de cælo tactam esse, quo tempore Pyrrhus in Siciliam traiecit, asserit L. Florus: de reliquis duabus loquitur Plin. his uerbis. Sp. Caruilius fecit Iouem, qui est in Capitolio uictis Samnitibus sacrata lege pugnantibus è pectoralibus eorum, ocreisq;, & galeis: amplius do tanta est, ut conspiciatur à latario Ioue: Idem. Locras uero Iouem tonantem ante cuncta laudabilem fecit. Hercules Auersion, & Sempronius Coss. alteram, alteram Fabius Max. uictis Tarentinis statuas dedicauere, quarum Linius, Plut. & Strabo meminere. Strab. Verba subieci. Aliqua etiam Romani capto per uim oppido, ut spolia, uindicarunt, è quibus Hercules imago sublimis ex ære in Capitolio fixa est, opus Lyippi. Apollo autem translatus à Lucullo ex Apollonia Ponti urbe. XXX. cubitorum, CL. talentis factus iacet hodie in ædibus nunc Conservatorum confractus. Boni Euentus, Bonæque fortuna, Praxitelis opera, atq; Nemesis Simulacra Capitolium decorauere: sic & Iani, dextra trecentorum, sinistra sexaginta quinque numerum, ad demonstrandum anni dimensionem, tenens. Fuere insuper in Capitolio Statuæ omnium Regum. Plin. inquit, Nullam annulum habet Romuli in Capitolio Statua, nec, præter Nunnæ, Seruique Tully, alia, ac ne L. quidem Bruti: & alibi, Primas putat has, & Aethy Nauri positas ætate Tarquinij Prisci, nisi Regum antecedentium essent in Capitolio. Statuam Scipionis, qui Antiochum deuicit, cum chlamide, ac crepundijs in eodem Capitolio fuisse, pro Rabirio refert Cicero: Syllæ uero pedestrem, & anciam in Philip. Aemilio autem Lepido puero statuam bulatam, ac prætexatam posuit Senatus, quod hostem in aciem interemisisset, ciuemque seruasset. Tali honore dignus habitus est Metellus, quod ex æde Vestæ Palladium ab incendio liberauisset: sicut & Trebius, qui in ædilitate sua frumentum Po. Ro. asibus præstitit, auc. Plin. Plut. autem commemorat Fabium Max. suam ipsius statuam, equestrem, ex ære, iuxta Herculem statuisse: Brutique illius, qui Tarquinios expulit, à Po. Ro. mediam inter Regum statuas, positam esse. Inibi Africani etiam statuam fuisse ad Atticum scribit Cic. cuius uerba apposui. At mehercle ego cum in turmam auratarum equestrium, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animaduertissem in Serapiöis subscriptione Africani imaginem, erratum fabrilis putavi. Domitianum non nisi aureas, argenteasque sibi poni permisisse, scribit Suet. & Eutropius. Cornelia Gracchorum mater & ipsa tali honore digna fuit, ut in Capitolio statua ei collocaretur. Scipio, de quo superius, uictoria suæ Asiaticæ Tabulam pictam in eodẽ Capitolio affixit. Bocchus et Syllæ gratiam aucupatus triumphales imagines ibidem collocauit: inter quas inerat aureus Iugurtha ab eo Syllæ traditus, Parrhasius Ephesi natus Thesea pinxit in eodem Capitolio. In quo fuere etiam seiuges à Cn. Cornelio positi: & Clypea. xij. aurata, ab Aedilibus P. Claudio, & P. Sulpitio Galba ex pecunia, qua frumentarios ob annonam compressam condemnauerant, ut tradit Linius: qui & Clypeum Martis cum imagine Asdrubalis in eodem colle fuisse, narrat: Columnamque Rostratam: cuius sunt hæc uerba. In suspensa ciuitate ad expectationem noui belli nocturna tempestate Columna rostrata in Capitolio bello punico tota ad imum fulmine discussa est. Augustus uictor Aegypti multa de nauali certamine sustulit rostra ærea, quibus conflatis quatuor effecit columnas: quæ postea à Domitiano in Capitolio sunt posita: quas etsi Ser. gram. suo tempore ibidem fuisse dicat, hodie tamen in Lateranensi basilica cernuntur. Hæ sunt de quibus Virgilius ait, Surgentes ære columnæ.

De Tabulis publicis.

Cap. VIII.

**T**Abulas quibus leges, & publica acta continebantur, in Capitolio fixas, ac seruatas esse multi testantur: quorum Cic. pro Sex. sic inquit. Inspectantibus uobis toto Capitolio tabulæ figebantur. Et

paupost. Sed unum egregium de rege Deiotaro Po. Ro. amicissimo decretum in Capitolio fixum. Et  
 rursum Philip. tertia: Falsas leges, & falsa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curauerit.  
 Et ærearum tabularum tria millia, quæ cum Capitolio flagrauerant Vespasianum inuestigatis exem-  
 plaribus restituenda curauisse ferunt. Et Plut. testatur, cum Clodius tabulas, quibus res in tribunatu  
 suo gestæ continebantur, in Capitolio affixisset, Ciceronem ab exilio reuersum eas ui delcuisse. Rur-  
 sumq; Cic. in Catilinam commemorat, æra legum in Capitolio de cælo tacta, & liquefacta. Sic & ta-  
 bula, quæ has leges à Romulo promulgatas continebat, seruabatur.

NE QUID INAVGVRATO FACIUNTO.

PATRES SACRA MAGISTRATVSQVE SOLI PERAGVNTO INEVNTQVE.

PLEBEI AGROS COLVNTO.

SACRORVM OMNIVM POTESTAS SVB REGIBVS ESTO.

SACRA PATRES CVSTODIVNTO.

POPVLVS MAGISTRATVS CREANTO.

LEGES DISCVNTO.

BELLA DECERNVNTO.

DEORVM FABVLAS NE CREDVNTO

DEOS PEREGRINOS PRAETER FAVNVM NE COLVNTO.

NOCTVRNAS IN TEMPLO VIGILIAS NE HABENTO.

PARRICIDAS OMNES CAPITE PVNIVNTO.

NE QVIS PRAESENTIBVS FOEMINIS OBSCOENA VERBA FACITO.

QVISQVIS DEMISSAM AD TALOS TOGAM IN VRBE HABETO.

MONSTRVOSOS PARTVS QVISQVIS SINE FRAVDE CAEDVNTO.

NE QVIS NISI PER PORTAS VRBEM INGREDITOR NEVE EGREDITOR.

MENIA SACROSANCTA SVNTO.

MVLIER VIRO LEGITIME CONIUNCTA FORTVNARVM ET SACRORVM=

SOCIA ILLI ESTO. VT DOMVSQVE ILLE DOMINVS ITA HAEC DOMINA.

FILIA VTI PATRI ITA DEFVNCTO VIRO HAERES ESTO.

ADVLTERII CONVICTAM VIR ET COGNATI VTI VOLENT NECANTO.

SI VINVM BIBERIT DOMI VTI ADVLTERAM PVNIVNTO.

PARENTVM LIBEROS OMNE IVS ESTO RELEGANDI VENDENDI ET=

OCCIDENDI.

Curatores autem fuisse huiusmodi tabularum indicat sequens titulus.

C. CALPETANVS STATIVS

SEX. METRORIVS M. PERPENNA LVRCO

T. SARTIVS DECIVANVS CVRATORES

TABVLARIORVM PVBLICORVM

EAC.


CVR.

De quibusdam Statuis, aliisque rebus antiquis, quæ hodie sunt  
 in Capitolio, Cap. IX.

**I**N area Capitolina collocata est equestris Statua, ænea, M. Aurelij Antonini pij philosophi: quo ex  
 Cælio monte paucis ab hinc annis transferri uidimus. In Porticu uero Conseruatorum est Commos-  
 di Imp. ingens caput, æneum, de quo Lampridius ita meminit. Colossi caput depreßit, quod erat Nes-  
 ronis, ac suum imposuit, & titulum more solito subscripsit. Ante eandem porticum duo pari forma  
 fluuiorū simulacra seminuda uisuntur, Nili ac Tygris, ut nonnulli testantur: uel Anienis, & Naris,  
 ut alijs placet. Nos aut de ijs nihil certi habemus. In cauedio diæ domus sunt marmorea signa M. An-



tonini de triumpho dacico, sublata ex æde D. Martine. E regione, sub porticu, stat templi in marmore incisum, signis perpulchre exornatum. In aula superiori, inter alia, est statua auro superfusa nuli Herculis, dextra clauam, sinistra uero Hesperidum aurea mala tenentis. Ibidem est & Satyri statua pulcherrima. In porticu interiori prope aulam, æneam Lupæ est simulacrû, ex cuius uberibus pendunt Romulus & Remus urbis conditores: de hoc Cic. sic inquit. Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit Romulus, quem inauratum in Capitolio parium, & lactentem uberibus inhiantem fuisse meministi. Huius simulacri effigiem ideo subiecinus, ut cerneret quod Virg. & Cic. de ijs testatur: quorum alter sic ait. Ludere pendentes pueros: alter nero, Romulum et uberibus inhiantem.



In eadẽ aula cernere licet, duo Signa ænea iuuenili forma, alterum stans serui habitu: alterum nudû pueri sedentis, ac curuato corpore spinam e planta pedis euellere conantis: non absimilis Batto, quem Theocritus sic loquentem inducit.

θαυμα μὲν ὠκευόμεν τὸ πρὸς τοῦ δῖος ἄρα ἄλγος.

ἀρμὸν μὲν ὡς ἐπὶ ταῖς ἑσπερίαις τὸ σπυγὸν.


hoc est.

Aspice o Corydon per louem spina enim

Nuper me hic percussit sub talo.

Ibidem, in templo D. Mariæ cognomento Araceli, multæ sunt columnæ, quarum quæ tertia ab ingressu sinistrorsus occurrit, hunc habet titulum. A CVBICVLO AVGVSTORVM. Est apud eandẽ ædem paruus Obeliscus: et tres præterea Constantini Imp. Statuæ.

ronini de triumpho dacico, sublata ex æde D. Martina. E regione, sub porticu, stat templi in marmore incisum, signis perpulchre exornatum. In aula superiori, inter alia, est statua auro superfusa nuli Herculis, dextra clauam, sinistra uero Hesperidum aurea mala tenentis. Ibidem est & Satyri statua pulcherrima. In porticu interiori prope aulam, æneum Lupæ est simulacrū, ex cuius uberibus pendunt Romulus & Remus urbis conditores: de hoc Cic. sic inquit. Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit Romulus, quem inauratum in Capitolio paruum, & lactentem uberibus inhiantem fuisse meministis. Huius simulacri effigiem ideo subiecimus, ut cerneret quod Virg. & Cic. de ijs testatur: quorum alter sic ait. Ludere pendentes pueros: alter uero, Romulum et uberibus inhiantem.



In eadē aula cernere licet, duo Signa ænea iuuenili forma, alterum stans serui habitu: alterum nudū pueri sedentis, ac curuato corpore spinam e planta pedis euellere conantis: non absimilis Batto, quem Theocritus sic loquentem inducit.

θαυσαι μὲν ἀνθρώπων τὰ τὴν τοῦ θεοῦ ἀγαθὰ  
ἀρμῶν μὲν ὡς τὰ τὰς ἐν τῷ σπυρῶν.

hoc est.

Aspice o Corydon per louem spina enim  
Nuper me hic percussit sub talo.

Ibidem, in templo D. Mariae cognomento Araceli, multæ sunt columnæ, quarum quæ tertia ab ingressu sinistrorsus occurrit, hunc habet titulum. A CVBICVLO AVGVSTORVM. Est apud eandē ædem paruus Obeliscus: et tres præterea Constantini Imp. Statuæ.



De templo Concordiæ. Senaculo. Curia : ac de Tabernis  
publicis. Cap. X.

**Q**uoniam descendentibus à Capitolio primum occurrit uallis inter ipsum, & Palatium : patet ut eius loca proximo loco annotemus. Auspicemur autem ab omnium rerum auctrice, & conservatrice Concordia : cuius Templum uouisse, posuisseq; Camillum ostendunt Ouidij carmina, quæ sequuntur.

Furius antiquum populi superator Hetrusci

Vouerat, & uoti soluerat ille fidem.

Causa, quod à patribus sumptis secesserat armis

Vulgus, & ipsa suas Roma timebat opes.

Hoc templum in foro fuisse refert Plut. Varro autem inter Capitolium, & forū : cui astipulatur Sex. Pom. Erat. n. aut in foro, aut foro proximum : nam & Val. Max. commemorat Sempronium Aselionem pro æde Concordiæ sacrificium facientem ab ipsis altaribus à creditoribus fugere extra forum coactum. Extant huius templi porticus octo ingentes columnæ, & in epistylis titulus sequens.

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS

INCENDIO CONSVPTVM RESTITVIT

Inuentus est autem lapis in quo huiusmodi uerba erant incisa.

D. N. CONSTANTINO MAXIMO PIO FELICI AC

TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO OB AMPLIFICATAM

TOTO ORBE REMPVBLICAM FACTIS CONSILIISQ.

S.

P.

Q.

R.

AEDem CONCORDIÆ VETVSTATE COLLAPSAM IN  
MELIOREM FACIEM OPERE ET CVLTV SPLENDIDIORE  
RESTITVERVNT.

Hinc ad Monetæ ædem multis gradibus ascendebatur. Verum dum Cor. Tac. dicit : Diuersos Capitolij aditus inuadunt, iuxta lucum Asylum, & qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur, an de his gradibus intellexerit, an de illis, qui in arcem ducebant, dubium est: tamen propter uerba illa, rupes Tarpeia, uerisimilius est, uel hos significare, uel Cluium publicum. In hoc autem templum per multos gradus erat ascensus, ut ex dictis columnis conijcere possumus: & ex uerbis Cic. quæ in septima Phil. sunt posita : ea. n. hæc sunt. Occulta enim fuit eorum uoluntas, iuditiūque de. M. Antonio, qui frequentissimi in gradibus Concordiæ steterunt. In eodem templo Bedas sculptor Batton adorantem Apollinem, & lunonem fecit : Eufanor autem Latonam puerperam, Apollinem, & Dianam infantes, sustententem : Niceratus uero Aesculapium, & Hygiam : At Pijicrates Martem, Mercuriūque : Sthenis deniq; Cererem, Iouem, & Mercurium. In pronaio eiusdem templi fuit Victoria: quæ M. Marcello Claudio, & M. Valerio Cos. icta est fulmine. De huius templi Cella Cic. philippica tertia sic meminit. Armatos in Cella Concordiæ cum Senatum haberet inclusit: Et philip. quinta. In Cella Cōcordiæ collocari armatos, latrones, sicarios : è templo carcerem fieri. Habebatur præterea in hoc templo & Senatus, & orationes, ut idem pro Sextio, & Læpidius testantur. Sic. n. Lampridius inquit. Cum Senatus frequens in Curiam, hoc est, in ædem Concordiæ, templū auguratū, cōuenisset. Aedē aut Concordiæ Curiam appellat : quia ibi Senatus publicas curas gerebat : Templum uero auguratū addidit: quia Senatus non poterat haberi nisi in loco per Augures constituto, quod templū dicebatur: Non .n. oēs ædes, sacra erant templa: Curia augurato condita, erat templum : Aedes sacra non augurato condita, templa non dicebantur : neq; in illis poterat haberi Senatus, auctor Var. Qui cum duo Curiarum genera fuisse ostendat, uidelicet Curiam, ubi curarent Sacerdotes res diuinās, ut Curia ueteres : & ubi Senatus humanas, ut Curia Hostilia, apparet Curiam, & Senaculum idem esse, alterūque

*alterumque à Cura : alterum à Senatu. i. senioribus publicas res curantibus denominatum. Et quia in Hostilia res humana tantum curabantur, ideo alibi ait. Eam esse quidem templum, & sanctum non esse. Verum quoniam Sex. Pom. ex Nicostrato memoria prodidit, Senacula Romæ tria fuisse. Vnum, inquit, ubi nunc ædes Concordiæ, inter Capitolium, & forum : in quo solebant magistratus cum senioribus deliberare : alterum ad portam Capenam : tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterrarum nationum legatis, quos in urbem admittere volebant, Senatus dabatur, significat suo tempore desisse. S. C. fieri in Concordiæ templo : alioquin solent, non solebant, dixisset : & templum, non ædem appellauisset. Eius enim uerba innuunt, Senaculum diuersis temporibus uarijs in locis infitutum. Sed nec te moueat, quod cum ipse tria Senacula tantum commemorarit, nos quatuor ex uerbis Cor. Tac. in Capitolio fuisse ostenderimus, Varròque supra Grægostasum, quintum : Nam plerique augent : plerique fundant, & ad eos transeunt nomina : & in tam multis seculis, in tanta etiam rerum uarietate, nomina, loca, & numerus ipsorum, sæpe est mutatus. Sub Concordiæ autem templo in capite fori, dum fossores alius terram moliuntur, inuenere locum, cuius antea cum epistylis marmoreæ efficiebant ueluti porticum, uel apothecas treis : in quibus consisterent, qui publica acta notarent, ac publicarent : ut ex titulis conuenimus. Nā uno epistyllo, interiori parte, legimus hūc.*

C. AVILIVS LICINIVS TROSIVS CVRATOR

SCHOLAM DE SVO FECIT

BEBRYX AVG. L. DRVSIANVS A. FABIVS XANTHVS. CVR. SCRIBIS. LIBRARIIS. =

ET PRAECONIBVS AED. CVR. SCHOLAM

AB INCHOATO REFECERVNT MARMORIBVS ORNAVERVNT VICTORIAM =

AVGVSTAM ET SEDES AENEAS ET CETERA ORNAMENTA

DE SVA PECVNIA FECERVNT.

*Extra uero in eodem epistyllo erat hic titulus.*

BEBRYX AVG. L. DRVSIANVS A. FABIVS XANTHVS CVR. IMAGINES ARGEN =

TEAS DEORVM SEPTEM POST DEDICATIONEM SCHOLAE

ET MVTVLOS CVM TABELLA AENEA DE SVA PECVNIA DEDERVNT.

*Ibidem autem effusus est Cippus, super quo Stilichonis statuam fuisse innuit sequens inscriptio in eo incisa.*

FL. STILICHONI. V. C.

FLAVIO STILICHONI INLVSTRISSIMO VIRO

MAGISTRO EQVITVM PEDITVMQVE

COMITI DOMESTICORVM TRIBVNO PRAETORIANO

ET AB INEVNTE AETATE PER GRADVS CLARIS

SIMAE MILITIAE AD COLVMEN GLORIAE

SEMPITERNAE ET REGIAE ADFINITATIS EVECTO

PROGENERO DIVI THEODOSI COMITI DIVI

THEODOSI AVGVSTI IN OMNIBVS BELLIS

ADQVE VICTORIIS ET AB EO IN ADFINITATEM

REGIAM COOPTATO ITEMQVE SOCERO D N

HONORI AVGVSTI AFRICA CONSILIVS EIVS

EX PROVISIONE LIBERATA EX S. C.

*De Templis, Iouis Statoris : & Vestæ, eiusque Lucæ : ac de Regia Numa,*

*& Domo Tar. Superbi. Cap. XL*

**I**OVIS Statoris Templum fuit in radice Palatii, apud ædiculam nunc D. Mariæ Liberatricis : ubi sponde murorum altissimæ cernuntur. Cõditū aut fuit à Romulo, qui illud in bello Sabinorū uonit,

D

ut habetur apud Liuium : cuius uerba adieci. Iupiter tuis auibis iussus hic, in Palatio, prima urbi fundamenta ieci : Arcem iam scelere emptam Sabini habent, inde huc armati superata ualle media tendunt. At tu pater deum, hominūque hinc saltem arce hostes, deme terrorē Romanis, fugāque fœdum sistē. Hic ego tibi templum Statori Ioui, quod monumentum sit posteris tua præsenti ope seruauatam urbem esse, uoueo. Huius templi locum innuit Cic. Cum, priusquam in exilium iret, Iouem his precatus est uerbis. Tēque Iupiter Stator, quem uere huius imperij Statorem maiores nostri nominauerunt : cuius in templo hostilem impetum Catilinæ repulsi à muris : cuius templum à Romulo uictis Sabinis in Palatii radice cum uictoria est collocatum oro, atque obtestor, ferre opem pariter reip. cunctaēq; ciuitati, meisq; fortunis. Idem sentit Ouid. his uersibus.

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim

Ante Palatini condidit ora iugi.

In eodem templo non modo conciones, sed & S. C. sæpe agebantur : ut idem Cic. in Catilinam, pro lege agr. & sæpe alias testatur. Quod uero Liuius commemorat, templum Iouis Statoris uotum bis bello Samnitico, & in pugna ad Luceriam, intelligendum esse uidetur de eo instaurando, ætate, uel incendio consumptum : uel certe de alijs Iouis Statoris templis, quæ deinde posita fuerint eo in loco, ubi pugnatum est. Hoc autem incendio Neronis exustum esse, scribit Cor. Tac. Et ante ipsum positam esse Domum Tarquinij Superbi asserit Plin. hisce uerbis. Annius fecialis posuit sibi statuā equestrēm, quæ fuerit contra Iouis Statoris ædem, in uestibulo Superbi domus. Templum autem Vestæ fuisse, ubi nunc ædes D. Mariæ de gratijs, innuit Diony. Quod etiam coniicimus ex uerbis Plut. quæ sunt hæc. Restitere Romani quo nunc loco Iouis Statoris situm est templum, ita confertissimo agmine Sabinos adorti fundunt, fugantque, & usque ad locum, Regiam nunc dictum, ac templum Vestæ palantes agunt. Etenim si Romani ad radices Palatii restitere, factōque impetu Sabinos, qui ex Capitolio descenderant, ad Vestæ templum fugarunt : oportuit templum ipsum fuisse prope Capitolium, non sub Palatio, ut quidam somniarunt. Huic nostræ opinioni suffragatur etiam Liuius, sic locutus. M. Cœditijs de plebe nuntiauit tribunis, se in Noua uia, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ uocem noctis silentio audisse clariorem humana : quæ magistratibus dici iuberet, Gallos aduentare. Nos uiam enim uiam per mediam dictam uallem, siue per uicum Thuscum protensam esse, paulopost ostendimus : Quam non uideo esse posse supra ædem Vestæ, si erat, ut isti uolūt, sub Palatio. Condita autem fuit à Romulo : ut infra demonstrabimus : de hac Ouid. sic meminuit.

Hic locusest Vestæ, qui pallada seruat, & ignem.

Hic fuit antiqui Regia parua Numæ.

Plut. etiam ædem hanc prope Numæ Regiam, atriumque locatam esse uoluit. Quod non animaduertit Seruius : qui scribit ædem ipsam fuisse atrium Numæ. Lucus autem Vestæ erat prope Statoris templum, à Palatii radice in Nouam uiam deuexus : Ex quo luco, ante urbem captam, exaudita uox ē, ut muri, & portæ reficerentur : Futurum esse, nisi prouisum esset, ut Roma caperetur, auctor Cic. de diu. Vbi lucus fuerat, cum effossa sint quædam sepulcra, putarunt quidam ibi fuisse Vestæ templum : quasi uero priscis temporibus in templis cadauera sepelirentur : quod tantum abest à uero, ut ne intra urbem quidem, nisi Vestalium, conderentur : quin ea efferri ius non erat, nisi nocturno tempore, ne illorum aspectu sacra polluerentur. Fit igitur uerisimile sepulcra illa in eodem stetisse luco, & non in templo.

De Templo Quirini : & de Lupercali, & sicu Ruminali.

Cap. XII.

**T**emplum Quirini, dorica (ut inquit Vitruuius) structura, fuit ubi nunc ædes D. Theodori : de quo uidetur intellexisse Diony. cum de Lupercali sic loquitur. Ostendit secundū uiam, qua itur ad Circum, templūque ei proximum, in quo est lupa præbens pueris duobus ubera, antiquæ operæ,

simulacra, ærea. Plin. etiam de eodem ita meminit. Inter antiquissima nanque delubra habetur Quirini, hoc est ipsius Romuli: sacra myrti fuere duæ ante ædem ipsam per longum tempus: altera Patricia appellata: altera Plebeia. Prope hoc templum fuit Lupercal, hoc est spelunca in qua de capro luebatur: unde Lupercal dictum uolunt. Alij uero dicunt, quod ibi lupa infantes nuiruerit: alij lucum esse sacratum Pani deo Arcadiæ: cui mons Lycaus est sacratus: Lyceumque Pana nuncupatum: quod λυκῶν non sinat in oues scire: idcircoque Euandrum sacrasse locum, Lupercalque nominasse. Aliorum fama est Lupercalium morem à conditoribus urbis originem traxisse. Facto. n. sacrificio, tunc cum lætitia exultantes, q. his Numitor eo in loco, ubi educati erant, urbem condere permiserat, cæsisque capris epularum hilaritate, ac uino largiore prouecti, cuncti ouinis pellibus immolatarum hostiarum iocantes gestierunt. Verum, ut de etymologia, ita de loco uaria est opinio. Ser. enim in Circo fuisse sic ait. Rumon Tiberis dictus est: unde ficus Ruminalis, ad quam eieci sunt Remulus, & Remus: quæ fuit ubi nunc Lupercal: hac enim labebatur Tiberis, antequam Vertumno factis sacris auerteretur. Quod Tiberis (ut ait) per Circum labaretur, caret ratione: quia Auentinus ad alteram fluminis ripam esset relictus, nec sequeretur, quod narrat Lilius. Herculem traiecissem Tiberim, ac dum fesus procubisset, Cacus boues furatum in speluncam, in Auentino exsistentem, eos traxisse. Præterea idem Ser. eodem in loco Lupercal, & ficum Ruminalem fuisse uult: cum Lupercal fuerit, ut dixi, ubi D. Theodori est ædes: ficus uero Ruminalis in Comitio: quod probatur ex Cor. Tac. uerbis, quæ subieciimus. Eo anno, quo certatum est inter Hermunduros, & Caratos, rumularem arborem in Comitio, quæ supra octingentos, & quadraginta annos Romuli, Remique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & ærescente trunco diminutam, prodigii loco habitum: donec in nouos fetus reuiuisceret. Si autem uolumus, quod ait Lilius, Pueros in proxima alluue expositos, ubi ficus Ruminalis: secundum Tacitum dicemus: Fluuium forum Ro. alluisse, ferentesque illos in prima exposuisse alluue. Verisimilius tamen est secundum Diony. apud Lupercal expojuos esse, nutritos uero ad arborem: quod innuit idem Tacitus: cum ait, Texit infantiam Romuli, & Remi: aut fluitante scapha in Comitium delatos, secundum Var. & L. Florum, qui dicit repositos ad arborem: quæ non fuisse, ubi Lupercal, ostendit Plur. his uerbis. Locum Germanum uocant: sed pridem Germano nomen fuerat: quod germanos fratres uocemus: nec porro longius ficus Ruminalis. Lupercal gelidum appellat Virgilius, quia esset antrum arbusio contextum, ad boreamque spectaret. Ruminalem autem ficum sunt qui uolunt à Romulo, quasi Romularem, denominatam esse: alij à lacte infantibus dato: nam pars gutturis ruma dicitur. Vel secundum Sex. Pom. quod mamma rumis appellaretur. Huius arboris uestigia, usque ad Aug. tempora permansisse, Ouid jic ostendit. Arbor erat, remanent uestigia, quæque uocatur Romula nunc ficus, rumina ficus erat.

De Vico Iugario, ac Thusco. & de uia Noua.

Cap. XIII.

**I**ugarium Vicum per radices Capitolii à porta Carmentali in forum Ro. aditum præbuisse, Lilius his uerbis significare uidetur. Ab æde Apollinis boues faminæ, duæ, albæ porta Carmentali in urbem ductæ. Post eas duo signa cupressæ Iunonis Reginae portabantur. Tum septem, & uiginti uirgines longam indutæ uestem, carmen in Iunonem Reginam canentes, ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens, & inconditum, si referatur. Virginum ordinem sequebantur decem uiri coronati laurea, prætextatique. A porta Iugario uico in forum uenere. Iugarii autem obtinuit nomen, quod ibi fuerat Ara Iunonis Iugæ, quæ matrimonia iungere putabatur. auc.

D ij



Sex. Pom. In hoc uico fuit Domus M. Val. Amerimni, equitis romani, ut ex eius filij epichaphio d'edicimus. Quemadmodum autem uico Iugario patebat accessus in forum à porta Carmentali, ita uico Thusco, per radices Palatii, ab eodem foro in Velabrum erat transuersus: sicuti significant eiusdē Liuij uerba, quæ sequuntur. In foro pompa constitit, per manus recte data uirgines sonum uocis plausu pedum modulantes inceserunt. Inde uico Thusco, Velabròque per Boarium forum, in cliuuium publicum, atque in ædem Iunonis Reginae perrectum. Patet igitur eos aberrare, qui uicum Iugarium alibi fuisse dicunt, uicūque Thuscum appellant, totum id campi, quod iacet inter Capitolium, Palatium, Auentinum, & Tiberim. Quod si ita esset, fuerat satis Liuius dixisse. Inde uico Thusco in uicum publicum, atq; in ædem Iunonis Reginae perrectum: sed à Velabro ipsum cum diuiserit, ostendit ibi finem uici Thusci fuisse, ubi Velabrū incipiebat. Huius uici etymologia est duplex: alteram nominis rationem tradit idem Liuius: quem sequitur Sex. Pom. qui sic inquit. Thuscus uicus Romæ est dictus, quod ibi habitauerunt Thusci, qui recedente ab obsidione Porsena remanserant: alteram Var. his uerbis. In suburbanæ regionis parte princeps est Cælius mons, à Cælio Vibenna thusco duce nobili, qui sua manu dicitur Romulo uenisse auxilio contra Latinum regem. Hinc post Coelii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspitione essent, deducti dicuntur in planum, & ab eis dictus uicus Thuscus: & ideo ibi Vertumnus stare, quod is deus Hetruriæ princeps. In hoc autem uico habitauisse Lenones innuit Plautus in Cist. et Horatius cum ait. Ac Thusci turba impia uici. Viæ Nouæ duæ diuersis temporibus fuisse: de quarum altera meminuit Frontinus: altera est antiquior, de qua nunc agimus: quæ initium habuisse à foro Romano, testatur Ouidius his carminibus. Forte reuertebat festis uestalibus illac,

Qua noua Romano nunc uia iuncta foro est.

Hæc Velabrum uersus fuisse productam, significauit Var. ubi dixit. Laurentalia fieri in Velabro, qua in Nouam uiam exitur: non longe à porta Romanula. Et infra ait, Nouam appellari, cum iamdiu uetus esset: & loquens de ara Aij. Quæ est, inquit, in infima Noua uia. Liuij autem uerba innuere uidentur eam fuisse sub Palatio: quæ sunt hæc. Ex superiore parte ædium per fenestras in Nouam uiam (habebat enim rex ad Iouis Statoris ædem) populum Tanaquil alloquitur. Sed cum ibidem uicum Thuscum positum fuisse ostēderimus, cumq; nemo tradat uiam Nouam in eo sterisse, opinamur per mediam uallem fuisse deductam: ex eo quod idem Liuius commemorat, Templum Aij in hac uia situm esse, supra ædem Vestæ. Quod si animaduertis ubi hæc ædes sit posita, hanc opinionem (ut arbitror) non improbabis. Nijmauis eundem uicum & Thuscum, & Nouam uiam appellatum fuisse.

#### De Arcubus Romuli, & de Domo Ouidij.

##### Cap. XIII.

**A**rcus Romuli inter ædes sacras D. Mariæ liberatricis, & de Gratij, quidam fuisse aiunt, eosq; lateritios, Romanosque nunquam in marmoreos commutasse, ne conditoris memoria deperiret: de hisque intellexisse Iuuenalem ubi dixit.

Substitit ad ueteres arcus, madidamq; Capenam.

Quos ego crediderim non dissimiles fuisse illis fornicibus, quales posuisse Sertinium, duos ante sacras ædes Fortunæ, & Matutæ: & unum in Circo Max. illisque signa aurata imposuisse, narrat Liuius: siue illis, quorum alterum Horatio Coclitii: alterum uero Camillo attribuunt: neque hos habuisse bellici, & triumphali simulacra incisa, quemadmodum uidemus in his, qui hodie extant: nam hunc arcum usum suo tempore originem traxisse, testatur Plin. libro trigésimo quarto, cuius uerba sunt hæc. Columnarum ratio erat attolli supra ceteros mortales: quod & arcus significant nouitio inueto. Domus aut

Ouidij sub Capitolio fuit, ut ipse sic testatur.

Hanc ego suspiciens, & ab hac Capitolia cernens,

Quæ nostro frustra iuncta fuere lari.

Eam in uico Iugario, fuisse, prope ædem D. Mariæ de Consolatione hodie nuncupatæ, quidam tradidere

De Palatini montis etymologia: Palatio, eiusq; Atrio, & porta.

Cap. XV.

**Q**uoniam Regum, Imperatorumque sedes in Palatino monte præcipue fuerat constituta, hî propterea plurima, atq; magnifica in eo extruxere ædificia: quæ etsi iniuria temporum penitus sunt collapsa, eorû tamen ruina, tot, tantæque sunt, ut passim ab omnibus summa cum admiratione conspiciantur. At priusquam de hys ædificijs tractemus, de eiusdem montis denominatione agamus. Sed ea ita uaria traditur a scriptoribus, ut quem potissimum sequaris nescias. Varro. *Quarta*, inquit, regionis Palatium: quod Palantes, cum Euandro uenere, qui etiam Palatini, & Aborigines ex agro Rheatino, qui appellatur Palatium, ibi confederunt. Aliqui uero à palanto proauo Euandri Palatino monti nomén mansisse referunt, ut Virgilius. Liuius uero à Palanteo urbe Arcadiæ: alij à Palatia Latini uxore: alij quod Palantò Hyperborei filia, quæ ex Hercule Latinum suscepit, hunc incoluerit: alij à Palatia Euandri filia ab Hercule uiciata, ibiq; sepulta: alij à Palante eiusdem Euandri filio, qui & ipse in eodem monte sepulcrum sit consecutus: multi quod pecus ibidem pascens balare consueuerit. Tibullus

Sed tunc pascebant herbose palatia uacæ,

Et stabant humiles in Iouis arce casæ.

Vnde Neuius Balantium nominauit: uel quod Palare, hoc est errare armenta solebant. Tremellius autem hunc Romuleum montem appellauit. Qui nunc Palatium Maius dicitur: tamen si Palatium, Regû tempore, uix octauam montis partem occuparet: Ipsum autem quis postea auxerit, non satis constat: nisi quod Suetonius scribit, Caligulam partem ipsius ad forum usque promouisse. Gratianû hoc instans rauisse Ausonius sic innuit. Palatium cum terribile acceperis, amabile præstitisti. Atrium habuit augurato conditum, in quo consulebatur Senatus, arrietèsque immolabantur. Porta huius Palatij, ad quâ bello Sabinorum repulso esse Romanos commemorat Liuius, fuit eregione porticus Faustinae. In eodem Palatio, supra Iouis Statoris templum, habitauit Ser. Tullius, unus ex Regibus. Quanq; etiam in Exquilys domum habuisse infra dicemus.

De Grægostasi, Aede Cœcordiæ, Senaculo, & Basilica Opimiæ.

Cap. XVI.

**Q**uoniam loca quædam in margine Palatini montis sita, aditum in Comitium habebant, ideo dicuntur supra Comitium, non autem in eo, aut in Palatino monte fuisse: ueluti Grægostasis, quæ ipsi palatio adhebat: Propterea multis gradibus in eam fuerat ascensus, ut Cic. ad Q. Fratrem ostendit. Repente inquit, à Grægostasi, & gradibus clamorem satis magnum sustulerunt: & Varro sic ait. A' dextra, è Comitio locus substructus, ubi nationû subsisterent legati, qui ad Senatum missi essent. Is Grægostasis appellatur. Nomen autem à Græcis obtinuit: quia propter artes liberales, quibus præ cæteris nationibus eruditi erant, eorum legati præcipue, hoc loco, tanquam digniori, excipiebantur. In qua Grægostasi Aedem Concordiæ sitam fuisse testatur Plin. his uerbis. Flauius nouit ædem Concordiæ, si populo reconciliaisset ordines: & cum ad id pecunia publica non decerneretur, ex mulctatiua sceneratoribus condemnatis Aediculam aream fecit in Grægostasi, quæ tunc supra Comitium erat, inciditque in tabula aream eam, CIII. annis post Capitolinam dedicatâ.

D iij

Hanc noui quidam scriptores tradidere ab Opimio Cos. summo populi dolore instauratam, nocturneque inscriptum. **OPVS VECORDIAE TEMPLVM CONCORDIAE FECIT.** Appianus uero ait iussu Senatus fuisse excitatam. Sed probabilius uidetur de alia Concordiae aede, quae de hac, quam aeneam fuisse ait Plin. hoc intelligi. Concordiae aedem posuit etiam Liua Germanici mater, ob uiri cum ea concordiam: quam Tiberius dedicauit, ut meminit Suet. atq; Ouid. his uersibus. Te quoque magnifica Concordia dedicat aede

Liua, quam charo praestitit illa uiro.

Sunt autem qui uelint hanc fuisse eandem, quae in Graegostasi: quod ex Plin. falsum esse constat. Alij in area Vulcani collocata esse dixere: quidam ubi templum Pacis. Quodcumq; horum magis probaueris, non longe à Palatino monte, et arcu Vespasiani fuisse, comperies. Quod autem ait Plin. in Concordiae Delubro cornu aureo Augustae dono fuisse gemmā Sardonichem inclusam: Marsyamque religatum, et Caesandram à Theodoro pictam, de quo Delubro intelligat, dubium est. Senaculū autem fuisse supra Graegostasum, ubi aedes Concordiae, et Basilica Opimij, Senaculūque uocatum, ubi Senatus, uel ubi Seniores consisterant, dictū quae γαργεω: ἱα, auctor est Vtraro.

De Casa Faustuli: Domo Catilinae, ac Scauri: quid sit Germalus,  
et quid Velia. Cap. XVII

**C**asa autem Faustuli fuit supra Comitium, prope Graegostasum, et ficum Ruminalem: Catilinae uero Domus iuxta Basilicam Opimij: Scauri haud longe ab arcu Vespasiani: de qua Asconius sic loquitur. Demonstrasse uobis memini, hanc domum in ea parte Palatii esse, quae cum ab Sacra uia discesseris, et in proximum uicum, qui est ab sinistra parte prodieris, posita est. Haec Scauri domus Atrium habuit: cuius columnas mirae magnitudinis fuisse, scribit Plin. admiratusq; legem sumptuariam, et Censores tantam impensam dissimulanter tulisse, sic sequitur. Etiam ne tacuerūt maximas earum, atq; adeo duodequadragenū pedum Iulii marmoris in Atrio Scauri collocari: nec clam illud, occulteque factum est: satisdari sibi damni infecti egit redemptor cloacatum, cum in Palatium extraherentur. Locum autem ubi Faustuli Casam sitam fuisse diximus, Germalum Plut. appellasse uidetur: et Sex. Pom. ait. Germalum esse locum in urbe sic nominatum. At M. Var. de Palatii etymologia locutus subdit. Germalense quinticepsos, apud aedem Romuli: et Velientes sexticepsos in Velia, apud aedem deorum Penatium. Germalum à Germanis Romulo, et Remo, quod ad ficum Ruminalem, et hi ibi inuenti, quo aqua hyberna Tiberis eos detulerat, in alueolo expositos. Velia unde essent plures accipi causas: in quibus, quae ibi pastores palatini ex quibus ante consuram inuentam uelles re lanam sint soliti: quibus uerbis Varro significat, circa quartam Partem Palatini montis, uidelicet à Iouis Statoris templo ad Vespasiani propemodum arcum, Germali: inde uero ad Constantini arcum, Velia nomen sortitam esse. De cuius loci aedificijs nunc agamus.

De templis, Victoriae, Iunonis Sospitae, Penatium, Orci, Magnae  
Matris: ac de Domo Publicolae, et Ser. Tulij.  
Cap. XVIII.

**V**ictoriae Templum fuit in monte Palatino, haud procul ab ea turri, quae nunc Pallara dicitur: ubi prius P. Valerio Volesi filio Publicolae inter alios honores Domus de publico erat aedificata. Hanc autem foro eminentem, ob suspicionem regni affectati, Publicola in planum transtulit: propeq; turrim modo dictam eam collocauisse arbitramur: eaq; mox Subuelia est cognominata. Hanc Victoria aedem L. Posthumium Cos. dedicauisse, auctor est Lilius. Iuxta eam, Victoriae Virginis Aediculam fecit Cato, biennio postq; nouit. Ad ipsam fuerat Iunonis Sospitae Templū. Sequebatur deinceps

Deorum Penatium ædes : de qua idem auctor sic meminit. De prodigijs deinde nunciatis Senatus est consultus. Aedes deorum Penatium in Velia de cælo tacta erat : & Lioy. ita ait. Templum Romæ ostenditur haud procul à foro, in quo sunt deorum Troianorū imagines inscriptionem habentes. DII PENATES. Supra hanc fuit locus Palladij : ubi nunc uisur ædes D. Andreae cognomento in Pallara. Palladium autem fuisse prius in æde Vestæ testatur Plin. his uerbis. Metellus orbam luminibus exegit senectutem amissis incendio, cum Palladium raperet ex æde Vestæ : memorabili causa, sed euentu misero. Seruium autem Tullium, anteq̃ Curiam ædificaret, in hoc loco, ubi Penatiū ædem fuisse dictum est, Domum habuisse, scribit Solinus. Aedes autem Orci in proximo erat, nec multū distabat ab angulo Palatini montis incumbenti arcui Constantini. Quo in loco Heliogabalus deum Heliogabulum consecrauit, eique Templum fecit, studiosq̃ curauit, Matris Deum cyphum, Vestæ ignem, Palladium, Ancylia, & omnia Romanis ueneranda, religionemq̃ Iudeorum, & Christianorum deuotionē in illud transferre : id agens ne quis deus, nisi Heliogabalus, coleretur : ut Lamprius testatur. Supra Orci fuerat Magna Matris ædes : quam faciendā locauerunt M. Liuius, & C. Claudius Cens. Dedicauit Iunius Brutus, ludiq̃ ob dedicationē facti : de quibus Cic. sunt hæc uerba. Nā quid ego de illis ludis loquar ? quos in Palatio nostri maiores ante templum in ipso Magnæ Matris conspectu megalensibus fieri, celebrariq̃ uoluerunt : qui sunt more, institutisq̃ maxime casti, solennes, religiosi. Hanc ædem ideo ædificauit, quo eiusdem deæ simulacrum Pisinunte aduectū ex Victoriæ templo, ubi ad tempus statuerant, in eam transferrent.

De Templo, Fidei, Apollinis, eiusq̃ Bibliotheca : ac de Balneis  
Palatinis. Cap. XIX.

**T**emplum Fidei in umbilico ferè Palatini montis erat iuum : quod Rhoma Aeneæ neptis, ut Agathocles memoriæ prodidit, uel ut Liuius & Diony. Numa condidit. Vetustate autem prolapsum instaurauit Aug. Balneæ, quas Cic. pro Roscio Palatinas denominauit, fuere in dorso montis, ubi spondæ murorum altissimæ adhuc extant. Ad eas pars aquæ Claudiæ erat deducta, ut aquæ ductus uestigia indicant. Ad eam autem partem Palatini montis, quæ uergit ad circum Max. nonnulla Templi Apollinis uestigia cernuntur, ab Augusto ideo excitati : quia cum pars illa esset fulmine icta, Aruspices pronunciarunt, eam ab Apolline desiderari. In hoc fuere lychnuci : de quibus Plin. sic meminit. Placere & Lychnuci pensiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium lucentes : qualis est in templo Apollinis Palatini : & idem innuit, eius Dei Simulacrum à Scopa factum, & Dianam à Thimoteo in eo templo fuisse : sic enim inquit. Scopas fecit Apollinem Palatinum, & rursus. Timothei manu Diana Romæ est Apollinis Delubro, cui signo caput reposuit Aulanius Euander. De huius templi Porticu meminit Suet. sed eam laudat Propertius, & fores templi eburneas fuisse cicit : iuxta fastigium uero curram Solis ex auro splendētē : & in Area quatuor boues, hoc ē Pretidas æneas à Myrione factas. In eadem area fuit locus Roma Quadrata dictus, ubi reponebantur ea, quæ solebant boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi : quod saxo munitus esset in speciem quadratā, auct. Sex. Pom. In eodem templo Augustus iam senior sæpe Senatum habuit, & decurias ludicum recognouit : cui templo addidit Bibliothecam, Latinam, Græcāq̃ : in qua Senatus Statuā Numeriano imp. posuit, subscriptam. D. NUMERIANO ORATORI POTENTISSIMO. Porticū eiusdē templi exornauit Statua M. Varronis adhuc uiuentis, teste Pollione : Bibliothecā uero Apollinis Colossus, quem Plin. ita laudat. Videmus certe Apollinem in bibliotheca templi Augusti thurscanicum. L. pedum à pollice, dubium ære mirabiliorem, an pulchritudine.

De Domibus, Augusti, Tiberij, Ciceronis. M. Flacci, Craffi, Q. Catuli,  
& Romuli : ac de Templis, Victoriæ, & Libertatis.  
Cap. XX.

**T**emplo autem Apollinis, de quo superiori capite fuit mentio, proxima erat Domus Augustana : in qua natum esse Augustum, sic scribit Suet. Natus ē Augustus in regione Palatii, ad Caput Bubula : ubi nunc Sacrarium habet : aliquanto postquam excessit, constitutum. Habitauisse autem primo iuxta forum super scalas annularias in domo, quæ Calui Oratoris fuerat, postea in Palatio, nihilominus ædibus modicis Hortensianis, neque laxitate, neque cultu conspicuis, idem est auctor. Domus autem Tiberij Imp. non longe hinc aberat, ut innuit Cor. Tac. his uerbis. Ocho ex æde Apollinis discedens per Tiberianam domum ad Milliarium aureum pergit. In hac fuisse Bibliothecā scribit Gellius. Victoriæ Templum, præter id de quo supra diximus, alterum in uertice Palatini montis ab Arcadibus, qui cum Euandro uenerant, erectum fuisse, narrat Dionysius. cui Deæ anniuersaria fierent sacra. In reliqua autem montis parte, quæ Capitolium eregione habet, quia eius latus est omnium minimum, magnamque partem occupabat Palatium, pauca priuatorum habuit ædificia : sed ex Antiquissimis Casam Romuli : qui cum pastoralē ageret uitam cum fratre ex lignis, harundinibusque sæpe tabernas struxit : quarum unam scribit Dionysius. ætate sua fuisse in angulo ex Palatio in Circū ducente. Angulū intellige, qui imminet Velabro. Domus autem Cic. quā, acceptis mutuo, ut ait Gellius, à P. Sylla sextertijs uicies, à L. Crasso emit, fuisse prope Iouis Satoris templum plerique omnes consentiunt, de qua ipse Cic. ita meminit. In conspectu totius urbis domus est mea. Ea incendio direpta, ibi P. Clodius Libertatis Templum cum porticu struxit. De incendio illo idem Cic. sic conqueritur. Domus ardebat in Palatio, non fortuito, sed oblato incendio. Huic prope fuit M. Flacci Domus, quæ euersa Q. Catulus Porticum extruxit. Hanc, & Catuli, & L. Crassi laudans Plin. sic inquit. Crassus Orator fuit in primis nominis Romani : domus ei magnifica, sed aliquanto præstantior in eodem Palatio Q. Catuli, qui Cimbro cum Mario fudit. Quibus uerbis constat eos hallucinari, qui has in colle Viminali fuisse dixere. Altera domus Ciceroni fuerat in Ceramio, ut is ad Att. scribens affirmat, ad eamque expugnandam Clodium P. Syllæ domum pro castris sibi sumpsisse ait.

De uarijs ædificijs, rebusque nonnullis, quæ in Palatino monte  
olim fuere. Cap. XXI.

**A** Edificia præterea multa habuit Palatinus mons : quorum ne ruinas quidem per uineta, quæ ibi consita sunt, discernere licet. In eo Fanum Febris situm fuisse constat ex Val. Max. sic enim ait. Febrem ad minus nocendum templis colebant : quorum adhuc unum in Palatio : alterum in Ara Marianorum : tertium in summa parte uici Longi : & ex Cic. Illud, inquit, profectò confiteamini longe aliter rem se habere, atque hominum opinio sit : eos enim qui Dij appellantur, rerum naturas esse, non finguras deorum. Qui tantus error fuit, ut perniciosius etiam rebus non nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur? Febris enim Fanum in Palatio uidemus : & Plin. Ideoque etiam Febri Fanum in Palatio dicatum est. Aram quoque eiusdem Febris, Aedemque Larum, & Curiam Saliorum, in qua, cum flagrasset, inuētus est Lituus Romuli illaesus, in Palatio fuisse, idem Cic. testatur : & Deæ Virioplacæ Sacellū, in quo uiri, & uxores, cōtentione depositæ, cōcordes domū reuertebant, Val. Max. Iouis Victoris Templum à Q. Fabio bello Sabinorum uotum, Linius : Præterea Auguratoriū, ubi auguria capi bantur, Locumque alterum, qui Sicilia dicebatur, & Iouis Cenatio, Iulius Capirolinus : Placæque pulcherrimas saxis Lacedæmonijs, ac porphyreticis stratas, Lampridius. Domus etiā Cæsaris in eodem Palatio fuit. Plin. Consumptam, inquit, eam tabulam constat priore incendio domus Cæsaris in Palatio. Ibidemque, eodem auctore, fuit Apollo, & Diana manu Lysiae : sic enim ait. In magna auctoritate habitum Lysiae opus, quod in Palatio super arcu D. Augustus honori Octauij patris sui dicauit, in ædícula columnis adornata, idest Quadriga, currusque, & Apollo, ac Diana ex uno lapide. Item fuit in eodem monte Statua aurea Britanici à Tito imp. posita, ut scribit Suetonius. Ibidem etiā erat Laurus nata eo die, quo Augustus : ex qua triumphantes coronabantur, & Arbor ex hasta Romuli,

quæ captato augurio ex Auentino in Palatinum ab eo missa terræ fixa dicitur, ac frondes emisisse, creuisseque in arborem. Habuit item Palatinus mons Vicum cognomento Padi: & alterum Fortunæ Respicientis: Domumque cuiusdam Viturbi, de qua Plin. meminit, & Vani, de qua Lilius. In eo et celebrabantur feriæ Septimontium, & sacrificium, quod Palatiar dicebatur, auctor Antistius Labeo.

## LIEER TERTIVS.

De Foro Romano: Templis, Cæsaris, Castorum, & Augusti: ac de Rostris. Cap. Primum.



ERACTA descriptione ædificiorum montis Palatini, consentaneū erit à uicinioribus ijs, quæ descripta sunt, initium facere. Igitur à Foro Romano, siue Magno, quod et Latium forum Stadius appellauit, exordiamur. Hoc enim ab eo loco, ubi arcum Septimij positum uidemus, cœpisse, finemque ad portam Palatij habuisse, innuit Lilius: narrans, Curtium ab arce decurrisse, egressique Romanos effusos toto quantum foro est spatiū, usque ad portam Palatij: Quod spatium longitudinis passus centum plus minus perficit, Latitudinis uero quinquaginta, à Iouis Statoris templo ad Antonini pñ porticum. Ab eadem autem Palatij porta, fere ad arcum Vespasiani, Comitij nomen obtinuit. Quidam uero forum usque ad eundem arcum protensum esse uoluerunt: quorum opinionem uidetur assentiri Dionysius, memorans, Publicolam in colle foro eminenti domum habitauisse: quā in Velia fuisse, supra dictum est. Contra sentire uidetur Suetonius, qui templum Pacis foro proximum esse dicit: adeo ut à foro id templum excludat: quod tamen ei proximius erat, quā domus Publicolæ. Hoc autem quidquid est discriminis diluere perfacile est. Nam quæ pars fori Comitium appellabatur, nomen et fori obtinebat: Publicolæ præsertim temporibus: quod Plinius etiam significat: qui libro. xiiij. ait, si cum arborem in foro, atque Comitio coli: cum tamen unica esset arbor, eaque in Comitio. Verū tempore quo primum Annibal in Italiam descendit, cum Comitium tectum esset, ut Lilius septimo belli punici prodidit, à foro capit distinguere. Cur autem Suetonius non dixerit templum Pacis positum esse in comitio, ea uidetur ratio: quia inter utrunque media intercurrere uia Sacra. Sed uideamus quæ in foro erant, & primo à dextra. Templum D. Iulij in medio foro positum fuisse significat Cor. Tac. cū ait, Galbam imp. ante ipsum primo ictu iacuisse, sanguineque suo infecisse Curtii Lacū: quem uerusus, aditus templi patebat. Appianus autem tradit, cadaver Cæsaris in forum delatū, eoque in loco Aram, mox templum illi erectum esse: in quo Castorum, & Victoriæ Imaginem in tabula pictā posuit Augustus: atque in eiusdem Cæsaris Delubro Venerem à mari exeuntem dedicauit. Castorum autē Aedem, quā omnes in foro fuisse affirmant, in qua tamen parte non conueniunt. Dionysius autem haud procul à Vestæ fuisse innuit, his uerbis. Huius autem inopinata, admirabilisque apparitionis cum signa adhuc Romæ multa, tum uero est ædis Pollucis, & Castoris, quam supra forum extruxit ciuitas, ubi uisa sunt illorum simulacra: et mox. Specie pugilum, equosque madidos sudore ad scaturiginem, iuxta ædem Vestæ manantem, abluere. Appianus autem commemorat Aselium Prætorem forte sacra Castori, & Polluci in foro faciētem, cum quidā lapide phialā excussisset, ad Vestæ ædem cucurrisset: ex quorum uerbis apparet, ædem Castorum prope Vestæ, forumque Romanum ita sitam, ut à fronte hoc, illā uero à tergo habuerit. Hanc Castoris ædem A. Posthumius Dictator bello latino uouit, eiusque filius duumuir creatus dedicauit. Cicero. Non ne, inquit, ab A. Posthumio ædem Castori, & Polluci in foro dicatam uides? et iterum pro Domo sua, atque pro Sextio eius gradus à Clodio reuulsos testatur: & S. C. concionesque in eadem sæpe habitas. Asconius uero L. Metellum hanc instaurasse tradit: &

Plut. Ceciliū Metellum Floræ Simulacro pulchritudine insigni exornauisse. Inerat & tabula monimentum ciuitatis equitibus Campanis data. Ante eandem ædem fuit Statua equestris togata Q. Marci Tremuli, qui Samnites bis deuicerat, captæque Anagnia populum stipendio liberauerat. Et licet hæc ædes geminis fratribus esset dedicata, tamen Castoris tantum uocabatur: arbitramurque fuisse inter porticum Concordiæ, & Cæsaris templum. Illa uero, quam Suet. refert Tiberium Cæsare suo, fratribusque nomine de manubijs Castori & Polluci dedicauisse, nisi de eadem intelligat, ab ipso instaurata, quo in loco fuerit, incertum habemus. In proximo loco erat Augusti Templum, quod à Tiberio imperfectum relictum Caligula absoluit, pontiq; super ipsum transmissio Palatium Capitolio coniunxit. Dehinc autem sequebantur Rostra Noua, ad radices Palatii sita, proxima Iouis Statoris templo. Ser. gram. Romanum, inquit, forum ubi nunc Rostra sunt. Sed quia ubi de uetribus rostris agemus plura de his erunt dicenda, horum locum hic attigisse satis erit.

De Carcere Tulliano, Arcu Septimij, Milliario Aureo, Equo Domitiani, &  
de Lacu Curtij, Ianiq; Sacello. Cap. II.

**C**arcerem Tullianum, cuius auctor Ancus rex, in capite fori, sub Capitolio situm fuisse, sic innuit Cic. Cum de foro currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent: & Liuius sic. Fecit carcerem media urbe imminentem foro ad terrorem crescentis audaciæ. Quod Vitruuij præceptis consentaneum est, qui ait, Aetarium, Carcerem, Curiam foro esse coniungendū. Vnde autem Carcer, & unde Tullianum diceretur, docent Varronis hæc uerba. Carcer à coercendo, quod exire prohibentur: In hoc pars, quæ sub terra, Tullianum: ideo quod additum à Tullio rege: quod Syracusis, ubi hac de causa custodiuntur, uocantur Latomiae, & de Latomia trāsflatum. De Tulliano Salustius sic inquit. Est locus, in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paulum descenderis depressus ad læuam circiter. XX. pedes: eum muniunt undique parietes, atq; insuper camera lapideis fornicibus iuncta: sed inculta tenebris, & odore fædo, atque terribilis eius facies. Latomias uero de quibus Var. meminit Cic. in Verrem sic describit. Latomias Syracusanas omnes audistis, plerique nostis: opus est ingens, magnificum, regum, ac tyrannorum: totum est ex saxo in mirandam altitudinem depressum, & multorum operis penitus excisum. Nihil tam clausum ad exitus: nihil tam septum undique: nihil tam tutum ad custodias, nec fieri, nec cogitari potest. Extat autem etiam nunc camera, non absimilis ei, quam à Cic. descriptam attulimus: ad cuius læuā per gradus in Tullianum erat descensus: extatq; in fronte titulus sequens.

C. VIBIVS. C. FILIVS RVFINVS M. COCCEIVS. M. F. NERVA COS. EX. S. C.

Ex quo conijcimus hunc carcerem post Anci, & Tully regum tempora instauratum, ampliātūque fuisse. Est autem hodie D. Petro cognomento in carcere, dicatus. Arcus Septimij in proximo etiam nunc extat, in quo incisæ sunt alata uictoriæ cum trophæis, & terrestris, naualisque belli simulacra, & in superiori parte a fronte, & à tergo titulus qui mox sequitur.

Esi in urbe plures arcus triumphales sunt, tamen arbitrati sumus ex unius tantum exemplo, quod inseruimus, facile omnium formā intelligi posse. Idem dicimus de columnis, obeliscis, metis, & pōribus.



IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO M. FIL. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. PATRI PATRIAE. PARTHICO. ARABICO. PARTHICO. ADIABENICO. PONTIF. MAXIMO. TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET  
IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO. AVG. PIO. FELICI. TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. P. P.

OPTIMIS. FORTISSIMISQ. VE. PRINCIPIBVS


OB REM. PVBLICAM. RESTITVTAM. IMPERIVMQ. VE POPVLI. ROMANI. PROPAGATVM  
INSIGNIBVS. VIRTVTIBVS. EORVM. DOMI. FORISQ. VE

S.

P.


Q.

R.





IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO M. FIL. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. PATRI PATRIAE. PARTHICO. ARABICO. I  
 PARTHICO. ADIABENICO. PONTIF. MAXIMO. TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET  
 IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO. AVG. PIO. FELICI. TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. P. P.  
 OPTIMIS. FORTISSIMISQ. VE. PRINCIPIBVS  
 OB REM. PVBLICAM. RESTITVTAM. IMPERIVMQ. VE POPVLI. ROMANI. PROPAGATVM  
 INSIGNIBVS. VIRTVTIBVS. EORVM. DOMI. FORISQ. VE  
 S. P. Q. R.



Milliarium Aureum ueluti columna, sue meta, unde principium itineris ad omnes portas, omnēque iter capiebatur, fuit ante arcum, de quo modo diximus: de eo Suet. in Orthonis uita sic meminit. Ergo destinata die præmonitis conscijs, ut se in foro, sub æde Saturni, ad Milliarium aureum opperirent, mane Galbā salutauit. Plin. supra, in fori capite locatū fuisse ostendit. Cor. uero Tac. Suetoniūque ante Saturni ædē: omnes recte: erant enim hæc loca inuicem prope. Idem Plin. ait Mineruam Castilianam, opus Eufranoris, à Q. Catulo dedicatam, fuisse infra Capitolium: & ut par est credere, ipsum forum spectantem. Equus æneus Domitiani fuit prope eā columnā, quæ unica stat in medio foro, auro superfusus: de quo Papinius ita meminit.

Quæ super imposito moles gemmata colosso

Stat latium complexa forum.

Cuius sub altero pede erat Rhēni fluminis Germaniæ simulacrum: de qua pronincia Domitianus triumphauerat. Idem,

Ænea captiui crinem tegit ungula Rhēni.

Proximo loco in hortis, columnæ paulo superius memoratæ adiacentibus, fuit Lacus Curtij: cuius etiam idem Papinius mentionem facit, his uersibus.

Ipsæ loci custos, cuius sacrata uorago

Famosusque lacus nomen memorabile seruat.

Per quem lacum fuisse Cloacam derivatam refert M. Varro. De eodem lacu hæc sunt Diony. uerba. Est hic locus repletus, uocaturque ab illo casu lacus Curtius, in medio maxime Romani fori. De eo autem uaria est historia, Cornelius & Luceius uolunt, locum esse fulgure ictum, & ex. S. C. à Curtio Cos. septum, & ab eo nomen inditum. Piso autem in annalibus à Metio Curtio Sabino: qui in bello contra Romulum repulso exercitu in hunc locum palustrem secesserit, illæsusque ad suos in Capitolium peruenerit. Porcilius uero à Curtio Romano: qui cum forte uorago in medio foro esset facta, neque expleri posset, ex uatum responsis pro patria se se deuonit, in eamque equo armatus insidens se immisit. Porcilio assentitur Sex. Pom. cuius sunt hæc uerba. Curtilacum appellatur à Curtio, qui eo loco in profundissimum se ob salutem Po. Ro. proiecit hiatum. In eandem sententiam Plin. sic inquit. Fortuito satū uenit in medio foro, qua sidentia imperij fundamenta ostento fatali Curtius maximis bonis, hoc est uirtute, ac pietate, ac morte præclara expleuerat. Controversiam autem, quæ inter Pisonē, & Porcilium esse uidetur, tollit Linius. Nam dicit, Lacum hunc à Curtio Sabino prius denominatum esse: postea uero quam Curtius Ro. in hiatum se proiecit, à recentiori eius facinore nomen lacus insignius esse factum, & tanq̃ prioris Curtij memoria extincta, ab eo lacum Curtium appellari cœpisse. Iani Templū fuisse in medio foro exaduerso Capitolij tradit Procopius. Erat, inquit, Sacellum totum ex ære constitutum, quadrata quadam dimensione, tantaque amplitudinis, quanta integra Iani statua poterat ænea quinquepedalis capi: capite duntaxat bifrons: portæ utrinque æneæ, quæ pacis tempore clauderantur, instante autem bello aperiiebantur: uocabaturque Ianus Geminus. Fuit autem prope equum Domitiani.

De Marfori Statua: Secretario Po. Ro. Templo Saturni, Aerario,  
ac de Officina Monetæ. Cap. III.

**A**Nte carcerem Tullianum iacet, ueluti in scopulo, marmoreum, ingens simulacrum Rhēni fluminis, eius, ut existimo, cuius crinē ungula equi Domitiani premebat. Nihil enim impedit quòd marmoreum sit, equus tamen fuerit æneus, cum cippum ei marmoreum subesse par sit credere. Proxime sequitur ædes, nunc D. Martiæ dicata, ubi olim Secretarium Po. Ro. fuisse, indicat inscriptio sequens, quæ in eadem æde extat.

SALVIS

SALVIS DOMINIS NOSTRIS. HONORIO ET THEODOSIO VICTORIOSISSIMIS =  
PRINCIPIBUS

SECRETARIVM AMPLISSIMI SENATVS QVOD VIR INLVSTRIS FLAVIANVS =  
INSTITVERAT ET FATALIS IGNIS ABSVMPSIT

FLAVIVS ANNIVS EVCHARIVS EPIFANIVS. VC. PRAEF. VRB. VICE SACRA =  
IVL. REPARAVIT ET AD PRISTINAM FACIEM REDVXIT

Saturni autem Templum id fuit, quod nunc D. Hadriano est dicatum : de quo Macrobius hæc tradit. Tullum Hostilium, qui bis de Albanis, de Sabinis tertio triumphauit, inuenio, Fanum Saturno ex uoto consecrauisse, & Saturnalia tunc primū Romæ instituta. Quamuis Varro libro. VI. qui est de Jacris ædibus scribat, ædem Saturni ad forum faciendam locasse. L. Tarquinium regem, T. uero Largiū ditatorem saturnalibus eam dedicasse. Nec me fugit Gellium scribere, Senatum decreuisse ut ædes Saturni fieret, ei' q; rei. L. Furium tribunum militum præfuisse. Hactenus Macr. Suetonius uero à Numat'io Planco cōstruētū refert. Sed cū plura fuisse Saturni templa, ex ijs, quæ citauimus, satis constare uideatur : non tamen inuenire potui, quo in loco fuerant constructa : præter illud cuius in superiori libro meminimus, & de quo in præsentia est sermo. Aerariū in foro fuisse significat Asconius. Cum testes, inquit, examinarentur ( agebatur enim causa pro rostris ) Pompeius ad Aerariū sedens tumultu Clodianæ multitudinis perturbatur. Quod ideo in hoc templo posuū esse Sex. Pom. & Macrobius aiunt, quia sub Saturno nullū furtū fuerit cōmissū, nec quicquā esset priuatū. Plut. uero, quod sub eodē, nec auaritia, nec improbitas, sed iustitia, & fides. Cyprianus aut, quod Saturnus in Italia primus instituerit numos signare, ideo Saturni ærariū uocari. In eo promulgata seruabant. Cic. de legibus. Qui agent auspicia seruanto. Auguri publico parçto, Promulgata pposita in ærario cognita agiuto. Seruabantur et libri Elephantini, in quibus. XXXV. essent cōscriptæ tribus, Omnēsque publicæ rōnū libri. Suet. Tabulas ueteres ærarū & debitorū, uel præcipuā calumniandi materiā exussit Cæsar. Ibidē reponabantur et signa militaria. Lilius. Signa, inquit, eo die à Quæstoribus ex ærario prompta. Asconius ait, Veterē diligentia fuisse, ut quod quisque de subiugata prouincia per triumphum apportauisset, perscriptū in tabulis in ærariū reponendis, cōseruaretur. Quod & Cic. in Verrem significat. Præterea Censores in Saturni templo iurandū subire cogeantur. In templi huius fastigio fuisse Tritonas cū buccinis, refert Macrobius. Ante uero Siluani Simulacrum extitisse ostēdit Plin. his uerbis. Ficus arbor fuit & ante ædem Saturni, urbis anno. CCLX. sublata sacro Vesialibus factō, cum Siluani Simulacrū subuerteret. In proximo aut loco, nō longe à Templo Antonini, uidimus effodi magnā ærore numore copiam : qua re multis uisum est nō leue argumentum, ibi fuisse Officinā Monetæ, à Capitolio unā cū ærario hunc in locum translata.

De Basilica Pauli Aemilij, Templo Faustinae, Arcūq; Fabiano. Cap. III.

**P**Aulus, inquit Cic. ad Atticū, in medio foro Basilicā iam penē texuīt iisdē antiquis columnis. Illā aut, quā locauit, fecit magnificentissimā. Quid quæris ? nihil gratius illo monimēto, nihil gloriofius. Plin. et hanc inter urbis magnifica, columnisque è phrygibus mirabilem enumerat. Plut. tradit, Paulum Aemiliū collegam Cai Marcelli in consulatu mille, & quingentis talentis acceptis, Cæsari amicū, ac defensorē factum eē, eaque pecunia nobilissimam in foro extruxisse basilicā, quæ Pauli dicere: licet publicā cōstituisset, ut testat' Appianus. Fuit inter Saturni, & Faustinae tēpla, ubi uidim' effodi colūnas iğētes marmoreasque tabulas, multaq; alia ornamēta diuersi marmoris optime calata. Papini' in descripiōe equi Domitiani à sinistra hæc, à dextra Iulij Cæs. tēplū fuisse ostēdit, his carminib'.


At laterum passus hinc iulia templa tuentur,

Illinc belligeri sublimis regia Pauli:

Terga pater, blandōque uidet Concordia uultu.

Sed Basilica illa, quam locauisse ait Cic. Aemilia dicta est : de qua in principio libri quarti erit mētio.

E



Faustina autem Templi bona pars in proximo est: & eius porticus decem ingentes columna cum epistylis, & hac inscriptione.

DIVO ANTONINO ET  
DIVAE FAVSTINAE EX. S. C.

De hoc Spartianus sic meminit. Antoninus inter deos relatus ē: habet templum: habet Salios: habet Sodales Antonianos, qui Faustina templū: quod ei fundauerat maritus, in quo postea filius huius Helioabalus Antoninus sibi, uel Ioui Syrio, uel Soli, incertum id est, templum fecit. Arcum autem Fabianum apud hoc templum fletisse asserit Tremellius: cuius reliquias proximis annis uidimus effodi. hunc à Fabio Cens. qui deuicit Allobroges, excitatū esse ait Asconius: in quo fuerant scuta, & signa eius uictoriae. Ad hunc situm erat Tribunal Libonis Prætoris, Puteal dictum: de quo Horatius mentionem sic facit. Putealque libonis Mandabo siccis, adimā cātare seueris: & Ouidius hoc carmine. Qui puteal, Ianūmque timent, celerēs que Calēdas. Fœneratores enim stabant ad Ianum: & apud fornicem Fabianum ius dicebatur: de quo arcu Cic. pro Plancio sic inquit. Equidem si quando, ut fit, iactor in turba, non illum accuso, qui est in summa sacra uia, cum ego ad Fabianum fornicem impellor. Est apud nos numisma argenteum, in cuius altera parte Libonis imago est cælata, cum inscriptione. LIBO BONE VEN. In altera uero tribunal, supra quod est. PVTEAL. infra uero. SCRIBONI.

#### De Varijs rebus, quæ in foro fuisse dicuntur. Cap. V.

**S**TATUÆ matris Simulacrum in foro colebatur, postquam id colustrauit, ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore, magna pars populi in suos quisque uicos res tulerūt eius deæ cultū, auctor Sex. Pom. In eodē foro Statua equestris Cæsari erat posita, & eius capiti sydus crinitū adiectū: quale in eius numismatis sæpe uidimus. Aliā Statuā Augusto à Senatu ibidē posuā fuisse cōmemorat Cic. ī Epist. ad ipsum Augustū scripta. Multis præterea alijs ornatū fuisse forū innuit Plin. hisce uerbis. L. Piso pdidit M. AEmilio & C. Popilio. II. Coss. à Cæsaribus P. Cornelio Scipione, M. Popilio Statuas circa forū eorū, quæ magistratus gesserūt, sublatae oēs, præter eas, quæ Populi, aut Senat⁹ sententia statuta essent. Ex his aut quasdā hic recensere possemus, uerū quia quæ in Comitio, atque in Rostris fuere, in foro fuisse sæpe dicuntur, proprijs in locis magis opportune exponent. Erāt insuper in foro columnæ uarij generis. Primā omniū C. Mænio statutam eē idē Plin. sic cōmemorat. Antiquior Columnarū sicut. C. Mænio, qui deuicerat priscos Latinos: quibus ex fœdere tertias prædæ Po. Ro. præstabat, eodēque in cōsulatu ex suggestu Rostra deuictis Antiatribus fixerat, anno urbis. CCCCXVI. Ite C. Duellio, qui primus nauale triumphū egit de Pænis, quæ ē etiam nunc in foro.

Columnam aliam solidam lapidis numidici, propè XX. pedum altitudine Po. Ro. Casari erexit: cum titulo. PATRI PATRIAE. de qua Cic. inquit. Talis animaduersio fuit Dolobellæ, cum in audaces, sceleratòsque; seruos, tum in impuros, & nefarios liberos: talisque euersio illius execratæ columnæ. Et iterum ad Atticum se eā iustulisse dicit.

Sic at adhuc in foro unica columna, cui, ut uidetur, nihil erat adiūctum, ideo honoris, uirtutisque causa alicui horum positam fuisse existimamus: præsertim quòd in uno latere plinii cernitur adhuc quædam literæ, sed uetustate ita consumptæ, ut nullum percipias sensum: & forte ea est columna, quam Plin. sua ætate in foro stetisse ait. Cuius exēplū superius adieci. In foro, inquit, Diony. erat petra angularis super qua posita fuerāt spolia Trigeminorum Albanorū, pila Horatia dicta, sed arma collapsa sunt uetustate. Nostra aut ætate ne ipsius quidem pilæ extat uestigium. Decorauit forum et Equus Casaris, & Equus Constantini, & Atrium Mineruæ. Erantque in eodem foro Tabernæ nouæ, de quibus Linius sic loquitur. Eodem tempore septem Tabernæ, quæ postea quinque, & Argentariæ, quæ nunc Nouæ appellantur, arserunt: & Varro. Sub nouis dicta pars in foro ædificiorum, quod uocabulum eius peruetustum, ut nouæ uia, quæ iam dudum uetus. Vbi autem Var. sub nouis dicit, Tabernis sub intelligendum puro, neque uideo quid aliud intelligi possit. Doliola locus et erat in foro, apud Cloacā, sic uocatus, quod inuadentibus Gallis Senonibus urbem, sacra ibi doliolis reposita fuerunt, ut scribit Sex. Pom. Vetusior autem memoria ē, eo in loco mystica quædam Numæ condita esse. Sunt qui putant dictorum Gallorum cineres conditos esse. Veneris item Cloacinæ ades fuit ad Sacram uia, auc. Ouidius in fastis. Cuius simulacrum in Cloaca repertum: & quia cuius esset effigies ignorabatur, ex loco illi nomen imposuim: de quo simulacro Plin. ita meminit. Quippe ita traditur Myrtea uerba Romana, Sabinosque cum propter raptas uirgines dimicare uoluissent, depositis armis purgatos eo in loco, qui nunc signa Veneris Cluacina habet. Cluere. n. antiqui purgare dicebant. Exornarunt autem forum & tabulæ pictæ. L. Hostilius Mancinus, inquit idem Plin. qui primus Carthaginem irruerat, suum eius, expugnationesque de pietas cum in foro proposuisset, & ipse assistens populo spectanti singula enarrabat. In eodem foro magistratus imperium deponere consueuisset, auctor est Herodianus: & spectacula edi, iusque multis in locis dici, idem Plin. ostendit, cum ait, Casarem in munere gladiatorio forum texuisse: & picum Martii in capite Prætoris urbani. L. Tiberonis iura in foro pro tribunali reddenti sedisse, ita placide, ut manu eum apprehenderet.

De Comitio, Templo Quirini, Columna Moenia, Basilica Portia, Curia Hostilia, & Veteri, ac de Rostris ueteribus. Cap. VI.

Comitiales dies appellabant, cum in Comitio conueniebant, qui locus à coeundo idest simul ueniendo est dictus, auc. Sex. Pom. Plut. uero quod illuc T. Tatius, & Romulus coierint, & inter eos fæderis conditiones sancitæ, firmatæque fuerint, Comitii dictum putat. Asconius ait esse locum, quo coire Equitibus, & Po. Ro. liceret. In eo fuit Hermodori Ephesii Statua, legum, quas Decemuirescribebant, interpretis, publice data. Et alia Horatii Coclitis, posita, quòd solus à ponte Sublicio hostes arcuisset. Hanc usque ad sua tempora durasse asserit Plin. seque inuenire Pithagoræ, & Alcibiadis Statuas in cornibus eiusdem positas fuisse. Sed ad ædificia, quæ in ipso erant, ueniamus. A porticu Faustina, quæ in foro eē diximus, proxime sequitur (ut significat Sex. Rufus) Remi Templū, nūc D. Cosmæ, Damianoque sacrum. An hoc Quirino: quidā utrique attribuunt. Dedicatum aut fuit a Caruilio Cos. uictis Samnitibus, ex illorumque spolijs exornatum: auc. Linius. Prima pars in ipso ingressu ē circularis, postrema uero quadrata, sed oblonga, ex saxisque quadratis: ualua ænea. Deinceps sequebatur olim Domus Mænij, Curiaque Hostilia, & Verus. Sed, qua domus Mænij fuerat, Cato ex ære publico Basilicā deinde extruxit, uicinā foro, quā Portiā appellauit. Huius basilicæ Trib. pl. quoniā in illa ius dicere consueuerant, columnā, quæ sellā eorum impedire uidebatur, tollere decreuisset, scribit Plut. ex quibus uerbis constat Basilicas fuisse loca, ubi ius diceret, negotiatoresque frequenter uersarent: quod & Vitruuius his uerbis testatur.

E ij

Basilicarum, loca adiuncta foris quam calidissimis partibus oportet constitui, ut per hyemem sine molestia tempestatum se conferre in eas negotiatores possint. Iuxta erat Columna, Moenia appellata: Nā cū Moenius, eam domū uenderet Catoni, & Flacco Cens. ut ibi Basilica, quā diximus, edificaretur, exceperat ius sibi, unius columnæ ut super eā tectū prouinceret, & prouolantibus tabulatis inde ipsi, & posterius eius spectare munus gladiatorū possent: quod etiam tum in foro dabatur: ex illo igitur Columna Moenia uocitata est: de qua meminere Asconius. Sex. Pom. & Cic. pro Sextio. Inter hanc igitur Basilicam, & Curiam Veterem, posita erat Curia Hostilia, sicut indicat titulus, ibi in ruinis repertus, huiusmodi. IN CVRIA HOSTILIA. Eam sub ueteribus Hostilium regem edificauisse asserit Varro: nam Veteres struxit Romulus. Sex. Pom. Fuerunt, inquit, & Nouæ Curia proxime compitum Fabricij edificatæ: quod parum amplæ erant ueteres à Romulo factæ: ubi is populum, & sacra in partes. XXX. distribuerat, ut in ijs ea sacra curarent. Plin. literis tradidit. M. Val. Max. Messalam primum omnium Tabulam picturæ prælij, quo Carthaginienses, & Hieronē in Sicilia deuicerat, anno ab urbe condita. CCCCXC. proposuisse à latere curiæ Hostiliæ: & ante hanc collocatam esse statuam Actij, cuius basis conflagrauerit curia ipsa incensa. P. Clodij funere. Cic. & Liuius hoc amplius addunt. Eius cotem, & nouaculam ibidem de fossam esse, superque imposuū Puteal. Asconius autem refert, corpus Clodij, ut uulnera uideri possent, delatum in forum, & pro Rosiris positum, populumque deinde in Curiam tulisse, atque cremauisse, eoque igne Curiam, portiamque Basilicam, ei coniunctam, conflagraisse. Ante eandem Curiam Rosira instituta esse commemorat Varro. Ipsūque de Rosiris Veteribus intellexisse significant Asconij hæc uerba. Erant enim Rosira non eo loco, quo nunc, sed ad Comitium, propè iuncta Curia. Etenim fuisse Rosira Vetera innuit Suet. cū ait Augustum bifariam laudatum, pro æde D. Iulij à Tiberio, & pro Rosiris ueteribus à Druso Tiberij filio. Nam nisi tunc fuissent etiam noua, non addidisset, ueteribus. Aliqui tamen Subueteribus unica dictione legentes, locum quēdam Subueteribus nuncupatum fuisse uolunt: quod hisce Plinij uerbis probare conantur. Hinc ille iocus M. Crassi agentis sub ueteribus. Sed mihi manifestū uidetur Varronem, ubi dixit Hostilium edificauisse Curiam sub ueteribus, intellexisse curijs, uidelicet quas Romulus prius posuerat: & ad eundem modum Suet. & Plin. intellexisse existimo: & quia circa forum multa erant tribunalia, ideo ait, Crassum egisse sub ueteribus. Quod si cuiuspiam loci nomen proprium fuisset, Subueteribus unica, non duplici dictione, ut est in omnibus codicibus, legeretur: prætereaque præpositionem addidisset: dicimus enim agere in curia, non curia: in foro, non foro. Hæc obiter dicta sunt: ad rem nunc redeamus. Rostrorum igitur denominatio hæc à Liuiο traditur. Naues Antiaticum partim in Naualia Romæ subductæ, partim incensæ, rostrisque earū suggestum in foro extructum adornari placuit: Rostraque id templum appellatū. In Rostris, sedentes magis stratus ius dicebāt: id Liuius multis in locis ostendit. Ferebātur que ibidē leges, auctor Cic. p. Rabirio: & habebantur conciones, idem in Pisonem. Hoc indicat et Suet. sic. n. inquit. Cæsar Quæstor Iuliæ amitæ, uxoremque Corneliæ defunctas pro Rostris laudauit. Iuxta rostra treis fuisse Sibyllæ Statuas, unā quā Sex. Pacuuius Taurus ædilis plebis restituit, duas quas M. Messala: itē Camilli unā: & inter antiquissimas Tullii Cælij. L. Roscij. Sp. Nautij. C. Fulcinij à Fidenatibus in legatione interfectōrū singulas, Plin. auctor est. Lepidi item Statuam in hoc et loco à Cicerone statuatā, & ab eodem euersam, idē restatur ad Brutum. Inter has erat & Cn. Octauij Statua, sed in oculatissimo loco, à Senatu poni iussa: quoniam regem Antiochū daturū se responsum dicentē iussisset respondere, priusquā egredere-tur circulo uirga, quam forte tenebat, à se descripto, & in ea legatione fuisset interfectus. De hac statua meminit Cic. in philip. Hic insuper fuit Herculis tunicati Statua habitu elæo, toruæque facie: in cuius basi tres erant tituli. L. Luculli imperatoris de manubiis: alter, Pupillum Luculli filium ex. S. C. dedicasse: tertius, T. Septimium ædilem curulem ex priuato in publicum restituisse. Tot certaminum, inquit Plin. tantæque dignationis id simulacrum fuit. Appianus etiam refert, Syllæ Statuam, equestrem, ex auro conflata, ante rostra locatā fuisse, subscriptamque. CORNELIO SYLLAE IMPE-

RATORI FORTVNATO. Capita etiam caſorum uſitatum proponi in Roſtris, ait L. Florus: et in eandem ſententiam Appianus, Foro in medio ante roſtra caput Marij iunioris Syllam appendiſſe. Quo in loco corpus Fauſtuli impoſitum fuiſſe, Diony. ſic refert. In præclaro fori Romani loco pro roſtris, ſuper leonem lapideum, impoſitum fuit corpus Fauſtuli: qui ibi ceciderat, dum certamen Romuli, & Remi dirimere conaretur. Poſt roſtra Romuli Sepulcrum fuiſſe, Varro etiam affirmat. Ea autem eregione Grægoſtaſis fuiſſe, quanquam ex ijs, quæ diximus, ſatis conſtat, Plin. tamen apertiſſime indicat, ubi de horologio ſic loquitur. Duodecim tabulis ortus tantū, & occaſus nominatur: poſt aliſ quot annos adiectus eſt & meridies, Accenſo conſulum id pronunciant: cum Curio inter Roſtra, & Grægoſtaſum proſpexiſſet talem ſolem. Vbi intelligendum ſolem à meridie ita Comitium perluiſſe, ut nuſquam umbra Grægoſtaſis, aut Roſtrorum, id obumbraret.

De Domo Caſaris, Porticu Liuiæ, Pacis Templo, ac de Ficu Ruminali.

Cap. VII.

**C**æſar Dictator habitauit primo in Suburra modicis ædibus: poſt pontificatum autem max. in uia Sacra, domo publica. Hanc à Iulia nepte nimis profuſe extructam, Auguſtus, qui, ut ait Sueſtonius, ampla, & operoſa prætoria grauabatur, diruit ad ſolum: ibique Porticū Liuiæ, à Liuiâ Druſilla eius uxore cognominatam, excitauit. Vtriuſque Ouidius ſic meminit.

Diſce tamen ueniens ætas, ubi Liuiâ nunc eſt

Porticus, immenſæ teſta fuere domus.

De porticu meminit & Plin. Vna, inquit, uitis Romæ in Liuiæ porticibus ſubdiales inambulationes umbroſis operculis opacat, eadem duodenis muſti amphoris fecunda. Hæc loca primum curia Romuli, & Hoſtilia, deinde domus Mœnij, & baſilica Portia, Caſariſq; domus, atq; porticus Liuiæ, demūq; templū Pacis occupauit. Id à Claudio inchoatū, Veſpaſianus perfecit. Iosephus. Poſt, inquit, triumphū, & Romani imperij firmiſſimum ſtatum, Pacis templum Veſpaſianus ædificauit. In eo, ut ait D. Hieronymus. idem Veſpaſianus uafa, & ornamenta templi Hieroſolymitani, triumpho Titi aduecta, repoſuit, uniuerſaq; conſecrauit donaria, Veneremque dicauit: In eodemq; fuit Heros abſolutiſſimi operis, à Thimante: Hialyſiusque, à Protogene: atque Sylla, à Nicomacho, pictura expreſſi. Hialyſij meminit Cicero ad Atticum. Cellius autem opinatur Epiſtolas Aſinij Capitonis uiri doctiſſimi in eodem templo fuiſſe. Hoc autem templum Commodi imp. tempore incendio exhaustum eſſe, ſic ſcribit Herodianus. Nam cum neq; imbres, neque nubes, tantūque exiguus terremotus anteceſſiſſet, ſeu nocturni caſu fulminis, ſeu igni aliquo in ipſo terrarum motu ueluti extrito, totum deimpropiſo Pacis templum conſumptum incendio eſt. Quod unum ſcilicet opus cunctorum tota urbe maximum fuit, atq; pulcherrimum: & ruruſ idem Herodianus Temploꝝ omnium opulentiſſimum, egregieque munitum multoque ornatum auro, & argento: quippe uniuerſi ferme illuc diuitias, quaſi in theſaurum, congegebant. Ficum autem Ruminalem ex Cor. Tac. uerbis fuiſſe in Comitio, ſuperius diximus. De hac arbore Plin. ſic loquitur. Colitur Ficus arbor in foro ipſo, ac Comitio Romæ nata, ſacris fulguribus ibi conditis: magisque ob memoriam eius, quæ nutritrix Romuli, & Remi conditoris appellata: quoniã ſub ea nutrita eſt lupa, infantibus præbens rumen (ita uocabant mammam) miraculo ex ære iuxta dicato, tanquam in Comitium ſponte tranſiſſet, adacto nauigio illico areſcit, ruruſque cura ſacerdotum ſeritur.


E iij



Templi huius etsi pars quædã adhuc extat, tamen quia plena operis  
orthographia ex ea percipi nō potuit, ichnographiam apposui-  
mus, secuti exemplar quorundam mechanicorum, qui eam in lus-  
cem ediderant, existimantes satis accurate id eos fecisse. Postea  
uero deprehendimus eius latitudinem, nō. CLXX. ut ab eis tras-  
ditum est, sed. CC. pedum esse: longitudinē. CCC. Id ne les-  
torem fallat admonere uoluimus.







De Arcu Vespasiani : Templis , Vulcani, solisq; ac lunæ: atq;  
de Via Sacra. Cap. VIII.

**S** Vpra Comitium stat Arcus Vespasiani mutilatus, in cuius fronte legitur titulus sequens.

SENATVS

POPVLVSQVE ROMANVS

DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F.

VESPASIANO. AVGVSTO

Extructus autem fuit deuietis Hierosolymis, in quo intrinsecus ab uno latere sculptæ sunt victoriæ cum arca fœderis præcedentibus, XII. fascibus consularibus : ab altero triumphæ spolia, aureum candelabrum, tabulæ legis Moysaicæ, uasa templi, mensæque aurea : de quibus plura Iosephus. Huius uictoriæ fidē facit marmor, quod in circo nostris temporibus fuit effosū, in quo hic titulus erat sculptus.

S.

P.

Q.

R.

IMP. TITO CAES. DIVI VESPASIANI FILIO VESPASIANO AVG.

PONT. MAX. TR. POT. X. IMP. XVII. XIII. P. P.

PRINCIPI SVO QVI PRAECEPTIS PATRIAE CONSILIISQ. ET

AVSPICIIS GENTEM IVDEORVM DOMVIT ET VRBEM

HIEROSOLYMAM OMNIBVS ANTE SE DVCIBVS REGIBVS

GLNTIBVS AVT FRVSTRA PETITAM AVT OMNINO INTENTATAM DELEVIT.

Prope dictum arcum, sub ipsis collibus, ut ait Varro, fuit Vulcani Templum : de quo Sex. Pom. sic meminit. Statua Ladienis, qui quondam fulmine ictus in Circo, sepultus est in laniulo, cuius ossa postea ex prodigijs, oraculorumque responsis Senatus decreto intra urbem relata in Volcanali, quod est supra Comitium, obruta sunt. Idem asserit Diony. his uerbis. Tractantes in Volcanali templo negotia, quod super fiat foro: idemque addit, Tatium regem id dedicavisse. In eo Loros fuit ab Romulo cōstituta, cuius radices in forum usque Cæsaris penetrasse asserit Plin. Haud longe à Pacis templo, eo in loco, quo nunc sunt horti D. Mariæ Nouæ, extant duo fornices : quorum alter quoniam ortum hyemalem, alter occasum aestivum spectat, Solis ac Lunæ fuisse, opinamur: Quæ templa à T. Tatio, ut ait Varro, dedicata sunt. Sacra autem uia caput à Carinis, Sireniaq; sacello oriri, per eamque sacra quorquor mensibus ferri in arcem, & per eandem Augures ex arce profectos inaugurare consuevisse, partimque huiusce uia solā notā, quæ erat à foro cuncti primo cliuo, literis prodidit idē Varro. Sex. Pom. dicit. Quod ne eatenus quidem, ut uulgo opinatur, Sacra appellanda est, à Regia ad domum Regis sacrificoli : sed à Regis domo ad Sacellum Sirenia : & rursus à Regia usque ad arcem. Quibus uerbis conijcio, uiam hanc caput habuisse à Carinis, apud amphitheatrū, protensamque fuisse per hortos D. Mariæ nouæ, Regiam, siue templum Pacis à dextra relinquentem, à sinistra Solis, & Lunæ templa : deinde ad Capitolium tendentem, Comitium forumque Romanum. Ita ut uia hæc Comitij, & fori pars esset, solo nomine ab eis distincta : obidq; quæ in ea erant, etiā in Comitio, & in foro fuisse legimus. Proptereaq; à Plin. dictum est, Cæsarem Dictatorem totum forum Romanum, uiamque Sacram ab domo sua usque ad cliuum Capitolinum in munere gladiatorio intexuisse. Huius uia alij aliam ponunt etymologiam : Sacramque dictam esse, quod in ea fœdus su ictum inter Romulum, & Tatium regem. Hic in summa Sacra uia habitauit Ancus rex, prope ædem Larum.

De Foro Augusti, Neruæ, & Cæsaris: ac de Templis, Martis Ultoris  
lani, ac Veneris Genetricis. Cap. IX.

**H** Is commemoratis ordo uidetur postulare, ut ad Capitolium, unde digressi sumus reuertamur, quò nonnulla, quæ ad sinistram uia Sacra omisa sunt, exponamus. Quorū primo loco est Forū

De Theatro Marcelli: Curia, Porticu, & Schola Octaviae: ac de templo  
Iunonis, Apollinisque Delubro.  
Cap. XI.

**H**Is descriptis, ad eam uallem, quæ inter Tiberim, Capitolium, Palatium, & Auentinum iacet, transeamus, agamusque de ædificijs, ac locis insignibus, quorū nonnulla adhuc extant. Theatri Marcelli, quod sub nomine nepotis ex sorore Octauia Augustus excitauit, pars, uetustate, igneque corrupta inter Tarpeiā rupē, dictūmq; Tiberim adhuc cernitur. Capiebat autem loca. LXXX. M. Huius Scenæ à Vespasiano fuit restituta, in eaque mox ludos edidit. Ante Theatrum Curiam Octauiam fuisse, tradit Appianus: cui iuncta erat eiusdem nominis Porticus, quam totum id spatij occupauisse crediderim, quod est ab æde nunc D. Nicolai in Carcere: ad eam quæ. S. Mariæ in porticu dicitur. In hac Curia multæ statuæ erant statutæ: sed inter cæteras Apollinis fulmen tenentis. In porticu uero Sauron, & Batrachum templa clausa fecisse, scribit Plin. Artemonæque nobilissimas picturas pinxisse: in iisque Herculem ab Oeta monte exuta mortalitate consensu deorum in cælum euntem: Intraque eandem porticum fuisse Iunonis ædem, & in ea ipsius deæ Statuam à Dionysio, & Policle factam: ac Veneris à Philisco: insuperque Aesculapij, & Dianæ à Cephisiodoro: ad eandemque porticum laudari Apollinem Philisci Rhodij in suo Delubro: item in eodem templo Latonam, & Dianā, & nouem Musas: & alterum Apollinem nudum: alterūque, qui Cytharam teneret, Timarchidem fecisse: In Scholis uero esse Praxitelis Cupidinem, obiectum à Cicerone Verri: per quem Thespiæ uisebantur: & multa in eisdem Scholis sine auctoribus placere: ueluti erant Satyri quatuor: ex quibus unus Liberum patrem perferrebat: & alter Liberum similiter: tertius ploratum infantis cohibebat: quartus cratere alterius sitim sedabat: ueluti etiam duæ Hymphæ sua ueste uelificantes. Easdem autem scholas adornarunt & tabulæ pictæ. Nam, ut idem refert, Antiphilus in eis Hesiona nobilem pinxit, & Alexandrum, ac Philippum cum Minerva. Præterea ait, Veneris Statuam eximia pulchritudinis manu Phidiæ in Octauiae operibus esse.

De Foro Olitorio: Templis, Iunonis Matutæ, Spei, Iani, Pietatis, & Carmentæ: ac de Carcere Pl. Ro. Sacrario Numæ: & de Columna Lactaria. Cap. XII.

**I**Nter Marcelli theatrum, & Capitolium iacet platea nunc Montanaria uocitata, ubi olim fuit Forum Olitorium: quod extra portam Carmētalem fuisse ait Asconius. Forum Olitoriū, inquit Varro, erat antiquum macellum, ubi olerum copia: Ea loca etiam nunc Lacedæmonij uocant macellum: sed Iones ostia hortorum. In hoc fuit Iunonis Matutæ ædes, ubi nūc D. Andreæ cognomento in Mentuza, siue in Vincijs: uota, & locata est Gallico bello à Cor. Cos. ab eodēque Censore dedicata, auctor Liuius: qui in eodem foro etiam Spei ædem fuisse tradit, eamque fulmine ietā bello pu. & Q. Fabio consulis filio, ac T. Sempronio Graccho Cos. incendio conflagraſse. Hanc consecrauit Collatinus. Cic. de legibus. Recte, inquit, etiam Spes à Collatino consecrata est. Sed quoniam Cor. Tac. ait, ab Attilio esse uotam, & à Germanico sacratam, existimandum est; aut fuisse ~~hanc~~ <sup>hanc</sup> ~~den~~ <sup>den</sup> uo inſtaur ratam, aut aliam esse de qua Tacitus loquitur. In foro Olitorio Columnam Lactariam, ad quam infantes lacte alendi deferrebantur, stetiſſe aſſerit Sex. Pom. In eodem etiam fuit Iani Templū circa imum Argileum, iuxta theatrum Marcelli. Hoc Numam regem in duobus breuiſſimis templis feciſſe, eique duas fuiſſe portas, quas aperire cū bellum eſſet, in pace uero claudi legitimum foret, ſcribit Ser. Alij tamen T. Tatium, & Romulum factō fœdere templum hoc cōſtituiſſe uolunt: propterea quæ Iani duas facies habere, quaſi ut oſtendat duorum regum coitionem. Cor. uero Tac. ait, Duiliū eſſe huius templi auctorem: eius ſunt hæc uerba. Eodem in loco. L. M. Publicijs Iano templum, quod apud forum

Olitorium Cn. Duilius struxerat : Speiq. ædes à Germanico sacratæ. Alibi commemorat Tiberium Cæsarem Iani templum dedicauisse, apud forum Olitorium, uotum à Duilio bello maritimo aduersus Pœnos prospere peractò : si modo de hoc eodem intelligunt : nam quod aliud ea ætate fuerit, nobis non constat. Cum autem idem esse Iani templum, de quo Seruius, & Tacitus loquuntur, dubitari non possit : non uideo quo pacto utriusque stet sententia : nisi dixerimus, à Numa structum, denuòque à Duilio instauratum, ampliaturumque. Id uero prope D. Nicolai ædem, aut certe eo ipso loco fuisse, crediderim. Hic. n. locus ad imum Argiletum, & iuxta theatrum Marcelli positus est, atque extra portā Carmentalem, quod ait Sex. Pom. ad dextramque Fabijs ea porta ad bellum exeuuibus, quemadmodum Liuius, & Ouidius uoluerunt. Nam licet hæc porta ad forum Olitorium uergeret, tamen cum secū dum muros urbis ad sinistram flectere iter cogerentur, ut per Sublicium pontem, qui tunc unicus erat, transirent, Iani templum ad dextram relinqui fuit necesse. Prope hoc templum fuit Sacrarium ipsius Numæ, circa imum Argiletum. Item Carcer Plebis Romanæ : huius uestigia apud eandem D. Nicolai ædem extare uidentur. Quem carcerem Ap. Claudius decemuir constituit, in eoque reus iudicij inclusus sibi mortē consciuit, ut tradit Liuius. In hoc carcere fuit Templum Pietatis à M. Attilio Glabrone dedicatum, ut idem est auctor. Causam struendi templum Plin. sic ostendit. Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera supplicij causa carcere inclusa matre, cum impetrasset adiūm à Ianitore, semper excussa ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. Quo miraculo matris salus donata filię pietate est, ambæque perpetuis alimentis, & locus ille eidem consecratus est Deæ, C. Quintio, & M. Attilio Cos. templo Pietatis extructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est. Sextus uero Pom. Patrem inclusum carcere, non matrem, uberibus filiam clam aluisse, scribit : Templumque ipsum eo in loco extructum fuisse, ubi puella antea habitauerat, non in carcere. Hoc templum Cos. Cotta de cælo tactum fuisse testatur Cic. primo de diu. Fanum carmētæ sub Capitolio esse, scribit Diony. meminit & Gellius libro. XVIII. Positum autem fuit apud portam Carmentalem à Carmenta, ut supra diximus, nuncupatam : ubi reliquæ ædiculæ D. Catherinæ hodie cernuntur. Quod fanum mulieres Romanæ ei deæ ædificarunt gratiam referentes quòd uehicularum, quibus. S. C. priuata fuerant, ipsis essent restituta. Carmenta. n. Euandri mater fuit, Nicostrata prius appellata : quæ, quia carminibus oracula edebat, Carmenta postea est dicta : ab eaque carmina : auc. Plut. in prob.

De Argileto : Domo Sp. Melij, & Africani : & de Aequimelio : Tabernis Bliopolarum : Basilica Sempronij : ac de Asylo.  
Cap. XIII.

**A**rgiletum autē à fine uici Thusci, atque à Velabro oriri, inuenio : eiusque imum esse ad Marcelli theatrum : Huius etymologiam Varro duplicem sic ponit. Argiletum sunt qui scripserunt ab Argo, quòd is huc uenerit, ibique sepultus sit : alij ab argilla, quòd ibi id genus terræ sit. Priorem etymologiam probat Seruius : sic enim inquit. Euander Argum quendam hospitio suscepit, qui cum de eius cogitaret interitum, ut ipse regnaret, Euandro hæc non sentiente, socij intellexerunt : qui Argum necarunt : cui Euander & sepulcrū fecit, & locū sacrauit, de quo Virgilius meminit hoc carmine. Nec non & sacri monstrat nemus argileti.

In ea autem parte Argileti, quæ à dextra occurrit à porta Carmentali ad Velabrum, & non longe ab æde nunc D. Ioannis decollati, Aequimelium fuisse, ex uerbis Liuij coniectura assequi mihi uideor : ea hæc sunt. Substructionem super Aequimelium in Capitolio, & uiam silice sternendam à porta Capenæ ad Martis ædem Aediles locauerunt. Et rursus. Lupus Esquilina porta ingressus, frequentissima urbis parte decurrit in forum, Thuscòque uico, atque Aequimelio per portam Capenam propè intrasctus euasit. Aequimelium autem unde dicatur, sic ostendit. Nec satis est Melij sanguine expiatū, nisi

Augusti, quod erat in hortis post Marforium nunc positus. Id angustius ab eo factum aiunt, quia non ausus fuerit extorquere possessoribus proximas domos. Extruendi causa fuit hominum, et iudiciorum multitudo, quæ uidebatur non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque festinantius, necdum perfecta Martis æde, quam in eo inchoauerat, publicatū est: cautūque ut separatim in eo publica iudicia, et sortitiones iudicum fierent. Sanxit ergo ut hic de bellis, triumphisque consuleretur Senatus: quique uictores redissent, huc insignia triumphorum inferrent. In celeberrima huius parte, Augustus posuit duas Tabulas, quæ belli pictam faciem habebant, et triumphum: duasque alias ab Apelle pictas: in quarum altera erat Castor, et Pollux, cum Victoria, et Alexandro Magno: altera belli imaginem restrictis à tergo manibus continebat, ipso Alexandro in curru triumphante. In eodemque foro Corniini etiam Statuam collocauit, ut scribit Gellius. Legimus insuper, ibidem fuisse eburneū simulacrum Apollinis: de quo uidetur Horatius intellexisse, hoc emistichio. Sic me seruauit Apollo: et Iuuenalis, cum ait, Iurisque peritus Apollo. Hoc forum Hadrianum instaurauisse auct. est Spartianus: cuius porticus duæ fuere: in quibus omnium statuas triumphali effigie Augustus dedicauit. Idem præterea cum Templum Martis Ultoris bello philippensi, quod pro ultione paterna susceperat, uouisset, uoti reus illud in ea parte eiusdem fori extruxit, quæ D. Martine nunc ædi proxima est. Horum meminit Suet. in hunc modum. Publica opera plurima extruxit, è quibus præcipua forum, cum æde Martis Ultoris: et Ouid. his carminibus.

Victor ad ipse suos caelo descendit honores.

Templaque in angusto conspicienda foro.

Supra forum Augusti, ad radices Quirinalis, Palatii Neruæ reliquæ extant: et eius porticus nonnullæ miræ magnitudinis columnæ. In proximo uero, post ædem nunc D. Hadriani fuerat eiusdem Neruæ Forum: quod inchoatum esse à Domitiano refert Suet. Nouam, inquit, ædem in Capitolio excitauit Ioui Custodi: et forum, quod nunc Neruæ uocatur. Fuisse autem columnis, uariisque statuīs adornatum, testatur Spartianus, his uerbis. Statuas iocosas, uel pedestres nudas, uel equestres Diuis imperatoribus in foro Neruæ, quod nunc Transitorium dicitur, locabat; omnibus cum titulis, et columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent. Transitorium autem traxit nomen, quod ab eo in Romanum forum, Augusti, et Caesaris esset transitus. Extat adhuc pars porticus ipsius fori incendio corrupta cum quibusdam columnis excelsis, et in earum epistylis titulus truncatus huiusmodi.

IMP. NERVA CAESAR AVG. PONT. MAX. TRIB.

POT. II. IMP. II. PROCOS.

Cui titulo quidam aiunt fuisse etiam hæc uerba. NERVAE FECIT. In hoc foro Templum Iani fuisse testatur Ser. Sic. n. ait. Captis Faliscis ciuitate Tuscia ibi inuentum est simulacrum Iani cum frontibus quatuor (fuerat enim bifrons apud theatrum Marcelli) unde, quod Numa instituerat, translatus est ad forum Transitorium, et quatuor portarum unum templum institutum. Ad forum Transitorium translatus ait Ser. i. eo ubi deinde forum Transitorium fuit. Plin. narrat, Augustum dedicauisse Ianum in suo templo ex Aegypto aduectum, Scopæque, an Praxitelis manu, dubium esse: sed de quo templo Iani intelligat, non satis constat. Ad Ianum stabant sœneratores: de quo uidetur Horatius intellexisse, cum inquit. Hæc Ianus summus ab imo perdocet: et in Sermonibus. Postquam res mea Ianum ad medium fracta est. Sequitur paruo intervallo Forum Caesaris, in ea parte, qua post D. Cosmæ, et Damiani ædem horti cernuntur: de eo Appianus sic inquit. Post uictoriam contra Pompeium Caesar Atrium templo Veneris circumduxit: quod Romanum forum esse uoluit, non rerum quidem uenaliū, sed eorum quæ ad iura conuenirent. Plinius. Pyramides regum miramur opera, cum solum tantum forum extruendo sextertis mille ducentis Caesar Dictator emerit. Quod forum, haud procul à Comitio fuisse, significasse uidetur, ubi dixit: Iton è Volcanali in forum usque Caesaris radices egisse. In hoc foro fuit Veneris Genitricis Templum, bello pharsalico uotum: de quo Appianus sic meminit. Erexit, et Veneri Genitrici templum, ut prius ad Pharsalon uouerat prælium

De Templo Telluris : & de Domo Sp. Casti, & M. Antonij : ac de Socroriorio Tigillo, Vico Scelerato : atq; de Bustis Gallicis.  
Cap. X.

**T**emplum Telluris, quod T. Sempronius uouit, ut L. Florus commemorat, intra Carinas fuisse dicit Ser. Id arbitramur fuisse prope cliuum, qui ducit ad D. Petri cognomento in Vinculis ædē. Quo in loco olim fuerat Domus Cassij: huic opinioni astipulantur hæc Diony. uerba. Post Cassij mortem domus eius euerfa fuit, & hucusque subdialis dimittitur. Is locus extra Telluris ædem est: quam postea extruxit ciuitas secundum eam uiam, qua itur ad Carinas. In qua æde Cic. in philip. ait. S. C. habitum fuisse: & in ea scribens ad Q. Fratrem eius se statuam locauisse: & alibi, prope eandem Armamentarium fuisse, idem sic refert. Putant enim nonnulli ad me pertinere, Armamentarium Telluris aperire. Apud eum locum, ubi postea hæc ædes constituta est, Cassius suam ipsius statuam posuerat: quæ, postquam regnum affectauisse est dictus, à Cens. fuit conflata. Hinc haud procul fuerat Sororium Tigillum, locus uidelicet sacer causa expiationis ab Horatio, ob sororem à se interfectam, in honorem lunonis constitutus. Nam eum locum prope Carinas fuisse testatur Diony. Ait enim, locum in quo purgarunt Horatium in angiportum ferentem à Carinis deorsum esse ipsi, qui ad Cyprium peragerent angiportum: ubi aræ manerent tunc erectæ, & Tigillum duobus inter se contrariis parietibus fulsum super eas extenderetur. Quibus uerbis intelligimus, tam sororium Tigillum, de quo agimus, quàm Vicum Cyprium, de quo iam dicemus, fuisse prope dictum cliuum. Vicum autem Cyprium ex facinore Tullia sceleratū appellatum esse, idem auctor tradit. Cyprus enim fuerat dictus à Cypro, quod Sabina lingua bonum omen significat: Tamesi Varro non eundem esse uicum Cyprium, & Sceleratū consentit. Sic enim inquit. Vicus Cyprus à Cypro, quod ibi Sabini ciues additi confederunt, qui à bono omine eum appellarunt. Nam cyprium Sabine bonum significat: prope hunc uicus Sceleratus, dictus à Tullia Tar. Superbi uxore, quod ibi cum iaceret pater occisus, super eum carpentum mulio ut inijceret, iussit. Domus autem M. Antonij non longe ab æde Telluris fuit, ut Appianus sic testatur. Iis peractis decretum noctu perlatum est, Antonium sequenti die in templo Telluris, haud longe ab ipsius domo, Senatū habiturum. Inter hæc aut loca, & amphitheatrum nunc Colosseum appellatum, fuisse Busta Gallica: ubi nunc est ædícula D. Andreae cognomento ad Busta Gallica. Quæ in media fuisse urbe ~~in statuam in templum~~ Liuius his uerbis ostendit. Cum esset satis altum Ianiculum, ubi Camillus sedens prospectaret hostem, descendit in æquum, atque illo ipso die media urbe, qua nunc Busta Gallorum sunt: & postero die citra Gabios cecidit Gallorum legiones. Is erat locus ubi, à Camillo interfecti, fuerant sepulti. Varro. Is locus, inquit, ad Busta Gallica: quod Roma recuperata, Gallorum ossa, qui possederant urbem, ibi coaceruata, ac consepita. Tamen si Liuius eos morbo interemptos esse dicat. In hoc ambitu fuit Salutis ædes, uota bello Samnitico à C. Iunio Bibaculo Cos. ab eodemque Cens. locata, & Dictatore dedicata, eodem Liuius auctore.

recta parietesque, intra quæ tantum amentia conceptum esset, dissiparentur, bonæque cuncta precijs regni mercandi publicarentur. Iubere itaque Quæstores uendere ea bona, atq; in publicum res digere. Domum deinde, ut monumento arca esset oppressa nefariæ spei, dirui ex tempore iussit: idque Aequimelium appellatum est. Quod etiam Cic. pro domo sua comprobatur. Ad Aequimelium erant opificum multæ tabernæ: Laneæ inter alias, & Bibliopolarum: de quibus Martialis sic meminit.

Argiletanas maius habitare tabernas.

Cû tibi parue liber scrinia nostra uacent. Apud ædē nūc D. Georgij fuit Domus P. Africani, ubi deinde T. Sempronius Basilicam fecit: de qua Liuius quarto decadis quintæ sic loquitur. T. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes P. Africani ponē ueteres ad Vertumni signum, lasneasq; & Tabernas coniunctas in publicum emit: Basilicamque faciendam curauit, quæ Sempronia appellata est. Qui autem uolunt Asylum, de quo dictum est, fuisse sub rupe Tarpeia, ut id comprobent, citant Ouidij hæc carmina.

Tum quoque uicini lucus celebratur asyli,

Qua petit equoreas aduena Tibris aquas.

Et quanq̃ hi uersus non faciūt de loco Asyli certam fidem, tamen cum in Capitolio, in quo prius fuerat constitutus, fuissent multa templa, atq; ædificia excitata, credendum omnino esse censemus, in aliū locum esse translatum, atque in eum, quem dicunt torum id spatij occupauisse, quod est à rupe Tarpeia, hinc ad forum Boarium usq; inde ad pontem Senatorum: et ad radices usq; Auentini montis.

De Velabro: Foro Boario: Arcu Septimij: Vertumni Signo: & de  
Iano quadrifronte: ac de Sepulcro Accæ Larentiæ.

Cap. XIII.

**E**X eruptionibus tiberinis olim fiebat sinus in modum lacus, hinc ad forum Romanum ferè usque, inde ad Circum max. quo Auentinus à reliquis mōribus discludebatur. Itaque qui eò ex urbe ibāt, lintribus aduehebantur, quadrantemque soluebant, unde lacum ipsum Velabrum à uehendo appellatū: nam uelaturam facere dicebantur, qui id mercede facerent: auctor est Varro: quod attigit Propertius cum inquit.

At qua uelabri regio patet, ire solebat

Exiguus pulsa per uada linter aqua.

& Ouidius.

Qua uelabra solent in Circum ducere pompas,

Nil præter salices, crassaque canna fuit.

Hic, ubi nunc fora sunt, lintres errare uideres:

Quæque iacent ualles maxime circæ tuæ.

Lacu ipso postmodum exiccato, atque repleto in eius parte, quæ à Iano quadrifronte in Auentinū uersgit, forum Boarium fuit institutum: quod nomen obtinuisse aliqui uolunt, ab æreo Tauri Simulacro ibi statuto, ubi Romulus sulcum urbis condendæ designare cœpit: de quo Plin. ita meminit. Proxima laus æris Gynetico in insula, & ipsa nec æs gignens, sed officinarum temperatura nobilitate. Bos æreus inde captus in foro Boario est Romæ. Alij ob taurum immolatū interfecto Caco, bobusque recuperatis Boarium appellatum tradunt. Vtranque opinionem attigit Ouidius, his carminibus.

Pontibus & magno iuncta est celeberrima Circo

Area, quæ posito de boue nomen habet.

Immolat ex illis taurum tibi Iuppiter unum

Victor, & Euandrum ruricolæque uocat.

Sex. uero Pom. Boarium dictum putat, quod ibi boues uenundarentur: cui astipulatur Varro, cum inquit. Quo quidem genera conferrent forum appellatū, additūque ab eo cognomen, ut forū Boariū.

Quod etiam Lilius innuit, memorans in eodem foro bouem in tertiam contignationem ascendisse. In hoc foro in honorem. L. Septimij, & M. Aurelij Arcus à negociatoribus, & argentarijs fuit extrus-  
ctus: qui proximus D. Georgei adi adhuc extat, cum sequenti titulo insculpto.

IMP. CAES. L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. ARABIC. ADIABENIC. =  
PARTH. MAX. FORTISSIMO. FELICISSIMO

PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COS. & III. & PATRI. PATRIAE. ET  
IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. PIO. FELICI. AVG. TRIB. POTEST. VII. =

COS. III. P. P. PROCOS. FORTISSIMO. FELICISSIMO QVE. PRINCIPI. ET  
IVLIAE. AVG. MATRI. AVG. N. ET. CASTRORVM. ET. SENATVS. ET. PATIAE. ET =  
IMP. CAES. M. AVRELI. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG.

PARTHICI. & . MAXIMI. & . BRITANNICI. & . MAXIMI. & .  
ARGENTARI. ET. NEGOCIANTE. BOARI. HVIVS. LOCI QVI DEVOTI. NVMINI. EO =

INVEHENT

(RVM

Quãobrem in eodem uisuntur taurorum immolationes, & instrumenta ad sacrificandum cum uictis  
marijs, sacrificisque. Non longe ab hoc arch, Vertumni Signum fuisse, innuit Cicero, qui sic inquit.  
Quis à signo Vertumni in Circum max. uenit, quin is unoquoq; gradu de auaritia tua comoneretur?  
Idem Asconius significat, Cum in ultimo uico Thurario (quo nomine Thuscum intelligit) sub eius bas-  
ilicæ angulo, quam Semproniam diximus, Vertumni signum fuisse scribit. Quem deum eo nomine ap-  
pellarunt, quòd in rebus uendendis, emendisq; cogitationes hominum uerteret: licet Propertius alijs  
rationibus id nomen obrinuisse his carminibus tradiderit.

Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & aiunt

Remorum auditos per uada pulsa sonos.

Postquam ille suis tantum concessit alumnis,

Vertumnus uerso dicor ab amne deus.

Sed quia uertentis fructus percepimus anni,


Vertumni rursus credidit esse sacrum.


Sex. Pom. ædem quoque illi Deo fuisse, ostendit

his uerbis. Picta nunc toga dicitur, purpurea antea uocitata est, eaque erat sine pictura: eius rei  
argumentum est pictura in æde Vertumni, & Consi. Quorum in altera M. Fuluius Flaccus: in altera  
T. Papirius Censor triumphantes ita picti sunt. Hanc Vertumni ædem in uico Thusco locatam fuisse,  
scribit Sex. Rufus. In eodẽ foro extat ædificium marmoreũ ad modũ porticus quadratæ, quatuor por-  
tis, sue faciebus: propterea Iani quadri frontis esse Templum plerique omnes consentiunt. Quos, ut se-  
quatur inclinatur animus: ex eo quòd cũ Ianus tempus significet, portæ illæ significare uidentur qua-  
tuor anni tempora: & loculi, sue delubra in singulis frontibus duodecim existentes, menses: in quos  
annus diuiditur. Vnde & Varro libro quarto rerum humanarum, Iano. XII. aras pro totidem mensibus  
fuisse dicatas ait. Sic enim eius Simulacrum effingebatur, ut dextera manu trecentorum, sinistra autem  
quinque, & sexaginta numerum haberet: ad anni dimensionem ostendendam. Nonnulli autem tradi-  
dere hoc esse tẽplũ, quod Lilius, & Ouidius dicunt fuisse à dextera Fabijs porta Carmẽtali exeuntis  
bus: quod falsum eẽ satis cõstat: cũ illud à Numa ad theatrũ Marcelli, extra eandẽ portã positũ fuerit,  
ut supra comprobatum est: hoc uero in Velabro longe ab eodẽ theatro distans. Quod hodie nõ plane  
integrum omnino extat: quippe cũ multis olim columnis, aliisque ornãmẽtis decoratũ fuisse dignosca-  
tur: eius quale nunc licuit exemplũ subieci. Prope hoc forum in Velabro posuã esse Aram Accæ Larẽ-  
tiæ Cic. in ep. ad Brutũ sic testat. Ego. n. D. Bruto liberato cum latissimus ille ciuitati dies illuxisset,  
idemq; casu Bruti natalis esset, decreui, ut in fastis ad eũ diẽ Bruti nomen ascriberetur, in eodẽque sum-  
maiorẽ exemplũ secutus, qui hũc honorẽ mulieri Larẽtiæ tribuerũt: uos cuius põtiffices ad arã in Ve-  
labro sacrificiũ facere soletis. Quæ sequũtur hoc loco nihil ad rem faciunt. Ibi celeberrimo in loco eius  
Larentiæ etiam Sepulcrum fuisse, scriptum reliquit Antias.

F









De Aede, Ara, & simulac  
cro Herculis : ac de Tem  
plis, Pudicitiae, Matutae,  
Fortunae, & Murtiae.

Cap. XV.

**A** Edes Herculis i for  
ro Boario erat, &  
in qua, tempestate Sop  
lini, ut ipse testatur, argus  
menta, & conuiuia mates  
statis eius remanebant. Nā  
diuinitus neque muscis illò,  
neque canibus ingressus  
erat. Etenim cum uiscera  
tionē sacricolis daret, Mias  
girim idest muscarū cons  
gregatorem Deū dicitur  
imprecatus : Clauam uero  
in aditu reliquisse, cuius  
olfactu refugerent canes.  
Hac aedē Macrobius Her  
culis Victoris appellauit,  
alteramq; eiusdem cognos  
minis fuisse ad portā Tris  
geminam affirmat. Prior  
tempore Xysti. IIII. pont.  
Max. solo fuit aquata,  
ibiq; reperta ipsius Her  
culis statua aenea : quā hic  
accurate expressam appo  
suimus. Eā in aedibus Cō  
seruatorum nunc esse libro  
secundo dictum est. Ibi hic  
etiam deo Herculi titulus  
inuenitur.

DEO HERCVLI

INVICTO

C. IVL. POMPONIVS


FVDENS

SEVERIANVS


V. C. PRAEF. VRB.

Plin. ait, Euandrum stat  
tuam Herculi in foro Boar  
rio sacrariisse, quā tritum  
phalis Hercules dicebatur,  
eò q; per triumphos tris  
umphali habitu uestiretur.  
Nec uero arbitramur hāc

F ij







De Aede, Ara, & simulac  
cro Herculis : ac de Tem  
plis, Pudicitiae, Matutae,  
Fortuna, & Murtiae.

Cap. XV.

**A** Edes Herculis i for  
ro Boario erat, &  
in qua, tempestate Sop  
lini, ut ipse testatur, argus  
menta, & conuiuia maies  
tatis eius remanebant. Nā  
diuinit<sup>9</sup> neque muscis illò,  
neque canibus ingressus  
erat. Etenim cum uisceras  
tionē sacricolis daret, Mias  
girus idest muscarū cons  
gregatorem Deū dicitur  
imprecatus : Clauam uero  
in aditu reliquisse, cuius  
clfactu refugerent canes.  
Hac adē Macrobius Her  
culis Victoris appellauit,  
alteramq; eiusdem cognos  
minis fuisse ad portā Tris  
geminam affirmat. Prior  
tempore Xjii. III. pont.  
Max. solo fuit aequata,  
ibiq; reperta ipsius Her  
culis statua aenea : quā hic  
accurate expressim appor  
sumus. Eā in adibus Cō  
seruatori nunc esse libro  
secundo dictum est. Ibi lic  
etiam deo Herculi titulus  
inuenitur.

DIO HERCVLI

INVICTO

C.IVL. PCMPONIVS

I VDENS

SEVERIANVS

V.C. PRAEF. VRB.

Plin. ait, Euandrum sto  
tuam Herculi in foro Boar  
rio sacrauisse, quae tritims  
phalis Hercules dicebatur,  
eò q; per triumphos tris  
umphali habitu uestiretur.  
Nec uero arbitramur hāc

F 4

Herculis statuum illam esse, quam Plin. ait Euandrum in foro Boario sacrauisse : sed potius eam quæ M. Fulvio, & Cn. Manlio Coss. posita fuerat in ipsius Herculis æde, nobili Pacuui poetæ pictura celebratam : in qua lectissimum esse non licebat : neq; in eius dei sacris seruis, aut libertis interesse. Resignante autem Euandro Hercules Aram solum habuisse dicitur. Huius Vir. sic meminit.

Hanc aram Iuco statuit, quæ maxima semper  
Dicitur nobis, & erit quæ maxima semper.

Hanc à magnitudine fabricæ maximam appellatam esse ferunt. Ser. Ingens est, inquit, ara Herculis, sicut uidemus hodieque. Fuit autem uenerationis inter accolæ præcipua : quod Hercules ipse ad eam bouum decumas obtulit, dixitque illos uitam beatissimam uicturos, qui sibi bonorū decumā dicauissent. Quod fecit Sylla, Lucullus, & M. Crassus. Ab hac ara sequestrari mulieres uoluit, nihilque attingere, neque ad gustare, quod super eam immolatum esset. Vnde Gellius. Mulieres Herculeo sacrificio abstinent. Huius rei ratio hæc est. Quia Herculi ( cū boues Geryonis p Italia agros duceret ) Iuueni respondit mulier, aquam se non posse præstare, quod fæminarum deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu uiris gustare fas esset. Propter quod Hercules fæcturus sacrificium detestatus est præsentiam fæminarum. Non procul ab hac ara fuit Pudicitæ Patriciæ ædes, ab Aemilio condita, auctor Liuius. Cuius deæ plures ædes sacras Romæ fuisse, innunt Property hæc carmina.

Templa pudicitæ quid est statuisse puellis ?

Si cuius nuptæ qualibet esse licet.

Signum Pudicitæ, quam quidam ( ut refert Sex. Pom. ) Fortunam esse existimant, fuit in foro Boario, ubi familia edisset Hercules : cuius sacra non obibant Plebeia : quare in uico Longo Pudicitæ Sacellum à uirgine plebeia excitatum est, ut in eo eius deæ sacra plebeia peragerent. Fortunæ Prosperæ, & Maturæ sacras ædes constituit Ser. Tullius. Fortunæ quidē ideo, quod ea fauente subleuatus fuerat, & ab ancilla matre ad regnum prouectus, hincq; Fortunæ Primigeniæ, & Mascule templum erexit. auc. Plut. in probl. Erexit & Fortunæ parue Sacellum : quasi docens attendendum eē, ne ea quæ accidunt, tanq̃ parua contemnamus. Hic etiam Maturæ ædem, quam posuerat, refecit. Narrat Varro, eundem Seruium Fortis Fortunæ ædis auctorem extitisse, cū inquit. Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Ser. Tullio, quod is Fanum Fortis Fortunæ, secundum Tiberim, extra urbem Romam, dedicauit. Etsi Liuius commemoret, Caruilium Cos. ex bello Hetrusco aris grauis tulisse in ætærium trecenta nonaginta millia, de reliquo ære ædem Fortis Fortunæ faciendam, prope ædem eiusdem Matutæ, locauisse : tamen, aut aliam ab hac, de qua Varro, fuisse : aut ea, quæ à Tullio ædificata fuerat, uetustate collapsa, Caruilium in eius locum alteram substituisse, existimandum est. Legimus autem apud Plin. Q. Catulum Signa duo palliata in æde Fortunæ posuisse : & ad eandem ædem Paulum Aemilium Mineruam, quam Phidias fecerat, dedicauisse : Item Pythagoram Samium initio pictorem Signa seminuda ibidem statuisse. Sed de qua Fortunæ æde intelligat, incertum habemus. Hic nō ab re uisum est lectorem admonere, quod in hoc ipso foro gladiatorum munus primum Romæ est datum. Nec longe ab eodem, ad radices Auentini montis, erat Murtiæ Deæ Sacellum : id quod ostendunt Liuij hæc uerba. Tum quoque multis millibus Latinorum in ciuitatem acceptis, ut inngeretur Palatio Auentinus, ad Murtiæ datæ sedes. Hæc. n. secordiæ est Dea. Post hæc, sequitur Circus Max. de quo priusquam agamus, ad ea quæ secundum Tiberim à Marcelli theatro ad radices usque eiusdem montis sunt relicta, reuertamur.

De Foro Piscario : Templis, Fortunæ Virilis, & Vestæ : & de Salinis,  
atq; Arcu Hor. Coclitis. Cap. XVI.

**P**ost theatrum Marcelli, inter sacras ædes nunc Diuæ Mariæ cognomēto in porticu, & D. Mariæ Aegyptiacæ, ad Tiberim, fuit Forum Piscarium : quod innuere uidetur Var. cū ait. Secundū



In figura urbis cōmunē opinionē  
secuti, hoc tēplū Pudiciæ ascrip-  
simus. Sed esse Fortunæ, præter  
uerba Diony. eius quoque situs  
clara facit, ut credamus, quæ cū  
sit ionica, media inter corinthiā,  
& doricam, huic potius Deæ cons-  
uenit. Nam & ipsa media est, bon-  
na scilicet, & mala. Templi lon-  
gitudo est ped. LVI. Latitudo.  
XXVI.

Tiberim ad Iunium forū  
piscarium uocant. Vbi  
quidam pro ad Iunium, ad  
lanum legunt; cū tamen  
in omnibus ferē codicib⁹  
scriptum sit, ad Iuniū. Vnde  
de sit ut credam, ad Iuniū  
forum esse dictum, eo pas-  
cto quo forum Cupedinis  
ad Corneta appellatū in-  
quit Var. D. autē Mariæ  
ægyptiacæ hodie sacra-  
tum, olim uero Fortunæ  
Virili, templū, penē inter-  
grum etiam nunc exiat.  
De eo Diony. sic ait. Duo  
bus extructis tēplis For-  
tunæ: altero in foro Boas-  
rio: altero ad ripas Tibe-  
ris, quā appellauit Virilē.  
Et quanquā de hoc variæ  
opinionēs sunt, nemo tas-  
men suam sententiā pro-  
bato auctore tucī. In hoc  
templo fuit Statua lignea  
Ser. Tullij auro superfus-  
sa, quæ orto incendio cæ-  
teris cōcrematis, sola in-  
corrupta permansit, auc.  
Val. Max. Legimus apud  
Strabonē, Lucullū Fortu-  
næ tēplum struxisse: eius  
sunt hæc uerba. Lucullus  
cū adē Fortunæ construc-  
xisset, & porticū quendā:  
statuas, quas Mumius has-  
bebat, petiuit in eū usum,  
ut adē exornaret ad ostē-  
tationē: mox deinde fore  
ut restitueret, minime res-  
tituit: sed eas, ut dona,  
deæ posuit. De quo autē  
Fortunæ æde Strabo in-  
telligat, dubium est. Pro-  
ximo loco extat Aedes  
Vestæ antiquissima, nunc  
Diuo Stephano dicata:  
cuius forma circularis:  
extra murum interiorem

In figura urbis cōmunē opinionē  
secuti, hęc tēplū Pudicitiae ascrip-  
simus. Sed esse Fortunā, prater  
uerba Diony. eius quoque strus  
etura facit, ut credamus, quā cū  
sit ionica, media inter corinthiā,  
& doricam, huic potius Deae con-  
uenit. Nam & ipsa media est, bon-  
na scilicet, & mala. Templi longi-  
tudo est ped. LVI. Latitudo.  
XXVI.

Tiberim ad Iunium forū  
piscarium uocant. Vbi  
quidam pro ad Iunium, ad  
lanum legunt: cū tamen  
in omnibus ferē codicib⁹  
scriptum sit, ad Iuniū. Vnde  
de sit ut credam, ad Iuniū  
forum esse dictum, eo pas-  
seto quo forum Cupedinis  
ad Corneta appellatū in-  
quit Var. D. autē Mariae  
ægyptiacæ hodie sacras-  
tum, olim uero Fortunæ  
Virili, templū, penē inter-  
grum etiam nunc exiat.  
De eo Diony. sic ait. Duo  
bus extructis tēplis For-  
tunæ: altero in foro Boar-  
rio: altero ad rīfas Tiberis,  
quā appellauit Virilē.  
Et quanquā de hoc uariæ  
opinionēs sunt, nemo tamē  
suam sententiā pro-  
bato auctore tuei. In hoc  
templo fuit Statua lignea  
Ser. Tullyi auro superfus-  
sa, quæ orto incēdio cæ-  
teris cōcrematis, sola in-  
corrupta permansit, auc.  
Val. Max. Legimus apud  
Strabonē, Lucullū Fortu-  
næ tēplum struxisse: eius  
sunt hæc uerba. Lucullus  
cū adē Fortunæ construx-  
isset, & porticū quendā:  
statuas, quas Mumius has  
bebat, petiuit in eū usum,  
ut adē exornaret ad osiē-  
tationē: mox deinde fore  
ut restitueret, minime res-  
tituit: sed eas, ut dona,  
deæ posuit. De quo autē  
Fortunæ æde Strabo in-  
telligat, dubium est. Pro-  
ximo loco exiat Aedes  
Vestæ antiquissima, nunc  
Diuo Stephano dicata:  
cuius forma circularis:  
extra murum interiorem


F iij



columnæ. XVIII. circularem porticum efficiunt. De hac æde itidem auctores dissentiunt. Diony. uerò  
 ba nostræ opinioni consentire magis uidentur: ea subieci. Sed de constitutione templi, quod nunc ex-  
 tat, isti uidentur ignorasse: neque. n. locum illum, in quo nunc sacer custoditur ignis, Romulus dedica-  
 uit Deæ, cuius rei magnum argumentum est, quod is extra eam est, quæ quadrata dicta est Roma, quæ  
 Romulus muro cinxit. Possumus præterea conijcere hanc esse Vestæ, ex eo quod est rotunda, et quas  
 lis describitur à Sex. Pom. qui sic ait. Rotundam ædem Vestæ Numa rex consecrasse uidetur, quod  
 eandem esse terram, qua uita hominum sustineretur, crediderit: eamque in pilæ formam esse, ut sit  
 mili templo Dea coleretur. Cum igitur hæc sit extra urbem Romuli, nullaq; alia rotunda extra ipsam  
 cernatur, constare puto ædem Vestæ, quæ inter Capitolium, et Palatium obtinuit locum, à Romulo:  
 hanc uero à Numa excitatam. Neque enim uideo quonam pacto Herculis templum dici possit, ut non  
 nulli affirmare sunt ausi, cum Corinthia sit structura. Nam Vitruuius scribit, Herculi, Minervæ, et  
 Marti doricas ædes esse faciendas: quia his dijs, propter uirtutem, sine delicijs ædificia consti-  
 cebat. Quod autem Horatius dicit.

Vidimus flauum tiberim retortis  
 Litore hetrusco uiolenter undis  
 Ire deiectum monumenta regis,  
 Templaque Vestæ.

ad templum Vestæ, de quo supra diximus, referendum esse existimo: nam ad hanc, quæ in ripa Tibe-  
 ris posita est, nihil mirum uideri poterat, exundantē Tiberim peruenisse.






columna. XVIII. circularem porticum efficiunt. De hac aede itidem auctores dissentiunt. Diony. uerba nostra opinioni consentire magis uidentur: ea subiici. Sed de constitutione templi, quod nunc exstat, isti uidentur ignorasse: neque. n. locum illum, in quo nunc sacer custoditur ignis, Romulus dedicauit Dea, cuius rei magnum argumentum est, quod is extra eam est, quæ quadrata dicta est Roma, quæ Romulus muro cinxit. Possumus præterea conijcere hanc esse Vestæ, ex eo quod est rotunda, et qualis describitur à Sex. Pom. qui sic ait. Rotundam aedem Vestæ Numa rex consecrasse uidetur, quod eandem esse terram, qua uita hominum sustineretur, crediderit: eamque in pilæ formam esse, ut simili templo Dea coleretur. Cum igitur hæc sit extra urbem Romuli, nullaq; alia rotunda extra ipsam cernatur, constare puto aedem Vestæ, quæ inter Capitolium, et Palatium obtinuit locum, à Romulo: hanc uero à Numa excitatam. Neque enim uideo quonam pacto Herculis templum dici possit, ut nonnulli affirmare sunt ausi, cum Corinthia sit structura. Nam Vitruuius scribit, Herculi, Minervæ, et Marti doricas aedes esse faciendas: quia his dijs, propter uirtutem, sine delicijs ædificia conspici debeat. Quod autem Horatius dicit.

Vidimus flauum tiberim retortis  
Litore hetrusco uiolenter undis  
Ire deiectum monumenta regis,  
Templaque Vestæ.

ad templum Vestæ, de quo supra diximus, referendum esse existimo: nam ad hanc, quæ in ripa Tiberis posita est, nihil mirum uideri poterat, exundantem Tiberim peruenisse.



*Haud procul ab hac æde, erant Salinæ, de quibus supra meminimus. Horatij Coclitis Arcus, de quo reliquum erat dicere, sunt qui putant ad radices Auentini sietisse, prope eum locum, ubi pons Sublicius fuerat, ibique saxa quædam eruta fuisse dicunt, hoc titulo inscripta.*

P. LENTVLVS CN. F. T. Q VINTIVS CRISPINVS

VALERIANVS EX. S. C. FACIVNDVM

CVRAVERE IIDEM Q. COMPROBAVERE

*Ego uero nihil de eo certi habeo, quod affirmare possim, tamen memoria rei ab ipso Horatio in eo ponte gesta, horum sententiam approbare uidetur.*

Circus quid sit : unde dictus : cuius rei causa institutus : & de eo, qui Maximus dicitur. Cap. XVII.

**C**ircus locus erat forma circulari, sed oblonga, gradus habens plurimos, in quibus ludos spectaturi sedebant, atque ita ut alter alterius prospectum non impediret. In curriculo duæ metæ pari intervallo utrinque posuæ erant, circû quas equi, & quadrigæ currebant : quæ in equestribus decursionibus interdum tamen tollebantur : de quibus Suet. ita meminit. Nam quo laxius dimicaretur, sublatæ metæ, inque earum locum bina castra exaduerso constituta erant. Idem in Claudij uita. Circo uero Maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ utraque tophina, & lignea fuerant exculto, propria Senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis. Dictus est autem Circus à circumcitu, quod circum spectaculis ædificatis, ibi ludi fierent, & quod ibi circum metas ferebatur pompa, & equi currebant. Institutus autem fuerat ad celebrandos ludos, qui in deorum honorem, templorum, locorumque publicorum dedicationem fiebant. In his uaria dabantur certamina, ut puta equestria, curulia, uenationes, & alia huiusmodi. De equestribus Ouidius sic meminit.


Circus erat pompa celebris, numeroque deorum,

Primæque uentosus palma petetur equis.


De curulibus, Plin. his uerbis. Nam in Circo ad currus iuncti equi non dubie intellectum adhortationis, & gloriæ fatentur. Idem ostendit & feras cum hominibus pugnauisse : ueluti elephantem Claudij Pulchri ædilitate curuli : ostendit & Gellius, cum ait. In Circo uenationis amplissima pugna populo dabatur. Et Suet. in Calig. Edidit, inquit, & circenses plurimos à mane usque ad uesperas, interiecta modo africanarum uenatione, modo troiæ decurione, & quosdam præcipuos minio, & chrysocolia constrato Circo. Sed quod ad circum Maximum pertinet, eius partes singulas ex Diony. uerbis cognoscere licebit, ideòque ea subiici. Extruxit Circum Maximum Tarquinius, qui est inter Auentinum, & Palatinum : circum eum primus faciens sedilia cooperta : primum enim spectabant stantes sub tabernaculis ligneis, harundinibus aridis fultis. Longitudo Circi est trium stadiorum cum dimidio : latitudo quatuor iugerum. Circum uero secundum maiora latera, & secundum unum minorum stagnum in susceptionem aquarum defossum est, altum, latumque pedes denos : postque stagnum ædificatæ sunt porticus tectura triplici : harum autem pauimenta habent, ut in theatris, parum superstantia, lapidea sedilia, in superioribusque lignea. Conducuntur autem in unum, & coniunguntur inuicem maiores, & minores ad figuram lunarem, ita ut fiat porticus una circularis ex tribus, quæ ab uno simul omnes uerberare recluduntur, octo stadiorum. Reliquum autem minorum laterum apertum, atque habet apertum in modum forficum equorum emissiones, quæ per unum simul omnes stimulum recluduntur. Est autem circa eundem Circum extrinsecus alia porticus, unius tecturæ, officinas in se habens, & habitationes super eas, per quam sunt ingressus, & ascensus uenientibus ad spectaculû iuxta quantæ officinam : ita ut nihil turbet tot millia ingredientium, & abeuntium. Hactenus ille. Cuius uerba quia subobscura uidebantur, ut facile possint intelligi, ipsius Circi formam hic exprimere uolui. Anis maduertendumque etiam erit, per stagnum, Euripum intelligere, de quo Suet. in Casare sic meminit.



Spatio circi ab utraque parte producto, & in gyrum euripo adduo. Non credimus autem Tarquinium hunc Circum in eam amplitudinē posuisse, quā describit Diony. Nam Dion refert, hunc collapsum Traianum ampliorem, elegantiorēque restituisse, cū antea Augustus eum adornauisset. Heliogabalus deinde columnis pulcherrimis, aurōque illustrauit: & paucis mētum ex chrysocolle fecit. Sed de Columnis, quas diximus, Nazarius in panag. sic inquit. Circo ipsi maximo sublimes porticus, & rutilantes columnæ tantum inusuati ornatus derunt, ut illō non minus cupide conueniatur loci gratia, quā spectandi voluptate. Partem huius Circi Auentino cōtiguam Tiberij tempore densam esse testatur Cor. Tac. Maximi nomen, à ludorum magnificentia, eum obtinuisse aliqui uolunt: alij, quod est uerisimilius, quia maior esset Flaminio, & Iulio. Capax, ut scribit Sex. Rufus. CCLX. M. hominū sedentium. Nam quod Diony. dicit. CL. tantū, nisi fortasse apud Rufum locus est deprauatus, ut apud eūdem alij multi, existimarem de ampliato iam post Diony. tempora Circo, Rufum intellexisse: & Maximi cognomentum, non statim postq̃ extructus est, fuisse illi inditum, sed longo post Tarquinium tempore, quod inuicuit Lilius, cū ait. Cricus, qui nunc Maximus dicitur. Nunc enim ait, quasi prius eo nomine careret. Eius autem longitudinem trium stadiorum, & passū. LX. tamen sine ædificijs, fuisse, inuenio. Et si Plin. dicit trium stadiorū esse, & Diony. trium cum dimidio, utrunque tamen recte sentire opinor: illum. n. curriculi, hūc cum curriculo sedilium etiam spatium cōplexum esse, existimo: uel certe, cū stadia tria excederet, nec dimidium integrum cōtineret, placuisse Plin. tria stadia tantū dicere: Diony. uero dimidium addere. Nam historicus locorū mensuram ponere non cogitur: id si quando accidit, ut ipsorum laxitatem, altitudinemq; demonstraret, (quod & nos in aquarum castellorum descriptionibus, & alibi quandoque fecimus) non ita exacta ab eo exigitur, ut ab architecto, cuius ars symmetris præcipue cōstat. In Circo sæpenumero pugnarum naualiū simulacra fiebant: & ob eam causam aqua Appia ad hūc Circum replendum deducebatur, ut testatur Frontinus.



Spatio circi ab utraque parte producto, & in gyrum euripo addito. Non credimus autem Tarquinium hunc Circum in eam amplitudinē posuisse, quā describit Diony. Nam Dion refert, hunc collapsum Traianum ampliorem, elegantiorēque restituisse, cū antea Augustus eum adornauisset. Heliogabalus deinde columnis pulcherrimis, aurōque illustravit: & paucis mētum ex chryso colla fecit. Sed de Columnis, quas diximus, Nazarius in panag. sic inquit. Circo ipsi maximo sublimes porticus, & rutilantes columnæ tantum inuati ornatus dederunt, ut illō non minus cupide conueniatur loci gratia, quā spectandi uoluptate. Partem huius Circi Auentino cōtiguam Tiberij tempore densam esse testatur Cor. Tac. Maximi nomen, à ludorum magnificētia, eum obtinuisse aliqui uolunt: alij, quod est uerisunilius, quia maior esset Flaminio, & Iulio. Capax, ut scribit Sex. Rufus. CCLX. M. hominū sedentium. Nam quod Diony. dicit. CL. tantū, nisi fortasse apud Rufum locus est deprauatus, ut apud eūdem alij multi, existimarem de ampliato iam post Diony. tempora Circo, Rufum intellexisse: & Maximi cognomentum, non statim post exstructus est, fuisse illi inditum, sed longo post Tarquinium tempore, quod innuit Lanius, cū ait. Cricus, qui nunc Maximus dicitur. Nunc enim ait, quasi prius eo nomine careret. Eius autem longitudinem trium stadiorum, & passū. LX. tamen sine ædificijs, fuisse, inuenio. Etsi Plin. dicit trium stadiorū esse, & Diony. trium cum dimidio, utrunque tamen recte sentire opinor: illum. n. curriculi, hūc cum curriculo seailium etiam spatium cōplexum esse, existimo: uel certe, cū stadia tria excederet, nec dimidium integrum cōtineret, placuisse Plin. tria stadia tantū dicere: Diony. uero dimidium addere. Nam historicus locorū mensuram ponere non cogitur: id si quando accidit, ut ipsorum laxitatem, altitudinemque demonstraret, (quod & nos in aquarum castellorum descriptionibus, & alibi quandoque fecimus) non ita exacta ab eo exigitur, ut ab architecto, cuius ars symmetris præcipue cōstat. In Circo sæpenumero pugnarum naualiū simulacra fiebant: & ob eam causam aqua Appia ad hūc Circum replendum deducebatur, ut testatur Frontinus.





De Templo Consi, eiusque Ara : & de æde Neptuni, ac Iuuentutis : atq; de  
Fornice Sertinii. Cap. XVIII.

**C**onsus, quem Deum consilij putabant, in Circo Templum habuit, sub tecto. Huic deo Romulus simulacrum dedicauit, ut initium de rapiendis Sabinis consilium tegetetur. Plut. tamen refert, Romulum cuiusdam dei aram conditam sub terra in Circo inuenisse, eique deo Consi indidisse nomen, siue à consilio, quòd consiliarius foret : uel quòd Neptunus Equester esset : Aramque ipsam reliquum tempus latere, in equestribus uero certaminibus aperiri : & Diony. Arcades Neptuno equestri templum, solennemque diem constituuisse, Aram autem posita Genio cuidam arcano occultorum consiliorum duci, atque custodi constructam esse. Quibus uerbis ostendit, Conso aram, Neptuno uero templum fuisse : Tamen si Liuius consualia Neptuno ascribat, eorum puto sententiam secutus, qui Consum, & Neptunum eundem esse arbitrantur. Consualia qui ludi essent, ostendunt Varronis uerba, quæ Iubei. Consualia dicta à Conso, quòd tum feriæ publicæ ei æco, & in Circo Max. ad aram eius ab sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus Sabinae sunt raptæ. Nostra tempestate ad montis Palatini radices, iuxta D. Anastasiae nunc templum, inuentum est jacellum, quem nos ipsi uidimus, uarijs conchis marinis adoratum : quod quidem Neptuni fuisse arbitramur : & cum iam esset proximum Circo : Ara uero Consi ad extremam eiusdem Circi pariem Septizonio proximam : quod significat Cor. Tac. sententiam Diony. recipiendam esse opinamur. In eodẽ Circo Iuuentutis etiam Aedes constructa fuerat : & , ut Liuius prodidit, à Licinio duumuiro dicata. Idem auctor ait, Sertiniũ Fornicẽ ibidẽ erexisse, eius sunt hæc uerba. Sertinius ex ulteriore Hispania ne tentata quidem triumpho spe. L. M. ponao argenti in ararium tulit : & de manubijs duos fornices in foro Boario ante Cornuæ ædem, & Matris Matutæ : unum in Circo Maximo fecit, & his fornicibus signa aurata imposuit. Quòd uero Suet. scribit, Nerone diruto Circi Maximi arcu per Velabrum, foriũque Palatium, & Apollinem petisse : de quo arcu intelligat, non satis exploratum habemus. Erat quoque in Circo Simulacrum Seia, Iue Segeſtiæ deæ, à ferendo, uel à segetibus appellatæ, auctor Plin.

De Obeliscis : & de eo qui in Circo Max. iacet.

Cap. XIX.

**D**icturi de Obelisco, qui in Circo Maximo multa obrutus terra adhuc iacet, ac deinceps de ijs, qui in alijs urbis partibus fuerant constituti, ad rem facere arbitramur, nonnulla de ijs, ab Ammiano Marcellino tradita, præponere. Quæ, quid sit obeliscus, & cuius rei causa inuentus, declarant : eius uerba sunt hæc. In hac autem urbe inter labra ingentia, diuersasque moles figmenta Aegyptiorum numinum exprimentes, Obeliscos uidemus plures, aliosque iacentes, & conminutos : quos antiqui Reges bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati montium uenis, uel apud extremos orbis incolas perscrutantes excisos, erectos dijs superis in religione dicarunt. Et idem n. ox subdit. Est obeliscus asperimus lapis in figuram metæ cuiusdam sensum ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur gracilescens paulatim specie quadrata in uertice productus angustum manu lenigatus artificis. In plerisque. n. uisuntur literæ hieroglyphicæ insculptæ. De literis hieroglyphicis, quæ in plerisque uidentur, idem sic inquit. Formatum autem innumeras notas hieroglyphicas appellatas, quas ei undiq; uidemus incisas, initialis sapientiæ uetus insigniuit auctoritas. Volucrum enim, ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa scalpentes, ad æui quoque sequentes ætates imperatorum uulgius perueniente memoria, promissa, uel soluta regum uota monstrabant. Non. n. ut nunc, literarum numerus præstitutus, & facilis exprimit, quidquid humana mens concipere potest. Ita prisca quoq; scriptitarunt. Aegyptij : sed singulæ literæ singulis nominibus seruiebant : & uerbis non nunq significabāt integros sensus. Cuius rei scientiæ in his interim sit duobus exemplũ. Per Vulturẽ

naturæ uocabulum pandunt, quia nullos mares posse inter has alites inueniri, rationes memorant phisica: pèrque speciem apìs mella conficientis, indicant regem, moderari cū iocunditate, aculeos quosque innasci debere, his signis ostendentes, & iunilia plura. Hactenus Marcellinus. De iisdem literis legimus apud Macrobiū, Aegyptios bouis figura, terram: & sceptro insculpto, solem significasse. Sed multo plura apud Orum Apollinem de ijs literis inuenies. Ex quo autem lapide obelisci exciderentur: quis primus instituerit: & à quo hic, q̄ est in Circo, sit excisus, & Romam perductus, Plin. sic ostendit. Circa Syenem uero Thebaidis Syenues, quem ante pyrrhopecilon uocabant, trabes ex eo fecere reges quondam certamine, obeliscos uocantes, Solis numini sacratos: radiorum eius argumētum in effigie est, & ita significatur nomine ægyptio. Primus omnium id instituit Mitres, qui in Solis urbe regnabat, somnio iussus, & hoc ipsum inscriptum ē in eo. Etenim sculpturæ illæ, effigiesque, quas uidemus, ægyptiæ sunt literæ. Is autem obeliscus, quem D. Augustus in circo Magno statuit, excisus est à rege Semneferteo, quo regnante Pithagoras in Aegypto fuit. CXXV. pedum, & doradrantis, præter basim eiusdem lapidis. Idem Ammianus ait, Augustum duos obeliscos ex Hieropolitana Aegypti ciuitate Romam trāstulisse: eum jilicet, qui in Campo locatus erat Martio, & hunc, de quo loquimur. Quem, inquit, recens aduēctum difficultate magnitudinis territus Augustus, nec cōtrastare ausus est, nec mouere. Secutæque ætates alios transtulerunt: quorum unus in Vaticano: alter in hortis Salustij: duo in Augusti monumento erecti sunt. Quibus uerbis cōncimus obeliscū campi Martij omnium primum Romam perductum, eūque, & reliquos, qui in hac urbe cernūtur, Thebis, & ex alijs urbibus Aegyptijs aduēctos esse.

De Templis, Solis, Floræ, Liberi, Liberæque, Cereris, Veneris, & Mercurij: & de Lupanari, ac Domo Pompei. Cap. XX.

**A** Pud Circum Solis, Floræ, Liberi, Liberæque, & Cereris sacræ ædes collocatæ erant, ut testatur Cor. Tac. cum ait. Iisdem temporibus dum ædes uetustate, aut igni abolitas, cœptasque ab Augusto Tiberius dedicauit, Libero, Liberæque, etiam Cereri iuxta Circum Maximū. Solis, & Floræ ad eundem Circum fuisse alibi affirmat. Nonnulli tradunt Cassium Cos. Cereris ædem, Liberique & Proserpinæ, quæ erat supra Circi terminos, ultra ipsas emissiones, dedicauisse: cum eas Posthumius aduersus Latinos pugnaturus, pro urbe ñs dijs uouisset. Cum autem dicat ultra emissiones ædem Proserpinæ fuisse: coniecturam facimus, eam fuisse, aut in hortis nūc Scholæ Græcæ, aut iuxta eos: ubi Circi Carceres steterisse multis constat argumentis. De Cereris æde Plin. ita meminit. Platiæ laudatissimi fuisse Damophilus, & Gorgasus, idemq; pictores: qui Cereris ædem Romæ utroque genere artis excoluerunt. Aristides pinxit Romæ Liberum patrem, & Ariadnem spectatos in æde Cereris. Veneris quoq; Templum prope eundem Circum fuisse, ostendit Linius his uerbis. Q. Fabius Curges Cos. filius aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multauit, ex quo multatio ære Veneris ædem, quæ prope Circum est, faciendam curauit: & Ouidius Mercurij Templum eundem spectasse Circum ait. Neque .n. Vitruuij de constituendis templis præcepta perpetuo obseruabantur. Nam etsi is præcipit: Mercurio in foro, ut æo mercaturæ: Libero secundum theatrum, quod ludis scenici ei ascribebantur: Veneri ad portum, eo quòd ex maris spuma orta: Item Cereri extra urbem, utpote frugum deæ, templa constituenda esse, tamen omnia hæc apud Circum fuisse, ex auctorū, quos citauimus, dictis, pater. Ceres tamen quòd ædem apud Circum habuerit, potest uideri non temere factum: quoniam circenses in eius quoque honorem, teste Ouidio, & Cor. Tac. celebrabantur. Lupanaria apud eundem Circum instituta esse significat Iuuenalis, cum inquit. Et ad circū iussas prostrare puellas. Pompei Domum ad Circum fuisse, in eaque Herculem à Myrione factum, scribit Plin. Hanc crediderim steterisse apud ædem hodie D. Anastasiæ, sub monte Palatino: propterea quòd & ibi magnæ ruinæ cernuntur, & cætera loca prope Circū, aut sacris ædibus, aut foro Boario, occupabantur.

## LIBER QVARTVS.

De Salinis, Lignarijs, Vitriarijs, Figulis, Venere Myrtea, ac de Circo  
Intimo, atque de Testaceo. Cap. Primum.



APITOLII, Palatiique, ac cōualium ipsis adiacentium, ædificijs tandem descriptis, poscere uidebatur locus, ut ad Cælij montis, quod tertius esset urbi adiectus, ædificia transiremus. Sed cum animaduertimus ex orāine perpetuo quæ declaranda sunt fore lucidiora: ab ea planicie, in qua monticulus Testaceus etiam nunc uisitur, initium facere decreui. Salinas in hac planicie, propèq; Naualia fuisse, quidam tradidere: de quibus, quid sentiamus, superiori libro diximus. Sed harum loci magis patet ex auctorum dictis, quos citauimus, ubi de porta Trigemina sumus locuti. Eregiōe autem dictori in Naualium fuisse Lignarij, et apud ipsos Emporium, ac Porticus Aemilia: idque ex uerbis Liuij manifestum fit. quæ hic apposui. Aediles extra portam Trigeminam Emporiū lapide strauerunt, stipitibusque sepiunt, et porticum Aemiliam reficiendam curarunt, gradibusque ascensum ab Tiberi in Emporium fecerunt. Basilicam autem Aemiliam, de qua Plin. trigesimo quarto meminit, ad eam porticū fuisse crediderim. Post Lignarios proximo loco erat Vitriariorū Vicus: post hūc Figuli: inter quos, secūdu Varronē, erat Venus Myrtea: et Circus Intimus, cuius uestigia extant in uineis Tiberi adiacentibus. Myrtea uero dicta est Venus à Murteto, in quo eius esset Sacellum: quam Plin. Murceam postea uocatam esse testatur. Figuli autem et alibi plurimis in locis: nec mirum: nam fætulum maximus erat usus apud friscos: ut Plin. ait: ad: o ut dæorum simulacra, templorūque ornamenta, et ipsa parietum incrustationes ex fætilibus conficerentur: defunctique se se dolus fætilibus cendi curarent: et propterea Numam regē septimum collegium sigulorum instituisse. Sed horum omnium maximum aquarum usu, et commoditate in hac planicie recte fuerat constitutum: quoniam maxima uasa hic præcipue fiebant. Cum autē Senatus cauisset ne in Tiberim eius artis purgamenta abijcerentur, quibus sensum repletus in urbē res stagnaret, his locū assignauit, quo ea deferrent: quibus coaceruatis ingens surrexit tumulus, qui Testaceus est nūcupatus: cuius ambitus tribus stadys uix perficitur, altitudo, ubi maxima, ē ped. CLX.

De Horreis Po. Ro. Sepulcro C. Cestii: et de Hylerna luco. Cap. II.

Neer Testaceum, Auentinum, et Tiberim fuisse Po. Ro. Horrea. CXL. de quibus mentio est in marmore ibi reperto, habenti titulum hunc.

NVM. DOM. AVG. SACRVM GENIO CONSERVATORI  
HORREORVM GALBIANORVM M. LORINVS  
FORTVNATVS MAGISTER S. P. D. D.

In parte auersa eadem legebantur uerba, nisi quod loco, GENII, erat, FORTVNAE. Plin. ē in eadē planicie horrea fuisse innuit, cū ait, P. Mancino præfecto ānonæ extra portam Trigeminā unciaria stipe collata, columnā positā fuisse. Ad portā autē nūc. S. Pauli muris urbis includitur moles quadrata, ad modū ignis in acutū tendens, figura metæ. quāob rem αἰὼς τοῦ πυρός pyramidē appellarunt. Licet Stephanus de urbibus aliam tradat etymologiam, his propemodū uerbis, Pyramides in Aegypto ædificiū, in quod feruntur expensa fuisse in cepas, allia, et caseum talenta. X. M. et quingenta: nominatæ αἰὼς τοῦ πυρός v. i. à tritico: quod illuc cōducēs rex penuriā fecit frumenti per totā Aegyptū. Pyramides excidēdi, statuendūque rationē docet Plin. hoc modo. Dicantur pyramides in eadē Aegypto regum pecuniā ociosa, ac stulta ostentatio. Quippe faciendū eas à plerisque ea cātraditur,




ne pecuniam successoribus, aut æmulis insidiantibus præberent, aut ne plebs esset ociosa. Sed hæc moralem, de qua loquimur, fuisse Sepulcrum C. Cestij. VII. uiri epulonum, ostendit titulus in exteriori, & interiori latere eius incisus. Ab exteriori tantum latere, & literis longe minoribus subijcitur.

OPVS. APSOLVTVM. EX. TESTAMENTO. DIEBVS. CCC. XXX.

ARBITRATV

PONTI. P. F. CLAMELAE. HAEREDIS. ET. PONTI. L.






ne pecuniam successoribus, aut æmulis insidiantibus præberent, aut ne plebs esset ociosa. Sed hæc mor-  
lem, de qua loquimur, fuisse Sepulcrum C. Cestij. VII. uiri epulorum, ostendit titulus in exteriori, &  
interiori latere eius incisus. Ab exteriori tantum latere, & literis longe minoribus subijcitur.  
OPVS. APSOLVTVM. EX. TESTAMENTO. DIEBUS. CCC. XXX.

ARBITRATV

PONTI. P. F. CLAMELAE. HAEREDIS. ET. PONTI. L.



Hic est ille Cestius uir consularis, quem Plin. narrat circūtulisse Signum, secūmque etiam in praelio habuisse. Idēque fuit unus ex epulonibus, quos ita appellatos ait Cic. tertio de oratore: quoniam epulas dijs instruendi potestatem haberent. In hac eadem planicie, apud Tiberim, fuit lucus nomine Hylernæ. Ouid.

Adiacet antiquus tiberinæ lucus hylernæ,  
Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.

De Auentino: Templo Bonæ Deæ, & Herculis: & de Armilustro,  
ac Remoria. Cap. III.

**A**uentinum, inquit Varro, aliquot de causis dicunt. Nāxius ab auibus, quod eò se ab Tiberi ferrent aues. Alij à rege Auentino albano, quod ibi sit sepultus. Alij ab aduentu hominum: quod cōmune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum. Ego maxime puto ab aduectu. Nam olim palus dibus mons erat ab reliquis disclusus: itaque eò qui aduehebantur ratibus quadrantē soluebant. Sex. Pom. à rege albano dictum Auentinum confirmat. Alij in gentem Po. Ro. Sabinos à Romulo susceptos aiunt, eūmq; accepisse montem, & ab Auante prouincia suæ fluuiio Auentinum appellasse. Eorum autem opinionem, qui ab aduentu hominum dictum uolunt, non satis probo: eo q; ante Ser. Tullij tempora, à quo templum Dianæ fuit extructum, montē hunc Auentinum appellatum constat. Nam prius à Murcæ deæ sacello, sub ipso monte posito, Murceum uocatum, idem Sex. Pom. asserit. Sed & Remurio illi quandoque fuit nomen: quem Romulus neminem passus est habitare, sed sacrum fratri esse uoluit usque ad Hylernam. Mons hic à Circo Max. ad portam ferè. S. Pauli usq; sic scinditur uia obliqua, ut duo montes uideantur. Propter quod Plin. lib. X. cap. III. in plurali profert, sic enim ait: Nemo sacros, auentinosque montes, & iratæ plebis secebus circūspexerit. Sed de ædificijs quæ in eo fuisse uideamus. In ea igitur huius montis parte, quæ respicit planiciem, de qua superiori capite sumus locuti: ubi nunc est D. Mariæ cognomento Auentinæ ædes, fuit olim Bonæ Deæ templum, in Fannii filie castissimæ honorem à Claudia Vestali positum, ut aliqui tradunt. Huiusce autem deæ sacra à solis fœminis peragebantur, neque licebat uiris interesse: unde Cic. criminatur P. Clodium, quod ausus fuerit ea sacra, quæ pro salute Po. Ro. in Pont. Max. ædibus fiebant, sua præsentia perturbare, atque polluere. Proxime erat Herculis Templum, apud nunc D. Alexij ædem, uel eo ipso loco. Quem locum non temere fortassis D. Alexio nostri dedicauerunt: quoniam Hercules, ex eo quod defensor hominum habebatur, ut ait Varro, uel quod mala arceret, à Græcis ἀλγῶν ἐσθλῶν est dictus. Nam maiores nostri, qui Christiani nominis propagandi curam susceperant, magnam adhibuere diligentiam, ut gentes superstitioni, & idolatriæ deditas ad uerum Christi cultum sensum traderent, easque aliquando nominis, aut rei alterius similitudine allicientes, multū in eo profecerunt. Sic Pantheum, omnibus dijs consecrarunt. Carmentæ fanum D. Catherinæ. Romuli & Remi fratrum, pariter duobus fratribus Cosinæ & Damiano. Romuli præterea, cuius origo incerta ferebatur, ueluti à deo orti, D. Theodoro: quod nomen Dei donum interpretatur. Cæterum quod Herculis templum ibi esset: ea est ratio, quia prope erat Armilustrum, in quo ludicra fiebant certamina, in quibus ille semper uicerat. Simili uero causa & ad Circum Max. & Flaminium templa habuisse legimus. Quod uero Armilustrum iuxta Herculis templum fuisset, facile cognosci potest ex marmore (quantquam comminuto) in proximis uineis reperto, in quo inscriptum est.

SACRVM

MAG. VICI ARMILVSTRI.

Plut. etiam commemorat, Armilustrum locum esse in Auentino, ubi Romulus T. Tatium sepeliuit. Varro Armilustrum, inquit, ab ambitu lastri: locus idem Circus Maximus dictus, quod circum spectaculis ædificatis ibi ludi fiunt, & quod ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt. Vbi significare uides

G

itur Armilustrium, & Circum eundem esse : et infra , Armilustrum ab eo quòd in Armilustro armati sacra facerent dictum esse affirmat. Sex. uero Pomp. Armilustrum, inquit, festum erat apud Romanos, quod res diuinas armati faciebant, ac dum sacrificarent tubis canebant. Armilustrum etiam dicebatur locus, ubi arma publica reponerentur: Romani enim arma priuatim non habebant, sed ad expeditiones bellicas ex Armilustro accipiebant, eòque referebant bellis confectis. Hinc Spartianus dicit, Vespasianum ex Armilustro arma legionibus permisisse. Remoria locus fuit prope armilustrum, dictus quòd ibi Romulus Remum sepeliuit : quandoquidem & uiuus eum locum ille sedibus destinabat, auc. Sex. Pomp. Idem alibi ait, Remoriam locum esse in summo Auentino ubi Remus de urbe còdenda fuerat auspicatus.

De Templo Dianæ, & Iunonis Regina: Spelunca Caci: Cliuo pub. ac de  
Thermis Traiani, & Decij: & de Scalis Gemonijs. Cap. IIII.

**A** Templo D. Alexij ad teli iactum, D. Sabinae nunc est ædes, ubi olim fuit Diana, ut significat Appianus, memorans Gracchum Dianæ ascēdisse templum, atque inde ad alteram fluminis partem per pontem ligneum transiisse. Templum hoc dedicauit Ser. Tullius, ut Sex. Pom. affirmat, his uerbis. Seruorum dies festus, existimatur Idibus Augusti, quòd eo die Ser. Tullius natus serua ædem Dianæ dicauerit in Auentino, cuius tutelæ sunt cerui, à quorum celeritate fugitiuos uocent seruos. Còmunne autem erat omnibus Latinis, quòd ideo instituisse uidetur, ut ostēderet lege naturali seruos nihil distare à cæteris hominibus. Diony. autem Ancum regem auctorem templi Dianæ fuisse, sic ostendit. Traductis ex Tellenis, Politorio, aliisque urbibus, quoscumque cœperat colonos, ibi collocauit, persuasitque ut templum Dianæ ædificarent: adycerintque statutis temporibus inducias, ut si qua facta inter eos offensio esset, per hæc sacra dissoluerent. Posteaque rex pecunijs, quas contulerant urbes eæ omnes, extruxit Dianæ Fanum in maximo Romæ collum Auentino collocatum, legesque in base ærea conscripsit, in delubro Dianæ sita. Hactenus Diony. An de eodem uterque intellexerit, dubium est. In ea huius montis parte, quæ Tiberim spectat, proximæque portæ Trigeminæ, haud procul à Schola Græca appellata, fuit Spelunca Caci, quòd innuit Diony. narrans Herculem Caco claua mactato, & Spelunca euersa Aram Iouis Inuentoris erexisse ei loco proximam, eamque suo tempore prope portam Trigeminam extitisse. Quòd porta Trigemina ibi esset, & Caci Spelunca, ac Salina, exitusque aquæ Appiæ in Tiberim, primo libro, ubi de hac porta locuti sumus, demonstratum est. Ex quibus omnibus constat, haud uerum esse quòd nonnulli putarunt, hanc Speluncam fuisse in ea parte Auentini, quæ ædi Bonæ Deæ subiaceret, quemadmodum horum opinionem prius secuti in figura urbis locum notauimus, Clius Publicus, per quem in Auentinum erat ascensus, à foro Boario incipiebat: idque ex eo Liiij loco patet, quem de uico thusco loquentes, citauimus. Præterea libro sexto de bello mac. eiusdem Clii sic meminit. Cùm commissum prælium esset, Coss. transfugas Numidarum, qui tum in Auentino ad mille & trecentos erant, media urbe transire Esquilias iusserunt, nullos aptiores inter conualles, tectaque hortorum, & sepulcra uacuas undique uias ad pugnandos futuros rati. Quos cùm ex arce, Capitolioque, Cliuo publico in equis decurrentes quidam uidissent, captum Auentinum conclamarunt. Ab armilustro ad eum usque locum ubi nunc D. Priscæ est templum, Traiani Thermæ cum priuatis ædibus fuisse dicuntur: & ibi non longe. Varianæ: Decianæ uero ad templum modo dictum: de quibus Eutropius sic inquit. Decius Romæ lauacrum ædificauit: harum, illarumque nonnulla adhuc extant uestigia. Iunonis Reginae Templum, quantum ex Liiij uerbis conijcere possumus, in summo Cliuo publico steterat: quòd ex parte ueientanæ prædæ à Camillo dictatore uotum, & ab eodem postea consecratum est. Non longe ab hoc Cliuo (ut aliqui arbitrantur) fuere scalæ Gemoniæ: per quas fontes unco traherentur. Suet. in Vitel. Tandem apud Gemonias minutissimis idibus excarnificatus, atque confectus, & inde unco tractus in Tiberim.

De quibusdā Tēplis, Aedificiisque alijs, quæ erant in Auētino, quorū certus locus ignoratur. Cap.V.

**M**ltra autem alia stabant in Auentino ædificia, quibus certum locum assignare non possumus: etenim eorum ruina uincis consuis testæ sunt. Sederat Victoriæ Templum: quod ab Arcadibus extructum esse, ab eisdemque sacra instituta, cōmemorat Diony. Erat & Mineruæ: de quo Sex. Pom. Iunonis, de quo Val. Max. Luna, de quo Ouid. meminere. Ouidius sic.

*Luna regit menses, huius quoque tempora mensis*

*Finit auentini luna colenda iugo.*

Sic & Liuius. Atrox cum uento tempestas forem ex æde Luna, quæ in Auentino est, raptam tulit. Idem etiam d: Libertatis, & Martæ ædibus sacris meminit: & hanc bello ueientium à Camillo dictatore uotam, atq; ab eodem postea consecratam, ait. Illam autē ex multatitia pecunia cum areis columnis, & st. tuis à patre T. Gracchi & conditam, & dedicatam, cuius Atrium ab Halio Peto, & Cor. Cethego fuit ref: Etum, & ampliatum. Quod uero Suet. tradit, Asinium Pollionē Atrium Libertatis extruxisse, de alio atrio intelligendum esse existimo: propterea quod multo tempore post fuit Asinius Pollio. Cui opinioni assentiri uidetur Liuius libro. V. dec. V. ubi inquit. Hæc inter ipsos disceptata, postremo eò de scensum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur. Iunonis Mon: etiam in Auentino Templum fuisse inuenimus. Item Iouis Elicij Aram, à Numa rege dicatam: quæ ab eliciendo, secundum Varronem, nomen adepta est. Fuit & Murtiæ uetus Ara. In eodem Auens tino fabulantur fuisse Fauni, & Pici Antrum, fontemq; ex quo bibebant, hinc Ouidius.

*Lucus auentino suberat niger ilicis umbra,*

*Quo posses uiso dicere, numen adest.*

*In mediq; gramen, muscòque adoperta uirenti*

*Manabat saxo uena perennis aquæ.*

Manant & hodie fonticuli ex radicibus eiusdem montis in Tiberim cadentes. In eo sita erat Laurentū Sylua Ioui sacra, in qua Valentinianus. IL Constantini, & Gallæ Placidia filius, fuit interfectus. & T. Tattum regem sepultum fuisse, scribit Sex. Pom. Ab hac Sylua nomen sumpsisse uidetur uia Laurentina: quæ fuerat inter Ostiensem, & Ardeatinam: de qua meminit Gellius: & de Laurento Macrobius: nisi mauis Laurentinam appellatam esse, quòd in Laurentum agrum duceret. M. Cato memoria. prodidit, Italum regem Auentinum coluisse. In eo monte Vitellius imperator Domum habuit, atq; Faberius scriba: de qua Vitruuius de minij temperatura agens, sic inquit. Cum alij multi, tum etiam Faberius Scriba cum in Auentino uoluisset habere domum eleganter expolitam, peristylis parietes omneis induxit minio, qui post dies triginta facti sunt inuenusto, uariòq; colore. Fuit in eodem monte apud Dianæ templū etiam Phylidis cuiusdam Domus, ut hoc carmine ostendit Propertius.

*Phylis auentinæ quædam est uicina Dianæ.*

De Arcu Constantini: & de Septiōnio Seueri imp. Cap. VI.

**Q**uoniam Cælius mons conualle, in qua uiam Appiam esse testatur Spartianus, qua parte septentrionem spectat, à Palatino: quaq; ad occasum, ab Auentino, dirimitur: priusquā in eum ueniamus: quæ in hac conualle sint, fuerint uē summatim indicemus. In capite igitur uia Appiæ stat Arcus Constantini triumphalibus ornamentis excultus, cum trophæis, uictoriisque alatis: quem, superato ad pontem Miluium Maxentio, Senatus posuit. Arcus enim huiusmodi erigebantur in honore eorū, qui rebus Po. Ro. feliciter gestis, uictoriā triumpho dignā reportassent: à quo triūphales denominant. In his aut simulacra belli, oppidorū, fluuiorum, nauū illorū, quos deuicerant, incidebant. In hoc aut sunt quædā mira arte sculpta, quædā non satis probant: ideo multi uolunt, illa ex arcu Traiani destructo ad huius ornamum translata, hæc uero illis addita. In utroq; frontispicio autem est titulus huiusmodi.

G h



IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO

P. F. AVGVSTO S. P. Q. R.

Q VOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS

MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO

TAM DE TYRANNO Q VAM DE OMNI EIVS

FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS

REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS

ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

A fronte autem quæ ad ortum solis uergit, legitur à dextra.

VOTIS. X.

à sinistra.

VOTIS. XX.

Ab altera uero fronte quæ occasum spectat, à dextra.

SIC. X.

à sinistra.

SIC. XX.

In interiore autem parte fornicis maioris ab una parte sculptum est.

LIBERATORI VRBIS.

ab altera.


FVNDATORI Q VIETIS

In eadem autē eoualle, apud circum Max. cernitur Sepulcrum Seueri imp. SeptiZonij appellatum: quod in uia Appia ab ipso Seuero extructum esse, sic ostendit Spartianus. Funus Getæ illatum est in maiorū sepulcro, hoc est Seueri: quod est in Appia uia euntibus ad portam dextra, specie septiZonij extructū: quod sibi ille uiuus ornauerat: & idem rursus. Cum septiZonium faceret nihil aliud cogitauit, quā ut ex Africa uenientibus suū opus occurreret. Alterius autē septiZonij meminit Suet. qui cōmemorat Titū apud septiZonium cubiculo per paruo, & obscuro natū. III. Cal. Ian. SeptiZonium, inquit, manet adhuc & ostenditur. SeptiZonij Seueri supersunt tres ordines colūnarum inuicem superimpositarū: alios aut quatuor insuper fuisse quidam putant, & ideo septiZonium dictum, quod septem ordinibus columnarū iungeretur, ueluti septem Zonis. Sed tanta est trium horū altitudo, ut maiorem habuisse, non fiat uerisimile. Propterea Iulius Capitolinus Septodium uocat: quod ibi septem uiae concurrerent. Alij uero Septisolum à septem solaris: nam inter colūnas, quæ à tribus lateribus efficiunt ueluti porticum, est breue ædificiū, ex saxo quadrato, ab imo ad sūmum: hoc diuisum in septem ueluti solaria etiam nunc uides mus: quibus moles ipsa cōnexa firmior efficitur. In zophoro legitur hic titulus truncatus.

C. TRIB. POT. VI.

COS. FORTVNATISSIMVS NOBILISSIMVS Q VE

Huius SeptiZonij formam quod paucos hactenus eam intellexisse animaduertimus, & si dimidia tantū parte extet, conati tamen sumus integram reddere, nā dimensis singulis quæ extant partibus, uniuersam rationem deprehendimus.



IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO

P. F. AVGVSTO S. P. Q. R.

QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS  
MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO  
TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS  
FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS  
REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS  
ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

*A fronte autem quæ ad ortum solis uergit, legitur à dextra.*

VOTIS. X.                      à sinistra.                      VOTIS. XX.

*Ab altera uero fronte quæ occasum spectat, à dextra.*

SIC. X.                      à sinistra.                      SIC. XX.

*In interiore autem parte fornix maioris ab una parte sculptum est.*


LIBERATORI VRBIS. ab altera. FVNDATORI QVIETIS

*In eadem autē cōualle, apud circum Max. cernitur Sepulcrum Seueri imp. Septiζoniu appellatum: quod in uia Appia ab ipso Seuero extructum esse, sic ostendit Spartianus. Funus Getæ illatum est in maiorū sepulcro, hoc est Seueri: quod est in Appia uia euntibus ad portam dextera, specie septiζonij extructū: quod sibi ille uiuus ornauerat: & idem rursus. Cū septiζonium faceret nihil aliud cogitauit, quā ut ex Africa uenientibus suū opus occurreret. Alterius autē Septiζonij meminit Suet. qui cōmemorat Titū apud septiζonium cubiculo perparuo, & obscuro natū. III. Cal. Ian. Septiζonium, inquit, manet adhuc & ostenditur. Septiζonij Seueri supersunt tres ordines colūnarum inuicem superimpositarū: alios aut quatuor insuper fuisse quidam putant, & ideo septiζonium dictum, quod septem ordinibus columnarū iungeretur, ueluti septem ζonis. Sed tanta est trium horū altitudo, ut maiorem habuisse, non fiat uerisimile. Propterea Iulius Capitolinus Septodium uocat: quod ibi septem uiae concurrerent. Alij uero Septis solium à septem solaris: nam inter colūnas, quæ à tribus lateribus efficiunt ueluti porticum, est breue ædificiū, ex saxo quadrato, ab imo ad sūmum: hoc diuisum in septem ueluti solaria etiam nunc uidemus: quibus moles ipsa cōnexa firmior efficitur. In Zophoro legitur hic titulus truncatus.*

C. TRIB. POT. VI.

COS. FORTVNATISSIMVS NOBILISSIMVSQ. VE.

*Huius Septiζonij formam quod paucos hactenus eam intellexisse animaduertimus, & si dimidia tantū parte extet, conati tamen sumus integram reddere, nā dimensis singulis quæ extant partibus, uniuersam rationem deprehendimus.*





**I**N radicibus Auentini, apud D. Balbinæ ædem, parietes amplissimi ex reliquis thermarum Antonini Caracallæ, spectantur, & columnæ miræ magnitudinis, diuersorumque lapidum iacentes, atque cõminutæ. De his thermis Spartiani sunt hæc uerba. Romæ reliquit thermas sui nominis eximias: quarum cellam solearem architecti negant posse ulla alia ratione fieri, nisi qua facta est. Nam ex ære cupro cancelli subpositi esse dicuntur, quibus concameratio tota concedita est: & tantum est spatij, ut id ipsum aliter fieri potuisse negant docti mechanici. Eutropius. Opus, inquit, egregium fecit lauacri: quæ Antonianæ appellantur. Lampridius uero refert, has ab Antonino inchoatas, Seuerum perfecisse, atque exornasse: quibus pars aquæ Appiæ seruiebat. Sub eisdem autem thermis Antoninus dicitur Palatium nobilissimum posuisse. Sed quia de thermis sæpe erit mentio, ab re non erit de ipsis generatim aliquid dicere. Thermon igitur græcum nomen calidum significat. Hinc loca publica lauandi, & sudandi usus constituta, eodem modo Latini, quo Græci, thermas appellant. Priscis namque lauandi usus propè quoties die fuit: quò uel puluerem, sordēsque abluerent, uel sudorem prouocarent, ualitudinis, uoluptatisue causa. Præterea multa balnea, etiam priuata, Romæ fuisse nō est dubium. Hinc Cic. Terentiam monet, ut curet labrum in balneo ne desit: certiorēque facit Q. Fratrem de balneis, quas in Arpinati extrui curabat. Sed quo modo genere differant à publicis Varro ostendit, his uerbis. Item reprehendunt analogias, quòd dicantur multitudinis nomine publica Balneæ, non balnea: contra quod priuati dicunt unum Balneum: Quòd plura Balnea dicant: quibus responderi potest, non esse reprehendendum quòd scalæ, & aquæ caldæ, pleraque quæ cum multitudinis uocabulis sint appellata, neque eorum singularia in usu uenerint. Item contra primum balneum nomen & græcum introit in urbem, publice ibi confedit, ubi bina coniuncta essent ædificia, lauandi causa: unum ubi iuri, alterum ubi mulieres lauarentur. Hæc Varro. Nam esse in balneis lauacra muliebria à uirilibus distincta, apertissime Vitru. ostendit. Lauabantur tamen aliquando mulieres in balneis uirilibus: ut in oratione Gracchi de legibus promulgatis scriptum esse, testatur Gellius. Balnea pensilia primus omnium Sergius Orata facere instituit: sicuti Valer. Maximus, & Macrobius commemorant. Re postmodum ad principum luxum, & fastum producta, cœpere lauacra in modum (ut ait Ammianus) prouinciarum extruere: quas thermas appellant: quæ infinita propemodū habebant loca, uarijs usibus, & uoluptatibus statuta: Quædam ad calefaciendam aquam: ex quibus per siphones, fistulasque balneis, siue lauacris, nedum in solo expositis, uerum etiam pensilibus calidam ministrabant: quæ post lotionē inuicilis per canales in partem inferiorem, inde subterraneis meatibus in Cloacas mittebatur. Alia, Apody: eria dicebātur, in quibus balnea ingressuri uestes deponebant, ut ostendit Plin. in epist. Insuper erant arcæ amplissimæ porticibus circumdata, concamerataque ædificia in circuitu habentes, in quibus erant diuersi coloris marmoreæ, ingentesque columnæ: pauimenta lithostrata uarijs lapidibus conspicua, parietesque marmoreis tabulis in multis uestiebant. Erant & Xysti: & nemora, & natatoria populi ludis, deliciisque exposita: quibus adductus frequenter eò cõueniebat. Quin & principes ad id insaniam uenerant, ut cū populo promiscue lauarent. Spartianus de Hadriano. Publice, inquit, & frequenter cum omnibus lauit. M. autem Aurelius lauacra mixta prohibuisse dicitur. Lauandi tanta fuit Commodò inrp. uoluptas, ut septies in die lauerit, in balneisque cœnitauerit. Iulius Capitolinus literis mandauit, Gordianū iuniorem septies in æstate, hyeme bis lauisse: qui cum mulieres pulchras, & puellas, & cum his uetulas deformes admitteret, se iocose id facere dicebat. In thermis autem Alexander imp. syluas deputauit, oleumque luminaribus addidit: cum antea non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur.

G i ij

**T**emplum Isidis Antoninus inter uiam Appiam & thermas, quas fecerat, collocauit: apud adē nūc D. Nereo sacratam, ubi marmor effossum est, cum hac inscriptione.

SAECVLO FELICI ISIAS SACERDOS ISIDI SALVTARIS CONSECRATIO.

In altero marmoris frusto legebantur hæc uerba.

PONTIFICIS VOTIS ANNUNT DII ROMANAE REIP.

ARCANA Q. IN ORBIS PRAESIDIA ANNUNT QVORVM

NVTV ROMANO IMPERIO REGNA CESSERE.

Virtutis, & Honoris ædem apud portam Capenam M. Marcellus dedicauit, anno decimo septimo postquam à patre eius primo consulatu, in Gallia citeriori ad Claustidium, fuerat uota: de qua mensinit Cic. de nat. deorum. Hanc Cor. Pinus, & Aëtius Priscus, Vespasiano Augusto restituente, pinxerunt, auc. Plin. Ad portam autem fuerat extructa: quasi monitos esse uellent ad bella proficiscentes, nisi per uirtutem aditum ad honorem, & gloriam non patere. Hinc est quod D. Augustinus ait, Neminem honoris ædem potuisse ingredi, ni prius Virtutis esset ingressus. Sex. Pom. scribit, C. Marium ædem Honoris, & Virtutis fecisse summissiorem cæteris, ne si forte officeret auspicijs publicis, Augures eam demoliri cogerent: quibus uerbis indicat, alias fuisse Honoris, & Virtutis sacras ædes. Huius, quæ posuit Marius, meminit etiā Vitr. his uerbis. Nō solum scripta à Cosutius sunt de syderada, sed etiam à C. Mutio: qui magna scientia confusus ædes Honoris, & Virtutis marianæ cellæ columnarūque, & epistyliorū symmetrias legitimis artis institutis perfecit. Id uero si marmoreum fuisset, ut haberet, quemadmodū ab arte, sic à magnificentia, & impensis auctoritatē: in primis, & summis operibus nominaretur. Viam autem Appiam, à porta Capena principium habuisse, ait Sex. Pom. Inquit. n. Initium est principium, sed alias quo quid incipiat, ut uia Appiæ porta Capena. Cui sententiæ aduersatur Spartianus qui, ut supra dictum est, uult Septizonium Seueri in ea esse uia. Ab hac uia Appia parum ultra dictum Septizonium, diuerticulo dextrorsus; incipiebat uia Noua: non ea, quæ inter Capitolium, & Palatium fuisse, supra demonstrauimus: hæc. n. ducebat ad dictas thermas, rursusque in uiam Appiam incidebat, haud longe à porta Capena. Templum Quirini prope eandem fuerat Capenam: Seruius. n. sic inquit. Martis duo templa: unum Quirini intra urbem, prope portam, quasi custodis, & tranquillī: alterum in uia Appia, extra urbem, quasi bellatoris, & gradiui. A sinistra Appiæ, surgit Cæliolus, siue Cælicolus mons: de quo Martialis ita meminit. Maior Cælius, & minor fatigat. In eo autem fuisse Templum Dianæ testatur Cic. de resp. aruspicum. Quare arbitramur. D. Ioanni, cognomento ante portam Latinam, cecisse: Nam in proximis uicinis effossa sunt fictilium multa fragmenta, in quibus imago Lunæ erat impressa: & marmor, in quo erat uenator sculptus, equo insidens, copulæque tenens canem, præunte rustico baculū gerente. Piscina publica fuit in ualle diuidente Cælum à Cælioslo. De qua supra libro primo mentionem fecimus. De ea existimo Sex. Pom. intelligere, ubi inquit. Piscinæ publicæ, hodièque nomen manet, ipsa non extat: ad quam & natatum, & exercitationis alioquin cæueniebat populus. Fluiolus autem qui ingrediens per portam Gabinam eandem uallem perfluit, moxque uiam Appiam dissecans in Naumachiam descendit, indeque in Tiberim labitur, ex agròque fluit Lucullano, Appij riuus hodie dicitur. Eum aquæ Appiæ partem esse arbitramur, uel riuum Herculanæ, quem sub Cælio fuisse innuit Frontinus. Hunc Almonē esse quidam falso existimant: cū cum ante portam Capenam fluere Papinius asserat. De eodem sunt Ouid. hæc carmina.

Est locus in Tiberim quo lubricus influit almo,

Et nomen magno perdit ab amne minor.


In hoc Cybale deorum mater singulis annis Cal. Aprilis à Gallis sacerdotibus abluetur.

De



De Caelio monte: Curia Hostilia: Mansionibus Albanorum: Templis,  
Fauis, Veneris, & Cupidinis: Castris peregrinis:  
Domo Lateranorum: & de Amphitheatro Statilij  
Tauri. Cap. IX.


**C**aelium montem Quæretulanum prius appellatum esse, scribit Cor. Tac. quod talis syluæ frequens, fecundusque esset: mox Caelium à Cele Vibenna, qui dux gentis Hetruscæ auxilio Romulo uenit aduersus Sabinos, ut ait Sex. Pom. aut contra Latinum regem, ut Varro testatur: et cum in eo monte sedem habuisset, cognomen illi fecit. Post Cælij autè obitum, Hetruscos, quod nimis munita tenerent loca, neque sine suspitione essent, deductos in planum aiunt, & ab eis uicem Thuscum denominatum. Cælianos autè, qui à suspitione liberi essent, traductos uolunt in eum locum, qui uocatur Cæliolus. Tiberius mutata appellatione iussit Caelium Augustum uocari, auc. Suet. quo nomine appellatum esse, alibi non legi. In hoc aut multa ædificia fuere, uerum omnium ruina ita confusa sunt, ut per paucis certum locum assignare liceat. De notioribus in hoc capite agemus. Curiam Hostiliam alteram, ubi postea templum Pacis fuit, collocat fuisse, dictum est supra: alteram deinde eundem regem excitauisse, ubi nunc D. Ioannis et Pauli est ædes, ostendit Linius, his uerbis. Tullus rex in Caelio monte templum ordini ab se aucto Curiam fecit: quæ Hostilia usque ad patrum nostrorum ætatem appellata est: & quò frequenter habitaret, eadem sedem regie cepit. Haud ita multo post, sub aquæ Claudiæ ductu, cernitur castellum aquarum, ferme integrum: cuius parietes per ambitum sunt latitudine pedum. VI. interius uero. III. operi tectorio crassitudine digitorum. III. Omnium autem concamerationum longitudo pedibus. XXI. constat. Latitudo uaria est, ut in ipsius castelli figura facile est uidere.





De Caelio monte: Curia Hostilia: Mansionibus Albanorum: Templis,  
Fauni, Veneris, & Cupidinis: Castris peregrinis:  
Domo Lateranorum: & de Amphitheatro Statilij  
Tauri. Cap. IX.

Caelium montem Querquetulanum prius appellatum esse, scribit Cor. Tac. quod talis sylva frequens, fecundusque esset: mox Caelium a Caele Vibenna, qui dux gentis Hetruscae auxilio Romulo uenit aduersus Sabinos, ut ait Sex. Pom. aut contra Latinum regem, ut Varro testatur: et cum in eo monte sedem habuisset, cognomen illi fecit. Post Caelij autem obitu, Hetruscos, quod nimis munita tenerent loca, neque sine suspitione essent, deductos in planum aiunt, & ab eis uicem Thuscum denominatum. Caelianos autem, qui a suspitione liberi essent, traductos uolunt in eum locum, qui uocatur Caeliolus. Tiberius mutata appellatione iussit Caelium Augustum uocari, auc. Suet. quo nomine appellatum esse, alibi non legi. In hoc autem multa aedificia fuere, uerum omnium ruinae ita confusae sunt, ut per paucis certum locum assignare liceat. De notioribus in hoc capite agemus. Curiam Hostiliam alteram, ubi postea templum Pascae fuit, collocatam fuisse, dictum est supra: altera deinde eundem regem excitauisse, ubi nunc D. Ioannis et Pauli est aedes, ostendit Lilius, his uerbis. Tullus rex in Caelio monte templi ordini ab se aucto Curiam fecit: quae Hostilia usque ad patrum nostrorum aetatem appellata est: & quod frequenter habitaret, eadem sede regiae cepit. Haud ita multo post, sub aquae Claudiae ductu, cernitur castellum aquarum, ferme integrum: cuius parietes per ambitum sunt latitudine pedum. VI. interius uero. III. operiti tectorio crassitudine digitorum. III. Omnium autem concamerationum longitudo pedibus. XXI. constat. Latitudo uaria est, ut in ipsius castelli figura facile est uidere.



Mansiones autem Albanae, quantum ex Sex Rursi uerbis conijcere possumus, fuere, ubi nunc D. Maria in Dominica est aedes. In proximo est Templum circulari forma, multis per ambitum columnis adornatum, D. Stephano nunc sacratum, olim uero Fauno, ut ex titulo quodam ibi reperto omnes consentiunt. Castra Peregrina ab Augusto in ea Caelij parte, in qua Sanctorum Quatuor Coronatorum est aedes, quaeque Carinas spectat, constituta fuisse plerique omnes affirmant. Domum uero Lateranorum, ubi nunc basilica D. Ioannis cognomento Lateranensis: de qua demo Iulius Capitolinus ita meminit. M. Aurelius educatus est in eo loco, in quo natus est, in domo aui sui, iuxta aedes Laterani: et Iuuenalis.

Clausit, et egregias Lateranorum obsidet aedes

Tota cohors.

Palatium Fl. Constantini prope hanc basilicam uersus portam Gabiusam collocatum fuisse dicunt. Sessoriani uero Palatium inter portam Neuiam, et aedem nunc Sanctae Crucis in Hier. olim Veneris et Cupidinis. In proximo loco exstant Statilij Tauri Amphitheatri reliquiae: quod Statilius posuit, Augusto ciues Romanos hortante, ut pro uiribus quisque conaretur urbem exornare, auc. Suet. Qui etiam commemorat Caligulam munera gladiatoria in Statilij amphitheatro, partim in Septis aliquot egisse. Quid autem sit Amphitheatrum Cassiodorus ita docet. Hoc Titi potentia principis diuitiarum profusio flumine excogitauit aedificium fieri: et cum theatrum hemispermum graece dicatur, Amphitheatrum, quasi in unum iuncta duo uisoria, recte constat esse nominatum: quod speciem eius arena concludat, et ut currentibus aptum daretur spatium, dum quaedam prolixa rotunditas uniuersa collegerat. Quibus uerbis tametsi significare uideatur Titum omnium primum amphitheatrum posuisse, tamen Cor. Tac. testatur, C. Caesarem Amphitheatri molem in Campo Martio extruxisse: quam ab illo destinatam Augustus, ut auc. est Suet. Mausoleum aedificaturus mox destruxit. Quin etiam idem Suet. in eiusdem Caes. uita commemorat Amphitheatrum priusquam a Tito, ab eodem Statilio unum excitatum esse: alterum deinde a Tiberio inchoatum, sed non perfectum. In amphitheatris autem multi spe praemij cum bestiis pugnabant. Capite uero damnati cum eisdem bestiis certare cogebantur. Itaque Claudius imp. pacatis Aegyptijs, cum militum non parua manus rebellasset, partem illorum occidit, partem cum bestiis pugnaturam Romam misit.

#### De Aquis urbis, earumque ductibus. Cap. X.

**Q**uoniam locus postulat ut de aquae Claudia ductu loquamur: opera precium uidebatur prius, per quos, quo tempore, ex quibus locis, a quoto milliario, aqua duci coepissent. Praeterea altitudinem, erogationesque, et quantum extra urbem, quantum intra, quantum publicis usibus, et quantum priuatis daretur: quae bonitas, quod uitium cuiusque esset, ponere. Sed quoniam de his omnibus suis locis erit dicendum, in praesentia de aquis, earumque ductibus in uniuersum agemus. Quae etsi Frontinus satis abunde declarauit, tamen quia is alicubi truncatus est, et mendosus, nonnullis erroribus sublatis, quae utiliora, et magis necessaria uidebantur, in compendium conferre placuit. Romani igitur ab urbe condita per annos. CCCCLXII. contenti fuere usu aquarum quas, aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut ex fontibus hauriebant. Verum urbe et ambitu, et hominum multitudine aucta, paulatim a fluuio, fontibusque circa ipsum scaturientibus cum magna pars recessisset, neque haec aqua in montes posset deduci, longo interuallo easdem petere cogebantur: ex quo fiebat, ut neque hortos irrigare, neque alijs usibus, sine magno incommodo, ualerent subuenire, hinc ductus excogitare coacti fuere. Quae quidem res ad urbis etiam salubritatem plurimum contulit, ut idem Fron. sic testatur. Sentit hanc curam Imperatoris praesimi Nerae principis sui regina, et domina orbis in dies, quae terrarum dea consistit, cui par est nihil, et nihil secus: et magis sentit salubritas eiusdem aeternae urbis aucto castellorum, operum, munerum, et lacuum numero: nec minus ad priuatos commodum ex incremento beneficiorum eius diffunditur. Illi quoque, qui timidi illicitam aquam ducebant, securi nunc ex beneficijs fruuntur: nec pereuntes quidem aqua ociosae sunt.

sunt. Nam immundiciarum facies, impurius spiritus, & causæ grauioris cœli, quibus apud ueteres urbis infamis aer fuit, sunt remotæ. Hæc Frontinus. Ex eodem de aquarum libra nunc subiungam. Aquæ omnes diuersa in urbem libra proveniebant: inde fiebat ut quædam altioribus locis seruirent, & quædam ire, & niti in eminentiora non possent: nam & si colles erant, propter frequentiam incendiorum rudibus excreuerant: unde ij soli ductus in urbem fluebant, qui iuxta æquilibrio per congruentia loca poterant deduci: siquidem quinque erant ductuum altitudines: quarum duæ in omnem partem urbis attollebantur: sed ex reliquis aliæ maiore, aliæ leuiore pressura cogebantur. Altissimus erat Anio Novus: proxima Claudia: tertium locum tenebat Iulia: quartum Tepula: dehinc Martia, quæ capite etiam Claudia libram æquabat: sextum tenebat locum Anio Vetus: sequebatur huius libram Virgo: deinde Appia: omnibus humilior Alsietina erat, quæ Transiberinæ regioni, & maxime subiacentibus locis, seruebat. Ex his autem aquis sex uia Latina intra septimum milliariū contentis piscinis excipiebantur, ubi, quasi respirante riuorum cursu, limum deponerent: modus quoque earum mensuris ibidem positus initebatur. Nec Virgo, nec Appia, nec Alsietina concæptelas. i. piscinas habebant. Quæ uero nimis turbidæ interdum signino purgabantur. De signino nonnulla scribit Vitruuius: Idemq; etiam præcipit, ut ad menia fiat castellum, quo in ipsum per emissarium aqua recipiatur. Eiusdem de aquarum ductu hæc sunt uerba. Si medij erunt montes inter menia, & caput fontis, specus fodiantur sub terra ad libram præcedentis ductus: si erit tophus, aut saxum, in eo canalis excidatur: sin autem terrenum, aut arenosum solum, parietes cum camera in specu struantur, puteique fiant inter duos actus. Et paulo inferius rationem reddens cur ductibus geniculatis, & flexuosis aquas interdum deducere sit necesse, sic inquit. Nanque uehemens spiritus in aquæ ductione solet nasci, ita ut etiam saxa perrumpat, nisi primum leniter, & parce à capite aqua immittatur, & in geniculis, aut uersuris alligationibus, aut pondere saburra contineatur. Cum autem quinarium septenarium, cæterorumque modulorum in aquis diuidendis constituta esset mensura: uideamus quid Fron. de eorum origine sentiat. Aquarum moduli, inquit, aut ad digitum, aut ad unciam mensuram antiquitus instituti erant. Est autem digitus sextadecima pars pedis: Vncia uero duodecima. Digitus aut est quadratus, aut rotundus. Quadratus in lōgitudine, & latitudine est æqualis, tribus quartis decimis suis rotundo maior. Rotundus tribus undecimis suis quadrato minor: quia anguli deteruntur. Postea modulus nec ab uncia, nec ab alterutro digitorum originem accipiens inductus, ut quidam putant, ab Agrippa, ut alij, à Plumbarijs per Vitruuium in usum urbis exclusis prioribus uenit appellatus quinario nomine. Qui autem Agrippam auctorem faciūt, dicunt: quod quinque antiqui moduli exiles, & ueluti puncta, quibus olim aqua cum exigua esset diuidebatur, in unam fistulam coacti sunt: qui uero Vitruuium, & Plūbarios, ab eo quod plumbea lamina plana quinque digitorū latitudinem habens, circumacta in rotundum, hunc fistulæ modum efficeret. Hæc Front. Qui Vitruuij sententiam eo incertam esse uult, quoniam lamina cū circumagitur sicut interiore parte attrahitur, ita per illam, quæ foras spectat, extenditur. Itaque, inquit, maxime probabile est quinarium dictam à diametro quinque quadrantum: quæ ratio in sequentibus quoque modulis, usque ad uicenarium, durat: diametro per singulos adiectione singulorum quadrantum crescente: ut in senaria, quæ sex scilicet quadrantes in diametro habet: & septenaria, quæ septem: & deinceps simili incremento usque ad uicenarium. Omnis autem modulus colligitur aut à diametro, aut perimetro, aut ex recto mensuræ, ex quibus & capacitas appareret. Differentiam autem uncia, digiti quadrati, & rotundi: & ipsius quinarie ut dignoscamus, utendum est substantiæ quinarie. Vncia ergo modulus habet diametri digitum unum, & trientem digiti: capiebat plus quinarie octaua, hoc est fescuncia quinarie, & scrupulis tribus, & bese scrupuli. Digitus quadratus in rotundum reductus habet diametri digitum unum, & digiti fescunciam sextulam: capiebat quinarie dextantem. Digitus rotundus habet diametri digitum unum: capiebat quinarie septuncem fescunciam sextulam. Cæterum moduli, q. à quinarie oriebantur, duobus generibus incrementum accipiebant. Vnum, cum una cum ipsa multiplicabantur. i. eodem lumine plures quinarie includebantur: alterū genus erat, quoties non ad quinarium necessitatem fistula incrementum capiebat, sed ad diametri sui

mensuram: secundum quod & nomen accipiebat, & capacitatem ampliabat, ut puta. Quinaria, cum adiectus erat ei ad diametrum quadrans, senariam faciebat: nec iam insolidum capacitatem ampliabat: Capiebat. n. quinariam unam quincuncem sicilicum: & deinceps eadem ratione quadrantibus diametro alicuius crescebat septenaria, octonaria, usque ad uicenariam. Subsequitur illa ratio, quæ constabat ex numero digitorum quadratorum, qui area. i. lumine cuiusque moduli continebatur, à quibus & nomen fistulæ accipiebant. Nā quæ habebat area. i. luminis in rotundum coacti digitos quadratos. XXV. uices numquinum appellabatur: similiter tricenaria, & deinceps per incrementum digitorum usque ad centenum uicenum. Expletis his, quæ ad modulos pertinebant, sequitur ut indicemus, quod ius esset deducendæ aquæ. Apud antiquos omnis aqua in publicos usus erogabatur, legēque cautum fuerat, ne quis priuatus aliam duceret, quā quæ ex lacu humi accederet. i. ex lacu abundaret: quam caducam aliqui uocauerunt: & hæc ipsa non in alium usum, quā in balnearum, aut fullonicorum dabatur: eratque uetigalis statuta merces, quæ in publicum penderetur. Dandæ, uendendæ uero aquæ ius erat apud Acailes: interdū & Censoribus permixsum. Postea uero ipsarum numero aucto, copia permittente, cepit etiam priuatis precio, uel principum beneficio erogari: non tamen sine illorum literis. Propterea. S. C. cauebatur. Ne quis sine literis Cæs. i. ne quis aquam publicam non impetratam: & ne quis amplius, quā impetrata fuerat, deduceret. Quinimmo ne caducam quidem sine impetratione deriuari poterat, præsertim tempore Neruæ, cuius erat hoc edictum. Caducam neminem uolo ducere, nisi qui meo beneficio, aut priorum principum habent. Nam necesse est ex castellis aliquam partem aquæ effluere, cum hoc pertineat non solum ad urbis nostræ salubritatem, sed etiam ad utilitatem Cloacarum abluendarum. Illud etiam animaduertendum: quod ius aquæ impetratæ, neq; ad heredem, neque ad emptorem transibat, neque ullū nouum dominum prædiorum sequebatur. Balneis tamen, quæ publice lauarent, semel data aqua perpetuo manebat. Vacantes in cōmentarios redigebantur, qui respiciebantur, ut petitoribus ex uacuis dari possent. Qui igitur aliquam aquam impetrasset oportebat à principe epistolā ad Curatorem afferre: Curator inque ipsum beneficio Cæsaris præstare maturitatem, & ad Procuratorē eiusdem officij liberū Cæsaris protinus scribere: ne quandoque negligentiam, aut fraudem suam ignorantia colore defenderet: Procuratorēque calicem eius moduli, qui fuerat impetratus, adhibitis Libratoribus signare, ad lineamque aliorum collocare (Inferior. n. plus trahit: superior uero minus ducit: nam cursus aquæ ab inferiore rapitur) Deinde animaduertere ne alij castello, quā epistola principis iuberetur, fistula subijceretur: quæ & ipsa erat signanda, & longe à castello publico per pedes quinquaginta ponenda: sicut S. C. cauebatur huiusmodi. Quid de ea re fieri placeret, de ea re uniuersi censuerunt. Ne cui priuato aquam ducere ex riuis publicis liceret, utiq; omnes hi, quibus aquæ ducendæ ius esset datum, ex castellis ducerent, animaduertentque Curatores aquarum quibus locis intra, extraque urbē apte castella priuati facere possent, ex quibus aquam ducerent, quam ex castello cōem accepissent à Curatoribus aquarum. Ne qui eorum, quibus aqua daretur publica, ius esset intra quinquaginta pedes eius castelli, ex quo aquam ducerent, laxiorem fistulam subijcere, quam quinariam. Hoc ideo institutum erat, ne riui, aut fistulæ publicæ frequenter lacerarentur. Fistulæ autem, quæ calicibus non induebantur, solutæ uocabantur: & pro arbitrio Aquariorum poterant laxari, & coarctari. Calix autem, quem diximus, erat modulus æneus, qui riuo, aut castello induebatur: huic fistulæ applicebantur. Longitudo eius ad minus habebat digitos. xij. Lumen. i. capacitatem, quanta erat impetrata. Excogitatus uidetur, quoniam rigor æris non temere potest laxari, aut coarctari: sed & ipse ad libram erat collocandus: nam si ad aquæ cursum erat oppositus: de uexuque amplius rapiebat: ad latus uero prætereuntis aquæ cōuersus, & supinus exiguum sumebat. Castellum autem, quod dictum est, à Vulpiano ita definitur. Castellum est receptaculum, quod aquam publicam suscipit. Ab antiquis etiam Diuidiculum est appellatum: ex quo à riuo communi quisque aquam in suum deduceret fundum, ut inquit Sex. Pom. Huic Castellarium præfuisse, ostendit sequens epith.

D. M.  
 CLEMETI CAESAR  
 VM .N. SERVO CASTE  
 LLARIO AQVAE CL  
 AVDIAE FECIT CLAV  
 DIA SABBATHIS ET SI  
 BI ET SVIS.

Cum igitur ductus aquarum ad viarum diuortia, vel regio-  
 num urbis fines perducti erant, ubi stabat castellum, ab Aquas  
 rjs diuidebatur aqua, eo modo, quo in singularum erogatione dis-  
 cetur. In solo erant etiam lacus, hoc est alia aquarum receptacula,  
 ex quibus, aliqui uolunt, quod cum Romana plebis, fullonicorum,  
 coriariorum, aliorumque opificum necessitatibus satisfactum esset,  
 tum horti irrigarentur. Quantopere autem curae fuerit ne quis  
 uiolare ductus, aquamue non concessam deriuare auderet, cum ex multis apparere potest, tum ex hoc,  
 quod Circus maximus, ne diebus quidem ludorum, nisi Aedilium, aut Censorum permisso, irrigabatur.  
 Præterea agri, qui aqua publica contra legem essent irrigati, publicabatur. Illis uero, qui dolo malo aqua,  
 ubi publice saliebat, olerassent, sextertiorum. X. millium erat multa. Primus autem omnium M. Agrippa,  
 post ædilitatem quam gessit, consularis operum suorum, et munerum ueluti perpetuus curator fuit:  
 Qui iam copia permittente, descripsit quid aquarum publicis operibus, quid lacubus, quid priuatis daretur.  
 Habuit et familiam propriam aquarum, quæ tueretur ductus, et castella, atque lacus. Hanc Augustus  
 hæreditatem sibi ab eo relictam, publicauit. Familiae autem erant duæ, hæc publica, quæ habebat homi-  
 nes circiter cxxl. altera Cæsaris à Claudio, cum aquas in urbem perduxit, constituta. Hæc numero  
 hominum cccclx. constabat. Vtræque in aliquot ministeriorum species deducebatur, in uillicos, castella-  
 rios, curatores, silicarios, tectores, aliosque opifices. Cõmoda publicæ familiæ ex ærario dabantur: quod  
 impendium exonerabatur uetigalium redditu ad ius aquarum pertinentium. Ea constabat ex hortis,  
 ædificiisque, quæ erant circa ductus, aut castella: Qui redditus propè sextertiorum ccl. millium fuisse  
 traditur. Cæsaris familia ex fisco accipiebat cõmoda. Vnde et omne plumbum, et omnes impensæ ad  
 ductus, et castella, et lacus pertinentes erogabantur. Sed circa ductuum curam erant, et alii Curatores,  
 quos senatus eligebat. Horum officium erat: extra urbem ductus circuire, animaduertereque an uitio  
 aliquo laborarent: et quibus partibus succurrendum, ac etiam beneficia recognoscere: ne quis non cõ-  
 cessam surriperet aquam: dareque operam, ut in castellis salientibus sine intermissione aqua fluere, ut ex  
 S. C. apparet: cuius uerba sunt hæc. De ea re quid fieri placeret, de ea re ita censuerunt. Placere huic  
 ordini eos, qui aquis publicis præessent, cum eius rei causa extra urbem esset, lictores binos, et seruos  
 publicos ternos, architectos singulos, et scribas, et librarios, accensos, præconesque totidè habere, quot  
 habent ij, per quos frumentum plebi datur. Cum autem in urbe eiusdem rei causa aliquid agerent, cæteris  
 apparitoribus iisdem: præterquam licitoribus, uti. Tutelam autem singularum aquarum solitam locari in-  
 uenio, positamque redemptoribus necessitatem certum numerum circa ductus extra urbem, et certum  
 in urbe seruorum opificum habendi: et quidem ita ut nomina quoque eorum, quos habituri erant in mi-  
 nisterio, per quasque regiones in tabulas publicas deferrent, eorumque operum probandorum curam fuisse  
 per Censores, aliquando et Aediles, interdum etiam Consulibus eam provinciam obuenisse. Et ne ad  
 huiusmodi tutelam aditus præcluderentur. S. C. fuerat cautum, quod. S. C. apposui. Quid fieri placeret,  
 de ea re ita censuerunt. Cum ad reficiendos riuos, specusque per quos et opera pub. corrumpuntur, plas-  
 cere circa fontes, et fornices, et muros utraque ex parte uacuos centenos quinos pedes patere, et cir-  
 ca riuos, qui sub terra essent, et specus intra urbem, et extra urbem continentia ædificia utraque ex par-  
 te quinos pedes uacuos relinqui. Ita ut neque monumentum in his locis: neque ædificium, post hoc tem-  
 pus, ponere, neque conferere arbores liceret. Si quæ nunc essent arbores intra id spatium extirparetur,  
 præterquam si quæ ullæ continentes, et incluse ædificijs essent. Si quis aduersus ea cõmiserit in singu-  
 las res in dena millia dānas esset. Ex qbus pars dimidia præmiū accusatori daret, cuius opera maxime cõ-  
 uictus esset, qui aduersus hoc. S. C. cõmisset: altera in ærarium redigeretur, deque ea re iudicarent, cog-  
 noscerentque curatores aquarum. Erat et S. C. quo cauebatur, ut cum ductus reficerentur, liceret re-  
 demptoribus ex agris priuatorum omnia, quibus ad eam rem opus esset, tollere, perque illorum agros  
 sine iniuria eorum duci. Eam autem, quam diximus, circa ductus aquarum curam, non ingite adhibita

esse ex eo conijcere possumus. Quod etiā Neruæ imp. tempestate quosdam, aut uetustate corruptos, aut ui tempestatum, aut culpa malefacti operis collapsos fuisse, scribit Fron. Illorumque partes maxime ruinæ obnoxias fuisse, quæ arcuationibus sustinebantur, aut montium lateribus erant applicatæ: ubi et arborum radicibus cōcamerationes, et latera soluuntur. Et ex arcuationibus eas præcipue partes interiisse, quæ per flumen trahiebantur. Minus uero ruinam passos esse ductus subterraneos, nec gelicidij, nec caloribus expositos: sed aliud illis accidisse nocumentum: quod limo concrecente, et in crustam obdurecente aquam ita coarctauisse, corruptisque tectorium, ut inde secutæ essent manationes: quibus latera ruinorum, et substructiones uiciatæ erant. Quare non mirum uideri debet, ab ea ætate, ad hanc nostram usque, in tanta rerum, et principum uarietate aquarum ductus ad has, quas uidemus, reliquias deuenisse. Neque à Gothis, ut uulgus dicitur, sunt demoliti. Quinimmo, si C. Sissodoro credimus, Theodoricus horum rex, qui Romam duo de quadraginta annos subactam tenuit, plurima ædificia publica instaurauit, et inter alia aliquos ductus aquarum. Quosdam autem ductus fuisse duplices apparet ex reliquijs extantibus supra portam Esquilinam, et Neuiam, et ex hisce Frontini uerbis. Illud nulli dubiū esse crediderim, proximos ductus, qui à sexto milliaro lapide quadrato consistunt, maxime custodiendos, quoniam et amplissimi operis sunt, et plures aquas sustinent. Quod sapienter factum esse arbitramur: ne singulorum fundamenta iacere coacti, immensam pecuniam prodigerent. Aquas uero tamen si Sex. Rufus uir consularis, qui fuit Dioclitiani tempore. XIX. esse cōmemoret: cui opinioni plerique omnes consentiunt, tamen neque tot fuisse, neque totidem ductibus in urbem receptas facile intelliget, qui enima uerterit eum cōmemorare nomina illarum aquarum sumpta, non tantum à primis inuentoribus, sed etiam ab illis, qui priscos ductus instaurauere, uel nouo addito partem alicuius aquæ alio deduxere: uel à locis, ubi quis eam collegisset aquam, quæ ex ueteri ductu dilapso alicubi residisset. Nam Martiā, quod partem ipsius Traianus in Auentinum deriuauit, Traianam etiam uocat: Claudiam, Cæruleam: cum eadem sit, nomēque alterum ab auctore deducendi: alterum à fonte, à quo deducebatur, obtinuerit. Aliter, ut absurdum uideretur multorum aquagiorum, qui extructi fuerant ante Neruæ imperiū, adhuc extare uestigia, illorum uero, qui mox sunt excitati, penitus interiisse. Præterea qui erat necesse nouas adducere aquas cum urbs, quo tempore ciuium multitudinē maxime florebat, pluribus, quam necessitas exigeret, abundaret? ut innuit Plin. hisce uerbis. Quod si quis diligentius æstimauerit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis uillis, spatioque aduenientis arcus extructos, montes perfectos, conualles æquatas, fatebitur nihil magis mirandū fuisse in toto orbe terrarum. Ex quibus uerbis constare potest cui usui essent aquæ, sed in singularum erogatione magis apparebit. Fuere autē in cōmentarijs Neruæ inuniuersum quinaris. XII. mille. DCCLV. Fron. mensus capita singularum aquarum inuenit circiter quinaris. X. millibus ampliorem modum, quā in cōmentarijs contineretur. Sed ad Claudiam transeamus.

#### De Aqua Claudia, eiusque ductu.

##### Cap. XI.

**C**Aius Cæsar, qui Tiberio successit, cum parum et publicis usibus, et priuatis uoluptatibus. VII. ductus aquarum sufficere uideret: altero imperij sui anno duos ductus inchoauit: quod opus Claudius magnificentissime consumauit, dedicauitque: alteri nomen, quod ex fontibus Cæruleo, et Curtio perducebatur, Claudis datum: quæ bonitate proxima erat Martiæ. Altera, quoniā duæ Anienis aquæ in urbem fluere cœperant, ut facilius appellationibus dignoscerentur, Anio nouius uocari cœpit: et quod illas omnes præceperat prior Anio, cognomen ei ueteris est adiectū. De Claudia Plin. loquitur in hunc modum. Vicit antecedentes aquarum ductus nouissimum impendium operis inchoati à C. Cæsare, et peracti à Claudio: Quippe à lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omneis urbis montes louerentur, influxere Curtius, atque Cæruleus fontes: erogata ad id opus sextertia quingenta quinquaginta

gina quinque millia. Suetonius. Caligula, inquit, inchoauit aquæ ductū in regione Tiburti, & amphitheatrum iuxta Septa: quorum alterum à successore eius Claudio peractum: omisum alterum est. Concipiebatur Claudia aqua via Sublacensi ad milliariū XXXVIII, diuerticulo sinistrorsus intra passus CCC. ex dictis fontibus amplissimis, & speciosis, Caruleoque, qui à similitudine appellatus erat, & Curtio. Accipiebat & fontem Albulinum, tantæ bonitatis, ut Martiæ quoque adiutorio, quoties opus esset, ita sufficeret, ut adiectione sui nihil ex qualitate eius mutaret. Quod autem Fron. ait Claudiam concipi ad milliariū XXXVIII. Plin. uero à lapide quadagesimo, intelligendū puto, alterum distantiam capere ab eo fonte, qui ab urbe magis distaret: alterum ab eo loco, ubi ambo iungebantur. Augustæ autem fons in supplementum Martiæ datus fuit, & quia hæc sibi sufficere apparebat, in Clauaiam est deriuatus, manente nihilominus præfidiario in Martia: ut ita demum Claudiam aquam adiuuaret Augusta, si eam ductus Martiæ non caperet. Claudiæ ductus habebat longitudinem passuum XLV. millium. Ex eo, riuo subterraneo, pas. XXXV. millium. Opere supra terram, pas. X. millium. Hæc aqua in cōmentarijs habebat non plus quinarijs. II. millibus DCCCLV. Ad caput Fron. inuenit quinarijs. III. mille DCVII. Ex his extra urbem dabantur nomine Cæsaris CCXVII. Priuatis CCCC XXXIX. Intra urbem cum Aniene noua confundebatur: & utriusque quinariæ diuidebantur per regiones urbis XIII. in castella XCII. Huius aquæ ductus cum primum intra urbem peruenit, portæ obijciuntur Neuiæ: ad quam ut liber esset aditus, in eodem ductu altera è marmore extructa est porta, adiectis titulis huiusmodi.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM.  
TRIBVNICIA. POTESTATE. XII. COS. V. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIÆ.  
AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A. =  
MILLIARIO. XXXXV.  
ITEM ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDV CENDAS. =  
CVRAVIT.  
IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVST. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. =  
III. P. P.  
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. =  
INTERMISSAS. DILAPSAS. QVE.  
PER. ANNOS. NOVEN. SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT.  
IMP. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC  
POTESTATE. X. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIÆ. CENSOR. COS. VIIII  
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA  
A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. AQVARVM. A. =  
SOLO. VETVSTATE. DILAPSÆ. ESSENT. NOV. A. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT  
Legimus autem in marmore, apud portam Neuiam reperto, M. Antoninum, L. Septimium, & M. Aurelium arcus Cælimontanos vetustate conlapsos à solo sua pecunia restituisse. Haud procul ab æde D. Mariæ in Dominica est arcus ex lapide tiburtino eidem aquæductui subiectus, in cuius frontispicio legitur hic titulus.  
P. COR. P. F. DOLABELLA COS.  
C. IVNIVS C. F. SILANVS FLAMEN. MARTIALEX. S. C.  
FACIENDVM CVRAVERVNT. IDEMQVE PROBAVERVNT

De ijs quæ in Cælio erant, sed certus eorum  
locus ignoratur. Cap. XII.

**C**Arna Deæ Templum Brutus, qui primus consul factus est, in Cælio monte extruxit. Hæc dea præerat uitalibus humanis: & quia cordis beneficio cuius dissimulatione Brutus habebatur idoneus, emendationi publici status extitit, ideo hanc deam templo sacrauit, auct. Macrobius. Templum Claudij imp. ibidem cœptum ab Agrippina, deinde à Vespasiano perfectum, à Nerone esse destructum, refert Suet. Domus Mamuræ Formiani, fabrum Cæsaris in Gallia præfecti, in Cælio fuit: quâ maris morcis crustis primam omnium exornatam fuisse, scribit Plin. Domum Claudij Centimali in eodem

H



Cælio stetit, cōmemorat Val. Max. de qua ea Cic. sic meminit. Cū in arce Augurium Augures acturi essent, iussissentque T. Claudium Centimalum, qui ædes in Cælio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auspicijs, emit Calphurnius Lanarius. Domus Tetricorum, qui duo ex triginta tyrannorum fuerunt, hodieque extat, inquit Pollio, in monte Cælio, inter duos lucos, contra Ilium Metellinum pulcherrima. Domum Iunij Senatoris in eodem Cælio posuam fuisse, ostendit Cor. Tacitus, his verbis. Adduntur sententiæ, ut mons Cælius in posterum Augustus appellaretur: quando cunctis cōs flagrantibus sola Tiberij effigies in Domo Iunij Senatoris inuiolata mansisset. Habuit Cælius etiam Domum T. Claudij Clypti hymnologij, quemadmodum in eius epitaphio legimus. Campum Martialem in quo, si quando aquæ Tiberis Martium campum occupassent, ecuria fiebant, in Cælio institutum fuisse, testatur Sex. Pom. & his versibus Ovidius.

Altera gramineo spectabis ecuria campo,

Quem Tiberis curuis in latus urget aquis.

Qui tamen eiecta si forte tenebitur unda,

Cælius accipiet puluerulentus equos.

Fuit in eodem monte Macellum magnum: Antrum Cyclopi: Spoliarium, & Armamentarium.

De Meta, quæ Sudans dicta est: de Amphitheatro Titi: & de  
Templis, Fortunæ, atque Quietis.

Cap. XIII.

Succedunt Cælio Exquilie ab eo diuisæ uia Labicana, & conualle quatuor iugerum latitudine: in qua ante arcum Constantini imp. extat Meta lateritia: in cuius uertice Iouis simulacrum olim fuisse proditum est. Hæc Meta Sudans à Sex. Rufo appellatur: quod ex ea aquas manasse dicitur, quibus populus sitim extingueret. Amphitheatro Titi in proximo magna pars adhuc extat. Id autem, ut destinasse compererat Augustum, in media urbe Vespasianus excitauit. Titum deinde eius filium dedicauisse ostendit Suet. his uerbis. Amphitheatro dedicato, thermisque iuxta celeriter extructis, munus apparatissimū, largissimūque dedit. Martialem autem hanc molem Domitiano attribuisse multi opinantur, quod ad eum scribens Cæsareum amphitheatrum appellat: itaque per adulationem dictum putant: cum tamen non dubium sit, Domitianum nihil præterea huic operi præstitisse, nisi fortasse incrustatione exornarit, signaque in arcibus superioribus addiderit: atque eam ob rem ex more suum titulum apposuerit, sine ulla pristini auctoris memoria. Hoc Colossei nomen obtinuit à Neronis colosso, quem circum ea loca posuū fuisse existimandum est: circa quæ & eiusdem Neronis Domum, ac Stagna stetit satis cōstat. De Stagnis sunt hæc Mar. carmina.

Hic, ubi conspici uenerabilis amphitheatri

Erigitur moles, stagna Neronis erant.

De domo uero infra plura dicemus. Sed de Colosso Plin. sic scribit. Zenodorus è Gallia Romam accitus est à Nerone, ubi destinatum illius principis simulacrum colossum fecit CXX pedum longitudine, qui dicatus solis uenerationi est, damnatis sceleribus illius principis: & superius. Moles quidem excogitata uidemus statuarum, quas colossos uocant, turribus pares. Colossus autem dictus est à Coleto, a quo primum formatus dicitur, auctor Sex. Pom. Sed de amphitheatro Ammianus sic meminit. Amphitheatri molem solidatam lapidis tiburtini compage, ad cuius summitatem ægre uisio humana conscendit. Loca autem septem & octuaginta millia cepisse, refert Sex. Rufus. Templū Quietis in uia Labicana fuisse, ubi nunc D. Petri, & Marcellini est ædes, cōmunis est opinio.

De Exquilij: Carinis: Curia: de Thermis, & domo Titi Imp. ac de Statua Laocoontis:  
& de domo Balbini, atque Pompei Magni.  
Cap. XIIII.

**E**Xquilias, quæ in plures partes à M. Varrone diuiduntur, ab excubijs regis dictas multi uolunt: alij quòd exculia à rege Tullio essent. Alteri harum opinioni suffragatur Ouidius his carminibus.

Adde quod excubias, ubi rex romanus agebat,

Qui nunc exquilias nomina collis habet.

alteri uò M. Cato, qui ait Exquilias ab excubijs, sed quas Romulo Lucmo dedit. xii. liëtorum, & .ccc. armatorum ad corporis custodiam, simulque dignitatem: cum T. Tatius in fide societatis non sine suspitione esse uideretur. Alij ab æcupibus Esquilias dictas arbitrantur: quòd ibi quisquilijs sparsis aues illuc derentur. Ea autem pars Exquiliarum, quæ inter Busta Gallica, Tabernolam, arcum Gallieni, ac Suburram comprehensa est, Carinarum nomen obtinuit: quod innuit Liuius cū sexto belli punici inquit. Flaccus Cos. media urbe per Carinas Exquilias contendit, ubi unum ab altero diuidit. Erant autem Carinæ, auctore Ser. ædificia facta in modum Carinarum. Curiam Veterem in ea parte quæ est inter hortos D. Mariæ Nouæ, et ad D. Petri in uinculis suam esse, nonnulli multis neque leuibus demonstrant inditijs. Quorum illud præcipuum est: quod in Tabellionum mœimentis peruetusis ea loca ad Curiam Veterem cognominata inueniuntur. Sed eam non eandem esse, quæ à Romulo ædificata fuit, Vetustisq; appellabatur, argumẽtio est, quod locum, quo hanc statuunt, extra quadratam Romuli urbem est, illam uero intra, Romulum posuisse, iam dictum est supra: unde fit ut credam, hanc Veterem appellatam (siquidem uetus appellata est) aliarum comparatione, quæ postea excitatae sunt. Thermarum autem Titi imp. uestigia extant in eisdem Carinis, iuxta amphitheatrum, ut in superiori capite ex Suet. apparet. Quas maxima celeritate perfecisse ostendit etiam Mar. his uersibus.

Hic, ubi miramur uelocia munera thermas:

Abstul:rat miseris tecta superbus ager.

In his autem duo marmoris frustra inuenta sunt, in quorum altero erat flamma sculpta, cum titulo hoc. IOVI: In altero uero, hæc uerba. VESPASIANVS AVG. PER COLLEGIVM PONTIFICVM FECIT. Domum eiusdem Titi fuisse prope thermas, eumque locum, quem septem Salas uulgus uocat, ex eo constat, quòd ibi Laocoontis statua est reperta: quæ in eadẽ domo collocata esse asserit Plin. his uerbis. Laocoontis in Titi imperatoris domo opus omnibus, et picturae, et statuariae artis præferendum: ex uno lapide eum, et liberos, draconumque mirabiles nexus de consilij sententia fecere summi artifices Agesander, et Polydorus, et Antenorodorus Rodij. Et quanquam hi ex Virgilij descriptione statuam hanc formauisse uidentur, non tamen illam in omnibus sunt imitati: quod uiderent multa auribus, non item oculis conuenire, et placere. Hæc Statua in Vaticano nunc est collocata: quæ diligenter expressa hic subieci-mus. Hæc Titi domus Atrium habuit, in quo Polyclethus Sicyonius fecit duos pueros item talis nudos ludentes, qui uocabantur Astragalizontes: quo opere auctore Plin. nihil fuit absolutius.

H j













Sed quoniam de septem Salis, de quibus modo facta est mentio: & de loco in thermis Dioclitiani Botte de therme nuncupato, magna est questio, cui usui essent: non ignorandum, aquarum castella fuisse. Nam non modo thermæ publicis usibus deputatæ castella habebant, in quæ iuxta moduli erogationem suas accipiebant quinaras, quas balneis, prout usus exigeret, sumministrarent: sed etiâ priuatis, ut Fron. commemorat, castella iridem erant, in quæ ex publico castello aquam, quam accepissent, deriuarent, ijdèmq; in usus sibi necessarios distribuerent. Sed cum thermarum Titi castelli concamerationes sint nouem, nescio quâ ratione uulgus septenario numero eas appellet. Nisi forte quod ex quibusdam ostijs septem duntaxat cernantur. Omnes autem sunt latitudine pedum .XVII. cum dimidio altitudine XII. Longitudo uaria est, sed ubi maxima pedes CXXXVII. continet.



Domus Balbini, inquit Lampridius, etiam nunc Romæ ostenditur in Carinis magna, & potens, & ab eius familia luc usque possessa. Domum Pompei in eisdem Carinis sitam fuisse, testis est Suet. in Tib. & in libris de græmaticis: ubi Lænaus eiusdem Pompei libertus græmaticam docuit. Domum. Q. Cicronis in Carinis fuisse, testatur M. Cicero eius frater cum ad eum scribens, sit inquit. Domum tuam in Carinis mundi habitatores Camia conduxerunt. Hanc auitam esse asserit Sex. Rufus. Nam alteram

Sed quoniam de septem Salis, de quibus modo facta est mentio: & de loco in thermis Dioclitiani Botte de therme nuncupato, magna est questio, cui usui essent: non ignorandum, aquarum castella fuisse. Nam non modo thermæ publicis usibus deputatæ castella habebant, in quæ iuxta modum erogationem suas accipiebant quinaras, quas balneis, prout usus exigeret, sumministrarent: sed etiā priuatis, ut Fron. commemorat, castella itidem erant, in quæ ex publico castello aquam, quam accepissent, deriuarent, iidemq; in usus sibi necessarios distribuerent. Sed cum thermarum Titi castelli concamerationes sint nouem, nescio quā ratione uulgus septenario numero eas appellet. Nisi forte quod ex quibusdam ostijs septem duntaxat cernantur. Omnes autem sunt latitudine pedum .XVII. cum dimidio altitudine XII. Longitudo uaria est, sed ubi maxima pedes CXXXVII. continet.



Domus Balbini, inquit Lampridius, etiam nunc Romæ ostenditur in Carinis magna, & potens, & ab eius familia luc usque possessa. Domum Pompei in eisdem Carinis suam fuisse, testis est Suet. in Tib. & in libris de græmaticis: ubi Lenaus eiusdem Pompei libertus græmaticam docuit. Domum Q. Ciceronis in Carinis fuisse, testatur M. Cicero eius frater cum ad eū scribens, sit inquit. Domum tuā in Carinis mundi habitatores Camiæ conduxerunt. Hanc autem esse asserit Sex. Rufus. Nam alteram



in Palatino monte illi fuisse significat idem Marcus libro quarto ad Atticum : cuius sunt hæc uerba .  
Expulsi sunt fabri de area nostra. Disturbata porticus Caiuli, quæ ex S.C. Coss. locatione reficiebatur,  
et ad tectum penè peruenierat. Quod fratris Domus primo fracta coniectu lapidum ex area nostra, dein  
de inflammata iussu Clodij. Area autem, ex qua fabros expulsos ait, fuit eius domus, quâ in palatio cõ  
bustam esse supra ostendimus.

De Tabernola: Domo Aeliorum: Basilica Caij, et Lucij: Cluio Suburrano:  
Arcu Gallieni: Trophæis Marij: ac de Thermis, et Domo  
Gordiani Imp. Cap. XV.

**E**A autem Exquiliarum pars, quæ ad Cælium montem uergit, eregione Basilicæ lateranensi, quæq;  
Merulana pro Mariana dicitur, apud antiquos regio Tabernola dicebatur. Vnde Var. Exquilinum  
lucum esse dicit dexteriore uia Tabernolæ. Domus Aeliorum posita erat ubi nunc sunt Mariana mor  
nimenta: et, ut testatur Val. Max. Sacellum Marianum. Palatium Licinij fuit ad D. Bibianæ nunc ædem,  
ad usum pileatum. Basilica uero Caij et Lucij, quam cum porticu sub nomine nepotij Caij et Lucij Aus  
gustus ex-ruxit, fuerat inter dictam ædem, et urbis menia: cuius extat adhuc concameratus fornix per  
ne integer quo, Pantheonis excepto, nullus maior in urbe cernitur. Locum hunc Galutij thermas uulgus  
appellat. Cluius Suburrani in Exquilias præbēs ascensum à fine Suburræ initium capit. Arcus deinde  
Gallieni Imp. nullis ornamentis insignis apud ædē nunc D. Viti adhuc cernit, in quo legitur titulus sequēs.  
GALLIENO. CLEMENTISSIMO. PRINCIPI. CVIVS. INVICTA. VIRTVS. SOLA. =

PIETATE. SVPERATA. EST. ET SALONINAE. SANCTISSIMAE. AVGV.

M. AVRELIVS. VICTOR. DEDICATISSIMVS. NVMINI. MAIESTATI QVE. EORVM

Quidam triumphalem arcum esse uoluerunt: Sed cum triumphi nulla appareant inditia, neque constet de  
triumpho, fiatque in eo titulo de Salonina mentio, arbitramur in gratiam ipsorum ob aliquod beneficiū  
ab ipso Aurelio positum: et super eodem statuam Gallieni, et ipsius Saloninæ locatam fuisse. Macellū  
Liuium institutū fuit à sinistra eius uia, quæ est ab hoc arcu ad D. Antonij ædem, ubi nuper effossa  
sunt saxa tiburtina, et uasa quibus interfectorum animalium sanguis colligebatur: magna quoque ossium,  
et cornuum copia. Macellum autem à quodam Macello est denominatum, qui in urbe latrocinia exer  
cebat: Quo damnato Cens. Aemilius, et Fuluius statuerunt, ut domus eius publicaretur, uederenturque  
ibi obsonia, auc. Plut. in probl. Varro, præter hanc, aliam ponit etymologiam. Hæc omnia, inquit, post  
quam contracta in unum locum, quæ adiectum pertinebant, et ædificatus locus appellatum Macellum,  
ut quidam scribunt, quod ibi fuerit hortus. Nam (ut diximus) ubi olerum copia Lacedæmonij Macellū uo  
cabant. Trophæa Marij cimbrico bello parata, quæ à Sylla disiecta, et à Cæsare Dictatore instaurata  
esse cõmemorat Suet. à dextra uia prænestinæ, propèque D. Iuliani ædem extant. Quæ tamen si mutila  
ta, tamen horum in altero thoracem cum clypeis, iuuenisque captiui simulacrum brachijs post tergum  
reuinctis, in altero uero uaria belli instrumenta adhuc cernuntur. Domus autem, Thermæque Gordiani  
imp. hinc non procul à dextra scilicet eiusdem uia fuere: de quibus Capitolinus ita loquitur. Domus  
Gordianorum, etiam nunc extat, uia prænestina, ducētas columnas uno stilo habens, et Thermas quales,  
præter urbem, nusquam haberet orbis terrarum.

De Aqua Martia. Cap. XVI:

**P**ostquam uia prænestina ad portam Exquilinam peruentum est, locus postulat, ut de aqua Martia  
nunc dicamus. Hanc igitur aquam, Martiam appellatam legimus ab Anco Martio rege, qui primus  
omnium eam in urbē ducere est auspiciatus. Quintus deinde Marcius Rex in prætura deduxit. Longo  
tempore post restituit M. Agrippa: de qua hæc Plin. sunt uerba. Clarissima aquarum omnium toto orbe  
frigoris



frigoris, salubritatisque palma, præconio urbis, Marcia est, inter reliqua deum munera urbi tributa. Vocabatur hæc quondam Aufeia, fons autem ipse Piconia. Oritur in ultimis montibus Pelignorum: transit Marfos Romam non dubie petens: mox specu mersa in tiburina se aperit. IX. M. pas. fornicibus struetis perducta. Subdit deinde. Et quantum Virgo tactu, tantum præstat Marcia hausu. Concipiebatur hæc uia Valeria, ad milliariū. XXXV, diuerticulo euntibus ab urbe Roma destorsus millia passuū triū, uilla Sublacensi. Ductus eius habebat longitudinem à capite ad urbem passuum. LX. millium DCCX, et semis. Riua subterraneo pas. XLIII. M. CXLV, et semis. Opere supra terram pas. VII. millium. CCCC XLIII. Opere arcuato pas. II. M. CCCCLXIII. Propius urbem a. VI. milliario substructione pas. CLX. XXVIII. Reliquo opere arcuato pas. VI. millium CCCCLXXI. In commentarijs ascriptus erat modus quinariorum. II. M. CLXII. Ad caput uero Fron. inuenit quinaras. III. mille. DCXC. Diuidebatur per regiones, primam. III. III. V. VI. VIII. IX. XIII. In castella. LI. Augustus in supplementum huius aquæ quoties siccitates egerent auxilio Iuliam aquam eiusdem bonitatis opere subterraneo perduxit usque ad Marcia: riuum. Cuius ductus, donec Marcia accederet, efficiebat pas. DCCC. Deriuatus est deinde in Claudiam, ut dictum est. Marcia autem collis Viminalis æquabat libram. Cū esse desisset à Nerua fuit restituta, atque in Auentinum usque deriuata. Eidem Nerua placuit omnes discerni, tum singulas ita ordinari, ut in primis hæc tota potui seruiret: Quæ parte sui post hortos Pallantianos in riuū, qui uocabatur Herculeus, deiecit se per Cæliū. In Marcia autem ductu ante portam Exquilinam extat adhuc tituli, qui sequuntur.

IMP. CAESAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS

PONTIFEX, MAXIMVS. COS. XII.

TRIBVNIC. POTESTAT. XIX. IMP. XIII.

RIVOS. AQVAVRM. OMNIVM. REFECIT

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. PARTH. MAXIM.

BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS

AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE. =

EXCISIS. ET. PERFORATIS

MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO. ETIAM. FONTE. NOVO. =

ANTONIAN

IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVENDAM. CVRAVIT

IMP. TITVS. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX.

TRIBVNICIAE. POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DESIG. II

RIVOM. AQVAE. MARCIAE. VETVSTATE. DILAPSUM. REFECIT

ET. AQVAM. QVAE. IN VSV. ESSE. DESIERAT. REDVXIT

Huius autem aquæ Cor. Tac. sic meminit. Luxus cupido infamiæ, et periculum Neroni attulit: qui fontem aquæ Marcia: ad urbem deductæ nando inceperat.

De Aqua Iulia, et Tepula.

Cap. XVII.

**A** Supra dicta porta Exquilina, ad Marij trophæa progreditur ductus aquæ, ut arbitramur, Iulia. Quoniam cum Anio novus esset omnium altissimus, proximūque locū teneret Claudia, et tertium Iulia: cūmq; uideamus hunc aquæ ductum post Claudia: ductum cæteris omnibus, qui extant, maiorem esse, non est quod dubitemus Iulia: sue Tepula: esse ductum. De quibus Fron. sic loquitur. Cn. Servilius Cepio, et L. Cassius Longinus, qui Riua appellatus est, Cens. anno ab urbe condita DCCXVII M. Plautio Hipsapone et Ful. Flacco. Cos. aquam, quæ uocatur Tepula, ex agro Lucullano, quem quidā Tusculanū credunt, Romam, et in Capitolium adducendam curauerunt. Tepula concipiebatur uia La-

rina ad XI. milliarium, diuerticulo euntibus ab Roma destrorsus millium passuum duum: inde riuo suo in urbem perducebatur: Iulix post mixta ab Agrippa. Iulix ductus efficiebat longitudinem passuum. XV. milliium CCCCXXV. Opere supra terram pas. VII. M. CCCCXXVI. Ex eo in proximis urbis locis d. VII. milliario, substructione pas. M. D. XXVIII. Reliquo opere arcuato pas. VI. M. CCCCLXXII. Præter caput Iulix transfluebat aqua nomine Crabra, de qua meminit Cic. ep. libro XVI. Tepulæ in commentarijs ascriptus erat modus quinariorum quadringentarum. Huius aquæ fontes nulli erant, uenientibus quibusdam constabat: quæ interceptæ fuerunt in Iuliam. Caput ergo eius obseruandum erat à piscina Iulix: Ex ea. n. primum accipiebat quinaras. CXC. deinde statim ex Marcia quinaras. XCII. Præterea ex Aniene nouo ad hortos Epaphroditianos quinaras CLXIII. Fiunt omnes quinaræ CCCCXLV, amplius quàm in commentarijs quinaris XLV. Tepulæ erogabatur extra urbem nomine Cæsaris quinaræ LVIII. Priuatis quinaræ LVI. Reliquæ. CCCXXXI. intra urbem diuidebantur, per regionem. IIII. V. VI. VIII. in castella XIII. ex quibus nomine Cæsaris quinaræ XXXXIII. priuatis CCCXXVII. Vjibus publicis. L. Ex eo castris duobus, quinaræ XII. operibus publicis tribus, quinaræ VII. Lacubus tredecim, quinaræ XXXI. Iulix autem in commentarijs ascriptus erat modus quinariorum DCXLI. Ad caput mensura iniri non potuit, quoniam ex pluribus acquisitionibus constabat. At ad VI. ab urbe milliarium uniuersa in piscinam recipiebatur, ubi dabat quinaras M. CCVI. Accipiebat autem Prope urbem post hortos Pallantianos ex Claudia quinaras CLXII. erantque Iulix cum acceptis, quinaræ MCCCXLVIII. Ex eo dabat in Tepulam CXC. erogabat suo nomine DCCCIII. Fiebant quas erogabat quinaræ DCCCCXCIII. amplius, quam in commentarijs habebat, quinaris CCCXLIII. minus quàm in piscina CCXIII. Fluebant extra urbem nomine Cæsaris quinaræ LXXXV. priuatis CXXII. Reliquæ intra urbem diuidebantur per regiones. II. III. V. VI. VIII. X. XII. in castella XVII.

De Cliuo Urbico: Domo Ser. Tullij, et Neronis: ac de æde Fortunæ  
Sci. e. Cap. XVIII.

**E**A autem Exquiliarum pars, quæ ædi D. Laurentij in Fontana incūbit, Cliuus Urbicus est appellata: ubi fuit Lucus Fagutalis, et Domus Ser. Tullij. Domus uero Neronis totum id spatium occupauit, quod est inter Palatium, et Caelium, ab æde nunc D. Ioannis et Pauli recta eundo ad Colosseum, atque Carinas quousque ad aggerem Turquinij perueniamus, et Mecenatis attingamus hortos. De hac domo Cor. Tac. sic meminit. Eo tempore Nero Antijagens non ante in urbem regressus, quàm domui, quæ Palatium, et Mecenatis hortos continuauerat, ignis propinquaret: neque tamen sisti potuit, quin et Palatium, et domus, et cuncta circum haurirentur: et infra. Cæterum Nero nixus est patriæ ruinis extruere domum: in qua non tam gemmæ, et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu uulgata, quàm arua, et stagna, et in modum solitudinum hinc syluæ, inde aperta spatia, et prospectus. De hac domo Suet. ita scribit. Nero domum à Palatio Exquilias usque fecit, quam primo Transitoriam, mox incendio absumptam, restitutionemque Auream nominauit: de cuius spatio, atque cultu sufficeret hoc retulisse. Vestibulum eius fuit in quo colossus CXX pedum staret. Ipsius effigiei tanta laxitas, ut triplices porticus milliarias haberet: item stagnum maris instar, circumseptum ædificijs ad urbium speciem. Rura insuper aruis, atque uinetis, et pascuis, syluisque uaria cum multitudine omnis generis pecudum, ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis uersatilibus, ut flores fistulis, et unguenta de super spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus, ac noctibus uice mundi circumageretur. Balneæ marianis, et albulis fluentes aquis. Eiusmodi domum cum absolutam dedicaret, hætenus comprobauit, ut se diceret, quasi hominem tandem habitare cæpisse. Huius domus immensam laxitatem incertus Auctor hoc disticho festiuissime taxauit:

Roma domus fiet, ueios migrate quirites,

Si non & ueios occupat ista domus.

De eadem sic Plin. Et quota pars ea apparatus fuit aureæ domus ambientis urbem: & idem alibi ait, ipsum Neronem in domo aurea Aedem Fortunæ inclusisse, quæ ex lapide phengite translucens, foribus clausis, claritatem diei intus haberet: hancque deam à Seruio rege sacratam, & Seiam à segetibus appellatā. Circa eandem domum fuere quædam Horrea, quorum spatium cum Nero desideraret, bellicis machinis, & igni labefactauit: & saxeo muro constructa erant.

De Aggere Tarquinij: Domo Pompei, & Virgilij: & de Turri, & Hortis

Mecænatis: ac de Campo, & Foro Exquilino.

Cap. XIX.

**A**gger Tarquinij Superbi ab arcu Gallieni parū ultra thermas Dioclitiani protensus ad huc cernitur: de quo Plin. in hunc modum loquitur. Clauditur urbs ab oriēte aggere Tarquinij Superbi, inter prima opere mirabili. Nanque cum muris æquauit, quæ maxime patebat aditu plano: cætero muris nita erat præcellis muris, aut abruptis montibus: nisi quod expatiantia recta multas addidere urbes. Turrim autem Mecænatis sub eodem aggere, haud procul ab eisdem thermis fuisse, plerique omnes consentiunt: Ex qua incensam urbem prospectans Nero lætus flammæ (ut aiebat) pulchritudine & λωσι illi decantauit. Cuius incendij initium ab ea parte Circi originem habuit, quæ Palatino, Cæliōque montibus contigua est, auctor Suet. Qui Hortos etiam Mecænatanos in Exquilij fuisse sic ostendit. Tiberius Romam reuersus deducto in forum filio Druso statim è Carinis, ac Pompeiana domo Exquilias in hortos Mecænatanos transmigravit. Domum autem Virgilij poetæ apud eisdem hortos stetitisse, scribit Ser. gram. Hi horti erant in campo Exquilino inter dictum aggerem, & mænia urbis suo: ubi prius cadauera sepeliebantur. Locum innuit Sex. Pom. his uerbis. Puticuli sunt appellati, quod uetustissimum genus sepulturæ, ut puteus, fuerit: & dicti puticuli, quia ibi cadauera putrescunt, quem locum publicum ultra Exquilias fuisse prodidit Aelius. Eundem locum attigit Cic. ubi inquit, Senatum cēssere, atque è republica existimare, Aedilium curulium edictum, quod de funeribus habeāt Ser. Sulpitij Q. F. Lemoniæ Rufi funeri mittere utique locum sepulcro in campo Exquilino C. Panja Cos. seu quo in loco uidetur pedes triginta quaque uersus designet, quo Ser. Sulpitius inferatur: quod sepulcrum ipsius, liberorum, posterūque eius sit. Fuit autem postea consuetudo ut ibidem cadauera comburerētur. Sed cum nidor esset urbi perniciosus, Augustus studens aerem emendare, S. P. Q. R. consensu campum hunc Mecænati concessit, ubi fecit hortos quos superius demonstraui. In eodem campo plurima, uariæque sepulcra effodi uidimus, uarijs exornata marmoribus. Quædam erāt concamerata unica testudine: alia duplici concameratione, ut ex superiore in inferius sepulcrum esset descensus. Erant & pauimenta tessellata, uermiculatæque: in parietibus per ambitū loculi, in singulis urnæ binæ: extra cameram sepulcri longitudinis, latitudinisque inscriptio. Quædam uero sepulcra ex pluribus constabant parietibus, parum inuicem distantibus, in quibus urnæ similiter binæ, ferè contiguae, modicòque intervallo, aliæ binæ, & super his totidem: ita ut ex ordine decedentium urnæ additæ nouo includerentur muro: hæc pauperum, illa diuitum sepulcra fuisse, opinamur. In urnis autem ossa, cineres, & carbonēs adhuc erant. Erat & uas Vstrinum appellatum, quod in eo cadauera cōburerētur: in quo & uitreum uasculum fuit repertum, in eoque suauissimos liquores fuisse multi asserēbant, quibus etiā cadauera aspergerentur. In Exquilij fuit forum Exquilinum. Appianus. Dum Marius, inquit, & Sulpitius ad Exquilinum forum illi occurrunt. Basilicam Sefumini ciuis Ro. apud eadem D. Mariæ maioris fuisse nonnulli affirmant. Fuit etiam in Exquilij Fanum, & malæ Fortunæ Ara auctore Plin. & Cic. de nat. deorum. Fuit & Felicitatis templum: idq; postea à Nerone, domum auream extruere parante, combisum. Pars autem Exquiliarū ad Viminalē uersa habuit lucū Querquetulanū alterū, alterūque Iunonis Lacinia.

De Suburra: Templo Siluani: & de Testamento Iocundi  
militis. Cap. XX.

**S**uburra, quæ inter Exquilias, & Viminalem iacet, principium habuit à foro Romano, siue à foro Nerviæ imp. finem uero ad cliuum Suburranum: dicta, ut Iunius scribit, ab eo quod fuerit sub antiqua urbe. Iuuenalis uicem frequentissimum fuisse innuit, cum inquit.

Cedere nanque foro, iam nō est deterius, quam

Exquilias à feruenti migrare Suburra.

In eadem Suburra meretrices habitasse, significare uidetur Martialis sic dicens.

Famæ non nimium bonæ puellæ,

Quales in media sedent Suburra.

Domū Casaris Dictatoris fuisse in Suburra, supra ubi de templo Pacis sumus locuti, demonstratum est.

Vicus Patricius oblique Exquilias à Viminali ad Dioclitiani thermas prope usque determinans, à Patricijs est denominatus, qui iubente Tullio rege ibi habitauere, ut si quid aduersus ipsum molirentur, ex locis superioribus opprimi possent. Mamiliæ turris intra Suburræ regionem à Mamilio quodam nomen accepit: auc. est Sex. Pom. Huius uici meminit Mar. hoc carmine.

Sed domus in uico Lælia patricio.

Templum Siluani fuisse ad radices Viminalis, qua parte (ut ego puto) mōs ipse spectat occasum solis, satis constat ex testamento. Iocundi militis in Lujuania reperto, quod sequitur.

IOCVNDL

EGO GALLVS FAVONIVS IOCVNDVS P. FAVONII . F . QVI BELLO CONTRA VIRIATVM OCCVBVI IOCVNDVM ET PRVDENTEM FILIOSE ME ET QVINTIA FABIA CONIVGE MEA ORTOS ET BONORVM IOCVNDI PATRIS MEI ET EORVM QVAE MIHI IPSI ACQVISIVI HAEREDES RELINQVO HAC TAMEN CONDITIONE VT AB VRBE ROMA HVC VENIANT ET OSSA HINC MEA INTRA QVINQVENIVM EXPORTENT ET VIA LATINA CONDANT IN SEPVLCHRO IVSSV MEO CONDITO ET MEA VOLVNTATE IN QVO VELIM NEMINEM MECVM NEQVE SERVVM NEQVE LIBERTVM INSEPI ET VELIM OSSA QVORVMCVNQVE SEPVLCHRO STATIM MEO ERVANTVR ET IVRA RO . SERVENTVR IN SEPVLCHRIS RITV MAIORVM RETINENDIS VOLVNTATEM TESTATORIS ET SI SECVS FECERINT NISI LEGITIMAE ORIENTVR CAUSAE VELIM EA OMNIA QVAE FILIIS MEIS RELINQVO PRO REPARANDO TEMPLO DEI SILVANI QVOD SVB VIMINALI MONTE EST ATTRIBVI MANES QVE MEI A PONT. MAX. ET A FLAMINIBVS DIALIBVS QVI IN CAPITOLIO SVNT OPEM IMPLORENT AD LIBERORVM MEORVM IMPIETATEM VLCISCENDAM TENEANTVRQVE SACERDOTES DEI SILVANI ME IN VRBEM REFERRE ET SEPVLCHRO ME MEO CONDERE VOLO QVOQVE VERNAS QVI DOMI MEAE SVNT OMNES A PRAETORE VRBANO LIBEROS CVM MATRIBVS DIMITTI SINGVLISQVE LIBRAM ARGENTI PVRI ET VESTEM VNAM DARI. IN LVSITANIA IN AGRO VIII CAL. QVINTILES BELLO VIRIATINO.

Decē Tabernæ fuere in ualle D. Agathæ ædi subiecta, ut ex inscriptione marmoris ibidem effossi didicimus. Puteus uero D. Probæ fuit iuxta ædem D. Mariæ cognomento in Campo, in eadem ualle.



De Colle Viminali: Lauacro Agrippinae:  
de Thermis Olympiadis, Nouati: &  
Dioclitiani: & Bibliotheca Vula  
pia: ac de Domo Caij Aglij.  
Cap. XXI.

**T**ertiae regionis, inquit Varro, colles  
quinque ab deorum fanis appellati  
sunt, è quibus nobiles duo: Viminalis à Ioue  
Vimineo: quòd ubi aræ sunt, ibi uimina  
nata fuerunt. Palatiū Decij imp. suū fuisse  
apud eadem nunc. S. Laurentij cognomento  
In panisperna, in ea parte quæ ad Suburrā  
uergit, nonnulli tradidere. Sed de hoc apud  
antiquos scriptores non memini me legere.  
Lauacrū Agrippinae matris Neronis  
fuit à sinistra, qua parte collis uallē Quiri  
nalē despicit: ubi simulacra duo Bacchi rep  
perta feruntur, & index huiusmodi.

#### IN LAVACRO AGRIPPINAE.

Thermae autē Olympiadis, & Nouati: hæ  
co in loco, ubi nunc D. Pudentianæ est  
templum, illæ inter has, & Decij Palas  
tium, in uinea eidem Laurentij adi pros  
xima, sitæ erant. Et in Potentianæ templo  
etiam hodie canales fuliginosi uidentur.  
Domum C. Aquilij Equitis Romani illius,  
quæ iuris ciuilibus scientia clarissimum fecit,  
in mōris dorso positā fuisse opinamur. Hæc  
domū pulchriorē fuisse illa palatiā Crassi,  
& Q. Catuli, testat Plin. Thermae Dios  
clitiani in medio ferè Viminali sitæ adhuc  
spectant: sed maiori ex parte dilapsæ: quarū  
fornices amplissimi extrætes: columnæ inges  
tes, locaque cōcamerata miræ æplitudinis  
operis magnificentiā clare ostendūt. Has  
Dioclitianus, & Maximianus inchoarunt,  
in quibus extruendis memorat XL. M. Chris  
tianorū in seruitiū habuisse. Aliquò dicūt  
Dioclitianū, Maximianūque eas perfecis  
se: Cōstantiū deinde, & Maximianū Dioclis  
tiani filios easdē suis, cōditorūque statuis  
exornauisse, atq; dedicasse, huiusceque rei  
inditio utunt, quòd in eisde inuētū sit mar  
mor in quo erāt uerba, quæ sequuntur.

CONSTANTINVS ET MAXIMIANVS  
INVICTI AVGVSTI SEVERVS MAXI  
MIANVS CAESSARES THERMAS ORNA  
RVNT ET ROMANIS SVIS DEDICAVE  
RVNT

Harū thermarū ichnographiā habes in fis  
gura urbis, propterea hic castellū tātū ap  
posuimus, ex quo, & ex superioribus iā de  
scriptis manifestū est, nō eādē certā, atque  
cōstitutā formā castellis fuisse, sed p. locorū  
natura ea extructa esse: neq; enim refere  
bat quali forma essent, dum recipiēdi aquā  
usum preberent.


Long. ped. CCXCIII.

Lat. maior. LXXXIII.

Minor. XXVIII

Crassitudo muri V.

Pilarum, XIII.





De Colle Viminali: Lauacro Agrippinae:  
de Thermis Olympiadis, Nouati: &  
Dioclitiani: & Bibliotheca Vulpia:  
ac de Domo Caij Aglij.  
Cap. XXI.

**T**ertiae regionis, inquit Varro, colles  
quinque ab deorum fanis appellati  
sunt, è quibus nobiles duo: Viminalis à Ioue  
Vimineo: quòd ubi aræ sunt, ibi uimina  
nata fuerunt. Palatiū Decij imp. suū fuisse  
apud eadem nunc. S. Laurentij cognomento  
In panisperna, in ea parte quæ ad Suburrū  
uergit, nōnulli tradidere. Sed de hoc apud  
antiquos scriptores non memini me legere.  
Lauacrū Agrippinae matris Neronis  
fuit à sinistra, qua parte collis uallē Quiri-  
nalē despicit: ubi simulacra duo Bacchi re-  
perta feruntur, & index huiusmodi.

#### IN LAVACRO AGRIPPINAE.

Thermae autē Olympiadis, & Nouati: hæ-  
ec in loco, ubi nunc D. Pudentiana est  
templum, illæ inter has, & Decij Palas-  
tium, in uinea eidem Laurentij ædi pro-  
xima, sitæ erant. Et in Potentiana templo  
etiam hodie canales fuliginosi uidentur.

Domum C. Aquilij Equitis Romani illius,  
quæ iuris ciuilibus scientia clarissimum fecit,  
in mōtis dorso positā fuisse opinamur. Hæc  
domū pulchriorē fuisse illa palatia Crassi,  
& Q. Catuli, testat Plin. Thermae Dios-  
clitiani in medio ferè Viminali sitæ adhuc  
spectant: sed maiori ex parte dilapsæ: quarū  
fornices amplissimi exstant: columnæ inges-  
tes, locaque cōcamerata miræ æplitudinis  
operis magnificentiā clare ostendūt. Has  
Dioclitianus, & Maximianus inchoarunt,  
in quibus extruendis memorat XL. M. Chris-  
tianorū in seruitiū habuisse. Aliquò dicūt  
Dioclitianū, Maximianūque eas perfecisse:  
Cōstantiū deinde, & Maximianū Dioclis-  
tiani filios easdē suis, cōditorūque statuis  
exornauisse, atque dedicasse, huiusque rei  
inditio utini, quòd in eisde inuētū su mar-  
mor in quo erāt uerba, quæ sequuntur.

CONSTANTINVS ET MAXIMIANVS  
INVICTI AVGVSTI SEVERVS MAXI-  
MIANVS CAESSARES THERMAS ORNA-  
RVNT ET ROMANIS SVIS VEDICAVE-  
RVNT

Harū thernarū ichnographiā habes in fis-  
gura urbis, propterea hic castellū tātū ap-  
posuimus, ex quo, & ex superioribus iā de-  
scriptis manifestū est, nō eādē certā, atque  
cōstitutā formā castellis fuisse, sed p locorū  
natura ea extructa esse: neque enim refere-  
bat quali forma essent, dum recipiendi aquā  
usum preberent.


Long. ped. CCXCIII.

Lat maior. LXXXIII.

Minor. XXVIII

Crassitudo muri V.

Pilarum. XIII.



Bibliothecam autem Vulpiam, in qua libri liurei, atque elephantini principum gesta, & S. C. continentes seruabatur, in his thermis fuisse, testatur Vopiscus, sic. Vfus sum præcipue libris ex bibliotheca Vulpia, ætate mea thermis Dioclitianis. Et alibi. Bibliotheca Vulpia elephantini pugilares in sexto armario sui. Palatium est Dioclitiani prope thermas fuisse opinamur, in uinea sua inter ipsas thermas, & uallem Quirinalem: ubi columnarum bases adhuc suis locis stantes effodi uidimus: & Sacellum conchis marinis, uariisque lapillis inuicem confertis adornatum. Alterum Sacellum marmoreum repertum fuit ad easdem thermas, qua parte ad Altam Semitam, septentrionemque spectant, cuius sacelli testudo in modum conchæ marinæ sculpta ex duobus frustis candidissimi marmoris constabat: quod cui deo esset dicatum, nullo potui signo intelligere. Post thermas autem, & aggerem Tarquinij, usque ad menia, iacet campus Viminalis, in quo fuit puteus aquæ Salientis, qui dicebatur puteus Viuarij, quia ibi apud antiquos animalia includerentur: quo Viuarij nomine etiam nunc campus ille ab incolis appellatur: extantque ueluti ferarum latibula hominum opera extructa.

De Monte Quirinali: Aede Fortunæ, Apollinis, Iouis, Iunonis, Minervæ: &  
de Turri Militiarum: Balneis Pauli Aemilij: Thermis  
Constantini: ac de Domo Corneliorum.  
Cap. XXII.

**I**N Valle Quirinali fuit Fortunæ publicæ aedes: de qua Quid sunt hi uersus:  
Qui dicit quondam sacrata in ualle quirini  
Hac fortuna die publica, uerus erit.

Montem autem Quirinalem à Quirini Fano, uel à Quiritibus, qui cum Tatio Curibus uenientes ibi castra posuerunt, denominatum esse affirmat Var. Sed huius collis ædificia, ut ordinate percurrantur, ab ea parte incipiamus, quæ Palatio Neruæ, Foroque Traiani est proximior. Supra hoc igitur stat Turris nunc Militiarum: quod cognomen ex eo inditum est, quia milites Traiani ibi stationem olim habuere. Extat adhuc eius ædificij bona pars, & ei annexa ueluti porticus in emicycli, sive theatri formam: ubi caput ingens marmoreum, quod Traiani fuisse inter omnes constabat, paucis ab hinc diebus repertum est: Eodemque in loco effossi sunt orbes marmorei miræ laxitatis, ac multa marmoris frusta uarijs signis cælata: in quorum uno erat hic titulus. **POTENTISSIMA DOS IN PRINCIPE LIBERALITAS ET CLEMENTIA**. Balinea Pauli Aemilij in proximo fuere, ubi nunc Monialium est habitaculum: loci quoque dicitur Bagnanapoli. In descensu cliui, qui ad Viminalem uergit, à dextra, annis ab hinc duodecim uidimus Sacellum uariorum piscium, marinarumque concharum nobili pictura adornatum: quibus inditijs Neptuni fuisse omnes asseriebant. Thermarum autem Constantini imp. reliquæ magnæ, non longe spectantur: in quibus repertus est hic titulus.

**PETRONIVS PERPENNA MAGNVS QVADRANTIANVS V. C. MILPRAEF. VRB. THERMAS CONSTANTIANAS LONGA INIVRIA ET ABOLENDAE CIVILIS VEL POTIVS FATALIS CLADIS VASTATIONE VEHEMENTER AFFLICTAS ITA VT AGNITIONE SVI EX OMNI PARTE PERDITA DESPERATIONEM CUNCTIS REPARATIONIS ADFERRENT DEPVATO AB AMPLISSIMO ORDINE PARVO SVMPTV QVANTVM PVBLICAE PATIEBANTVR ANGVSTIAE AB EXTREMO VINDICAVIT ET PROVISIONE LONGISSIMA IN PRISTINAM FACIEM SPLENDOREM QVE RESTITVIT.**

Domus Corneliorum fuit eregione harum thermarum, qua parte mons urbem planam despicit: in uico etiam nunc Corneliorum nuncupato: in quo Apollodorus prodit fuisse statuas duas colosseas senum seminudorum, qui cum reliquo corpore iacerent, pectore fuerant erecti, alteraque manu cornucopiae tenerent: quas Saturno, & Baccho adiudicauit: addiditque in proximis ruinis templa, quorum frontispicium non omnino corruisset, horum deorum extitisse. Has autem colosseas statuas eas esse, quæ hodie in Capitolio cernuntur, crediderim. In proximo autem loco stat Turris dimidiata: hanc quidam geminato errore



errore Meccenatis, & in Exquilijis esse asserunt: cum neque hic collis sit Exquiliarum, nec ea Meccenatis turris: quam in Exquilijis fuisse, supra demonstraui. Equi duo marmorei apud prædictas thermas adhuc extant: quorum alterum Praxitelis, alterum Fidiæ opus esse, tituli indicant. Templum Apollinis fuit in ea parte Quirinalis, quæ in portâ Flumentanâ uersa, Mons Apollinis, & Clatræ est dicta. Haud ita multo post surgit alia pars montis: ubi Capitolium uetus: Sacellum Iouis: Lunonis, & Minervæ: ea priusquam in Capitolio, fuerant condita.

De Domo Pomponij Attici, & Flauj Sabini: Templo Quirini: Alta Semita:  
Vico, & Statua Mamurri: & de Foro, & Hortis Salustij:  
atque de Campo Scelerato.

Cap. XXIII.

**D**omus Pomponij Attici fuit in ea Quirinalis parte, quæ ædi nunc D. Vitalis incumbit. Hanc domum cognomento Pamphilianam, cuiusq; amoenitatem non ædificio, sed sylua constituisse: & a Q. Cæcilio auunculo ipsi Attico hæreditate fuisse relictam, asserit Cor. Nepos: de qua Cic. ad ipsum Atticum scribens, ita meminit. Diem natalem reditus mei cura ut in tuis ædibus amoenissimis agam tecum, & cum amicis. Templum Quirini prope eandem domum fuisse arbitramur: de cuius templi porticu Mar. sic mentionem facit. I nunc, & pete porticum Quirini. Sed alteram Quirini ædem fuisse, ubi nunc templum D. Susannæ, innuit Vitru. libro septimo: a qua Quirinalem portam, olim prope existentem, denominationem accepisse, diximus. Alta Semita à thermis Constantini ad portam Viminalem usque per dorsum Quirinalis erat producta, cuius uestigia sæpe, nec uno tantum loco, uidimus. Et prope eum locum, qui dicebatur, Ad malû Punicum, fuit Fl. Sabini Domus: in qua natum esse Domitianum testatur Suet. consentitque hic titulus ibidem repertus, & adhuc iacens.

INTER DVOS

PARIETES

AMBITVS PRIVAT.

FLAUI SABINI

Est autem ambitus circuitus ædificiorum, patens in latitudinem pedes duos, & semissem, in longitudinem idem quod ædificium, auctor est Sex. Pom. In eadem parte collis uergente ad Viminalem, in tabula marmorea, erant superioribus annis tria deorum simulacra, quorum a dextera sedens unum, Genio Cælimontei, ut titulus ostendebat, erat consecratum: alterum a sinistra stans, Herculi Iulio: tertium, Ioui Cælimontei. Eo in loco extant adhuc aquæductus antiqui uestigia aquis limpidissimis, quanquæ exiguis, fluentibus. Vicum Mamurri fabri, in quo illi Statua fuerat posita, apud prædictâ ædem D. Susannæ fuisse, testatur D. Ambrosius. Forum Salustij eidem ædi fuit proximum: a quo non longe eiusdem Salustij fuerat Domus, cum Hortis: qui non solum proximam occupabant uallem, sed ad portam Collinam ferè usque secundû urbis menia diffundebantur. horû in medio iacet Obeliscus notis, sue literis ægyptiis inscriptus: qui Lunæ fuerat dicatus: inter quem, & uiam ad eandem portam tendentem, in loco qui nunc Gyrlus dicitur, multæ, hydriæ effossæ sunt, propèque multa ossa cadaverum, ac inter ea caput humanum miræ magnitudinis: quod uerisimile uidetur esse Pufionis, uel Secundillæ: quos gigantea statura in eisdem hortis conditos fuisse, testatur Plin. his uerbis. Procerissimum hominem ætas nostra D. Claudio principe Gabbatam nomine ex Arabia aduectum. IX. pedum, & totidem unciarum uidit. Fuisse sub D. Augusto semipede addito: quorum corpora eius miraculi gratia in Cõditorio salustianorum asseruabantur hortorum, Pufioni, & Secundillæ erant nomina. De his hortis Cor. Tac. ita meminit. Ventitabat Nero ad pontem Miluium, quò solutius urbem extra lasciuiet. Igitur regrediente per uiam Flaminiam composuit insidias, fatòque euitatas, quoniam diuerso itinere Salustianos in hortos remeauerit. Meminit & Vopiscus de Aureliano sic loquens. Displicebat ei cum esset Romæ habitare in Palatio, ac magis placebat in hortis Salustij, uel Domitiæ uiuere. Collem autem, in quo quota pars Domus

I

Sallustij cernitur, incolæ Sallusticum appellant, ubi effossum est marmor cum hac inscriptione.

M. AVRELIVS. PACORVS  
ET M. COCCEIVS. STRATOCLES  
AEDITVI. VENERIS. HORTORVM  
SALLVSTIANORVM. BASEM CVM  
PAIMENTO MARMORATO  
DEANAE

D.      ♂      D

Campus Sceleratus, in quo Vestales incesti reæ uiuæ defodiebantur, totum id spatij obtinuit, quod à dictis Sallustij hortis ad portã Collinã ferè usque protenditur: de quo Linius sic inquit. Eo anno Murcia Vestalis factò inditio uiua sub terra ad portam Collinam, dextera uia strata de fossa Scelerato campo, ab incesto id ei loco nomen factum. Meminit & Sex. Pom. ac Plut. Cuius uerba, quia ritum Vestales sepeliendi ostendunt, non ab re fuerit ea subijcere. Sed quæ uirginitatem prodiderit uiua ad portam, quam Collinam uocant, defoditur. Quo quidem in loco supercilium est intra urbem terrestre porrò se intens dens, quod Latinorum idiomate uocatur tumulus. Hic structa est subterranea domus, haud magna, in quam è loco superiore descenditur. Iacet in ea stratus lectulus, & lucerna ardens, primitiæque rerum earum, quæ necessariae sunt ad uictum, breues quædã, panis, aqua in uase, lac, & oleum: quasi caueat ipsa domus, ne fame eius corpus intereat, quæ maximis expiationibus dedicata sit. Ipsam uero pœnæ obnoxiam feretro impositam, & exterius obiectam, lorisque ligatam, quò neque uox queat etiam audiri, per forum uehunt. Silentio accedunt omnes, eamque, sine uoce, graui cum mœrore quodam transmittunt. Neque aliud spectaculum horribilius est, neque alium diem ciuitas mœstiorè agit. Cùm uero ad locum feretrum delatum fuerit, solutis à ministris uinculis, sacerdotum princeps precatus arcana quædam, sublatiisque ad deos manibus, ante supplicium educit eam capite opertam, constituitque in scalis in domum micilium deferentibus. Deinde ipse cum alijs sacerdotibus auertitur. Cùm autem illa descenderit, & scalæ tolluntur, & multa desuper iniecta humo domiciliū operitur, adeo ut is locus reliquo tumulto aquas lis fiat. Sic quidem quæ sacram uirginitatem prodidere puniuntur.

De Templis, Salutis, Fortunæ Primigeniæ: Gentis Flauiae,  
Herculis, Honoris, Floræ: & de  
Senatulo mulierum.  
Cap. XXIII.

**H**Abuit Quirinalis multas aedes sacras, sed quo in loco fuerint exploratum non habemus. Fuit in eo aedes Apis: fuit & Salutis, à Fabio pictore depicta: Claudij imp. tempore incensa: hanc cum Iunius Bibaculus dictator de Equis triumphans uouisset, Censor locauit, rursus dictator dedicauit. Fortunæ Primigeniæ aedes in eodem Quirinali à Domitio Pratore urbano posita fuit. Herculis uò templum fuit eregione ædis Quirini, ut nonnulli arbitrantur. Templum Gentis Flauiae apud Malum Punicum à Domitiano fuerat extructum. Honoris ædem in eodem colle fuisse aßerit Cic. Senatulum Mulierum in Quirinali Heliogabalum fecisse eo in loco, in quo antea fuerat conuentus matronalis solennibus duntaxat diebus, refert Lampridius. Floræ Templum eiusdem deæ Circo, de quo mox dicemus, incumbbat.

De Foro Archemorio:Pila Tiburtina:Domo Martialis:  
Circo Floræ: & de Minijs Officinis.  
Cap. XXV.

**D**escriptis citra Tiberim Romæ ædificijs, reliquum erat, ut in Laniculum transfiremus, uerum cum collis Hortulorum iam diu intra pomeriū sit receptus, huius, urbisq; planæ ædificia par est prius ut recenseamus: in primisque quid fuerit in ualle iacente inter ipsum collem Hortulorū, & Quirinalē. Forum Archemorij, ubi nunc ædes D. Nicolai de Archemorij fuisse, plerique omnes affirmant: ducti, ut opinor, huius ædis cognomine. Pila tiburtina, locus ita nuncupatus, magnam partem huiusce uallis obtinebat: apud quam Martialem se Domum habuisse testatur, his uersibus.

Sed tiburtinæ sum proximus accola pila,

Quæ uidet antiquum rustica flora iouem.

Nam circus Floræ eidem Pila adiacebat, in ualle, quæ à tribus partibus Quirinalis complectitur: ubi eiusdem Floræ deæ ludi florales celebrabantur: quorum origo hæc traditur. Flora cum magnas opes arte meretricia comparasset, Populum Romanum scripsit heredem, certamque pecuniam reliquit, ex cuius annuo fœnore suus natalis dies celebraretur, editione ludorum. Quod quia flagitiosum uidebatur, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam esse finxerunt, quæ floribus præset, eamque oporere placari, ut fruges cum arboribus bene, prospereque florescerent. Officiinæ minij inter Floræ, & Quirini ædem fuisse, scribit Vitruuius. Clius publicus proximus ad florales, uersus Capitolium uetus extensus erat, auctor est Var.

De Colle Hortulorum:Domo Pincij Senatoris: ac de  
Sepulcro Neronis. Cap. XXVI.

**C**ollis autem Hortulorum licet magnum ambitum habeat, tamen, quia erat extra urbē, pauca ædificia memoratu digna continebat. In eo erat Domus Pincij Senatoris, Templumque Solis, ut nonnulli aiunt, ubi extat moles in emicycli formam ad menia, post ædem nunc Trinitatis. Sepulcrum Neronis haud procul ab æde D. Mariæ de populo positum esse multi opinantur. Fuisse autem in hoc colle ostendit Suet. his uerbis. Reliquias Aegloge, & Alexandria nutrices, cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt: quod prospicitur è campo Martio, impositum colle Hortulorum. In eo monumento solium porphyretici marmoris superstanti lunensi ara circumseptum è lapide thasio. Collis autem Hortulorū cognomen hoc obtinuit, quod sub ipso olim, ut etiam nunc, fertilissimi fuerāt horti. Candidatis (inquit Macrobius) fuerat usus in comitium nundinis uenire, & in colle cōstare, unde possent ab uniuerfis uideri: mox autem in campum Martium magistratum petitori descendebāt. Et nos quoq; in eundem descendamus, urbemque planam: quò, priusquam in Laniculum transeamus, de ædificijs quæ citra Tiberim sunt, aut fuerant, orationi finem imponamus,

I ij

De Foro, Porticu, Arcu, & Columna  
Cochlidis Traiani.  
Cap. Primum.



**N** VRBIS Planæ ædificijs describendis, ut euidentius singula dig-  
noscantur, à Capitolio per Pantheon ad eam partem ripæ fluminis,  
quæ nunc Ripetta appellatur, lineam rectam deduci intelligemus,  
quæ in duas partes, propemodum æquales, hanc urbem dissecat  
bit: quarum altera hac lineâ, Tiberique: altera lineâ eadem, & mons  
tis Quirinalis, Hortulorumque collis radicibus continebitur. Hanc  
prius ut aggrediamur, ordo postulare uidetur. Igitur post Augusti  
fori sequitur Forum Traiani: cuius architectum Appollodorû fuisse  
cõmemorat Dion, his uerbis. Hadrianus Appollodorum architectum,  
qui Traiani forum, Methodium, & Gymnasium illo iubente fabrica-  
uerat, primum urbe expulit: postea interfecit. Forum hoc, præter  
alia ornamenta, multis statuis erat adornatum, ut innuit Gellius, his uerbis. In fastigijs fori Traiani  
simulacra sunt sita circumundique inaurata equorû, atque signorum militarium, subscriptumque est ex  
manubijs. Aliæque uaria simulacra uirtutis causa, uel aliquo in rēpublicam merito, erant publico sumptu  
ibi collocata: quorum celebratissimum fuit Claudiani: cuius titulus in humili quadam domo in Cōstans-  
tini thermis sita reperitur, in hæc uerba.

CL. CLAUDIANI V.C.

CLAUDIO CLAUDIANO V.C. TRI  
BVNO ET NOTARIO INTER CETERAS  
VIGENTES ARTES PRAEGLORIOSISSIMO  
POETARVM LICET AD MEMORIAM SEM-  
PITERNAM CARMINA AB EODEM  
SCRIPTA SVFFICIENT AD TAMEN  
TESTIMONII GRATIA OB IUDICII SVI  
FIDEM DD NN ARCADIVS ET HONORIVS  
FILICISSIMI AC DOCTISSIMI  
IMPERATORES SENATV PETENTE  
STATVAM IN FORO DIVI TRAIANI  
ERIGI COLLOCARIQVE IVSSERVNT

Εἰν ἐν τῇ Βιργιλίῳ τοῦ νόου

καὶ μούσαν ὁμήρου

κλαυδιανῶ ῥώμην καὶ

βασιλῆς ἑθεσεν

Circa hoc forum autem erat Porticus cū columnis miræ magnitudinis, quæ tantam afferebant intu-  
tibus admirationem, ut non hominum, sed Gigantum manu opus fabrefactum uideretur. In hanc portic-  
um summorum uirorum statuas pulcherrimas undique ab Alexandro Severo translatas fuisse, scribit  
Lampridius. In forûmq; cū Constans Constantini filius peruenisset, singularem structuram primum  
attonitus cernens, p̄rque giganteos contextus circumferens mentem, omni spe talia conficiendi amo-  
ta, Traiani equum solum locatū in Atrij medio imitari se uelle dicebat: Cui regalis Ormisda respondit.  
Stabulum prius tale condas. Huius autem equi imaginem in ipsius Traiani numismatis signatam uidis-  
mus, cum hac inscriptione. S. P. Q. R. PTIMO PRINCIPI. Forû adornabat etiâ Arcus triūphalis.



Dion. Triumphalis, inquit, tunc arcus præter alia multa, quæ in honore eius & decreta, & facta fuerant, in illius foro substructus est. Stabatque et in eius fori medio eiusdem Traiani Cochlidis columna, quæ adhuc extat: in qua circumcirca Dacici belli, aliarumque rerum gestarum simulacra miro artificio sculpta sunt. Ea habet gradus C LXXIII. fenestrellas XLIII. alta est pedes CXXVIII. In cuius basi insculptus est hic titulus.

SENATVS POPVLVSQ. VE ROMANVS.  
IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F. NERVAE.  
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF.  
MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P.  
AD DECLARANDVM. Q. VANTAE. ALTITVDINIS.  
MONS. ET LOCVS. TANTIS. OPERIBVS. SIT EGESTVS.

Hunc titulum Dion non satis animaduertisse videtur, qui sic inquit. In gentem columnam in foro statuit, siue ut ea pro sepulcro esset, siue in ostentationem eius operis, quod ille circa forum egit. Cuius surgebat quem effossa quoquoersus terra ita complanauit, ut undique columna conspiceretur, forumque deinde in area modum æquatum mansit. In hac eadem columna ossa Traiani, omnium imperatorum intra urbem dumtaxat sepulti, ab Hadriano condita esse, idem Dion est auctor. Bibliothecam Templi Traiani, in qua veterum Prætorum, ut Gellius tradit, erant edicta, in eius foro fuisse, existimandum est.

De Sepulcro C. Publicij: Domo Coruina: Via Lata: & de  
Isidis, & Mineræ templo: atque de foro Suario.

Cap. II.


**S**Vb Capitolio, qua parte mons ipse ad forum Traiani uergit, sunt Monumenti C. Publicij uestigia, in quibus extat sequens epitaphium.

C. POBLICIO. L. F. BIBVLO AED. PL. HONORIS  
VIRTVTISQ. VE CAVSSA SENATVS  
CONSULTO POPVLIQ. VE IVSSV LOCVS  
MONVMENTO QVO IPSE POSTERIQ. VE  
EIVS INFERRENTVR PVPLICE DATVS EST

Honoris, uirtutisque causa hoc loco additum esse intelligendum est: quia Duillio Cos. cautum fuerat S. C. ne quis in urbe sepeliretur, nisi qui uirtutis causa non teneretur legibus. Nam & Cic. sic inquit. Hominem mortuum lex in XII. tabulis in urbe ne sepelito, neue urito. Credo propter ignis periculum. Atqui in urbe sepulti sunt clari uiri. Credimus eos quibus ante hanc legem uirtutis causa tributum est: ut Publicolæ, ut Tiburtiæ: quod eorum posterum iure tenuerunt. Aut eos si quibus hoc, ut C. Fabricius, uirtutis causa soluti legibus non sunt secuti. Hæc Cic. Imperatores autem, & Vestales, quia legibus non tenebantur, in urbe sepulcra habebant. Domus autem Coruina fuit, ubi nunc macellum Coruorum appellatum, prope modo dictum sepulcrum. Via Lata hinc ad Septa protendebat: quæ uia idem nomen: ædesq; D. Mariæ, quæ in ea posita est, ab eadem cognomentum et nunc retinent. Prope eandem ædem reliquæ arcus triumphalis sexto ab hinc anno sunt effossæ, in quibus incisæ erant imagines uictoriæ, & trophæa: ex cuius arcus inscriptione hoc tantum legi poterat. Votis. X. & XX. Templum Isidis, ex urbis descriptione quam Sex. Rufus fecit: in eadem uia fuisse uidetur: qua parte nunc D. Marcelli est ædes: nam & ibi inuentum est marmor cum hoc titulo. **TEMPLVM ISIDIS EXORATAE.** Hoc templum prope Septa fuisse, ostendit Iuuenalis, his carminibus.

A meroe portabat aquas, quas spargat in ædem  
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ouili.

Ayuntamiento de Madrid





Dion. Triumphalis, inquit, tunc arcus præter alia multa, quæ in honore eius & decreta, & facta fuerant, in illius foro substructus est. Stabatque et in eius fori medio eiusdem Traiani Cochlidis columna, quæ adhuc extat: in qua circumcirca Dacici belli, aliarumque rerum gestarum simulacra miro artificio sculpta sunt. Ea habet gradus C LXXIII. fenestrellas XLVIII. alta est pedes CXXVIII. In cuius basi insculptus est hic titulus.

SENATVS POPVLVSQ. VE ROMANVS.

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE.

TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF.

MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P.

AD DECLARANDVM. Q. VANTAE. ALTITVDINIS.

MONS. ET LOCVS. TANTIS. OPERIBVS. SIT EGESTVS.

Hunc titulum Dion non satis animaduertisse videtur, qui sic inquit. In gentem columnam in foro statuit, siue ut ea pro sepulcro esset, siue in ostentationem eius operis, quod ille circa forum egit. Cuius surgebat quem effossa quoquoersus terra ita complanavit, ut undique columna conspiceretur, forumque deinde in aræ modum æquatum mansit. In hac eadem columna ossa Traiani, omnium imperatorum intra urbem dumtaxat sepulti, ab Hadriano condita esse, idem Dion est auctor. Bibliothecam Templi Traiani, in qua veterum Prætorum, ut Gellius tradit, erant edicta, in eius foro fuisse, existimandum est.

De Sepulcro C. Publicij: Domo Coruina: Via Lata: & de  
Isidis, & Mineruæ templo: atque de foro Suario.

Cap. II.

**S**ub Capitolio, qua parte mons ipse ad forum Traiani uergit, sunt Monumenti C. Publicij uestigia, in quibus extat sequens epith.

C. PUBLICIO. L. F. BIBULO AED. PL. HONORIS

VIRTVTISQ. VE CAUSSA SENATVS

CONSVLTO POPVLQ. VE IVSSV LOCVS


MONVMENTO QVO IPSE POSTERIQ. VE

EIVS INFERRENTVR PVPLICE DATVS EST

Honoris, uirtutisque causa hoc loco additum esse intelligendum est: quia Duillio Cos. cautum fuerat S. C. ne quis in urbe sepeliretur, nisi qui uirtutis causa non teneretur legibus. Nam & Cic. sic inquit. Hominem mortuum lex in XII. tabulis in urbe ne sepelito, nec uirito. Credo propter ignis periculum. Atqui in urbe sepulti sunt clari uiri. Credimus eos quibus ante hanc legem uirtutis causa tributum est: ut Publicolæ, ut Tiburtiæ: quod eorum posterius iure tenuerunt. Aut eos si quibus hoc, ut C. Fabricius, uirtutis causa soluti legibus non sunt secuti. Hæc Cic. Imperatores autem, & Vestiales, quia legibus non tenebantur, in urbe sepulcra habebant. Domo autem Coruina fuit, ubi nunc macellum Coruorum appellatum, prope modo dictum sepulcrum. Via Lata hinc ad Septa protendebat: quæ uia idem nomen: a deâ D. Mariæ, quæ in ea posita est, ab eadem cognomentum et nunc retinent. Prope eandem ædem reliquæ arcus triumphalis sexto ab hinc anno sunt effossæ, in quibus incisæ erant imagines uictoriæ, & trophœa: ex cuius arcus inscriptione hoc tantum legi poterat. Votis. X. & XX. Templum Isidis, ex urbis descriptione quam Sex. Rufus fecit: in eadem uia fuisse uidetur: qua parte nunc D. Marcelli est ædes: nam & ibi inuentum est marmor cum hoc titulo. **TEMPLVM ISIDIS EXORATAE.** Hoc templum prope Septa fuisse, ostendit Iuuenalis, his carminibus.

A meroe portabat aquas, quas spargat in ædem  
Isidis, anriquo quæ proxima surgit ouili.

I iij



Iuuenali consentire uidentur Dionis hæc uerba. Ignis diuinitus potiusquam ab homine Romæ excitatus, eamque depopulatus. Nam Serapis & Isidis templum, & Septa, Neptuni ædem, thermas Agrippæ, Pantheum, Diribitorium, Balbi theatrum, Pompei porticum, Octauiae domum cum bilbliotheca, templum Iouis capitolini, cum ædibus, & sacellis coniunctis exhaustu (Diribitorium autem erat domus publica, in qua stipendium militibus diriberetur .i. distribueretur). Sed multis præterea locis fuisse Isidis templum testatur Spartianus in uita Caracallæ. Inter hanc autem uiam, & ædem Mineruæ stat Arcus, ut uidetur, triumphalis, nullis nunc ornamentis excultus: quem Camilli fuisse dicunt: hoc solo argumento, quod ab eo nomen retineat: quod falsum, uerum ne sit, ex eo loco petendum est libro secundo, ubi de arcubus Romuli sumus locuti. Mineruæ Templi uestigia extant in cænobio Fratrum Diuæ Mariæ Mineruæ nuncupatæ. Hoc templum Pompeius Magnus extruxit, in eoque triumphalia signa, & gestorum suorum breuiarium posuit: quale in marmorea tabula legimus: & a Plin. iisdem fere uerbis repetitum. Forum Suarium fuit ad radices Quirinalis, ubi nunc D. Nicolai est ædes cognomento in Porcilibus. In eo .n. sues uendebantur. Nam quemadmodum Varro ait, Romani loca habebant constituta ubi res peculiariter uenderentur: quæ loca nomen sortirentur ab ipsis rebus: ut Boarium, ubi boues: Piscarium, ubi pisces: Olitorium, ubi olera: Suarium, ubi sues.

De Campo Martio, & Agrippæ, ac de æde Larium.

Cap. III.

**C**ampus Martius priscis temporibus extra urbem erat relictus: nam menia urbis à porta Collina in eam partem uersus, qua Ancus Martius in Ianiculo muros posuerat, fledebantur: eo Campo extra relicto. Eius nominis origo ea est. Cum ceteri campi Tarquinii, qui ob iustitiæ contemptum dictus est Superbus, post eius exilium dati ijs esset, qui agros non haberent: unus hic ager Marti fuit consecratus. Ideo qui prius campus Tiberinus nuncupabatur, Martius fuit appellatus. In eo Comitia sæpe facta esse notissimum est: & Cic. testatur, his uerbis. Constat enim nullis unquã Comitijs campū Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum floruisse. Alijs etiam publicis usibus inserviebat: quod ex multis auctoribus facile est cognoscere. Nam Suetonius scribit athletas stadio ad tempus extructo in regione campi Martij certauisse per biduum: & nauali prælio in morem cochleæ de fosso lacu biremes, ac triremes, quadriremesque tyriæ, & ægyptiæ classis, magno pugnatorum numero, confluxisse: & Sex. Pom. Equiria ludos, quos Romulus Marti instituit, in campo Martio facta esse. Strabo præterea de eodem Campo hæc memoriæ tradidit. Veteres illi Romani urbis pulchritudinem contempnere, cum maioribus, magisque necessarijs animum adiecißent. Posteriores uero, & ij præsertim, qui nostris fuisse temporibus, haudquaquam illis hac in re cefisse uidentur: sed innumerabilibus, ac præclarissimis urbem Romanam impleuerunt insignibus. Pompeius nanque, & D. Cæsar, & Octavius, & eius filij, & familiares, & uxor, & soror cûctorum studium, simul & impensas ad apparanda decora superarunt. Maximam autem horum partem Martius campus habet, præter natiuam locorum amoenitatem artis, & solertiæ exornationes admittens. Campi .n. admirabilis magnitudo simul & curules pariter cursus, & alia equestria certamina expedita suppeditat: nec minus tam multis pilæ, circulum, palestram exercitatione tractantibus: aliâque incumbentiâ simul opera. Quid perennes solo herbas, coronatôsque usque ad fluminis alueum colles, scenicarum ostentatio picturarum, eiûsque generis spectacula præstant, ut difficulter, & inuitus abscedas. Huic proximus campo & alter adiacet Cæpulus, & innumerabiles circumcirca porticus, horti nemorosi: theatra tria, simul & amphitheatrum: templa magnificentissima inter se contigua, & quasi aliud agentia reliquam urbis uenustatem ostentare uideantur. Ea propter cum locum istum religiosissimum esse cogitaßent, clarissimorum uirorum, ac fœminarum monumenta construxerunt. Hactenus Strabo. Campus autem alter Martio adiacens, Agrippæ dicebatur: in quo M. Agrippa Pantheum, & thermas extruxit. De hoc campo meminit Lampridius, &



Gellius libro XIII. Macrobius insuper Larium Aedem, quam bello antiochiæ Aemilius Regilius prætor uouerat, in eodem campo Martio fuisse testatur. In hoc, sicut in Capitolio, clarissimorum uirorum statua erigi solebant. Itaque Caligula imp. quasdam ab Augusto ex capitolina arca propter angustias in hunc translatas, ita subuertit: ut restitui saluis titulis non ualuerint.

De Antonini Pij Palatio, & Porticu, deq. eiusdem Antonini Columna.

Præterea de Septis: Monte Citatorum: & Villa Publica. Cap. III.

Estat iuxta ædem D. Stephani de Trullio Porticus, cuius principium, & finis non apparet, columnæ tamen marmoreæ, ingentes, numero undecim stantes, ita dispositæ cernuntur, ut ex his, aliisque eiusdem generis nuper à tergo harum effossis, porticum quadratam fuisse dubium non sit: siquidem sub ipsis columnis locus est amplissimus, concameratus, in modum cellæ uinariæ: ut falsum esse cõstet, quod aliqui dicunt: ibi fuisse templum eiusdem Antonini, uel Martis. Hinc haud procul stat eiusdem Antonini cochlidis Columna, altitudinis pedum CLXXV. cū fenestrellis LVI. & gradibus, ut refert Sex. Rufus, CCVI. quorum graduum numerus hodie deprehendi non potest, neque ad Columnæ summum perueniri. In ea circumcirca res ab Antonino gestæ incisæ sunt. In uertice olim eius simulacrum erat, quale in eius numismatis sæpe uidimus. Columnam hanc Sex. Rufus in area Flaminij esse scribit. Septa inter hæc & aquam Virginem iacebant. Nam arcus Virginis finem posuisse secundum frontem septorum ait Frontinus. Erant autem Septa loca tabulis inclusa, & uallata, in quibus Populus Ro. suffragia laturus claudebatur. Hæc eadem Ouilia etiam, sumpta similitudine ab ouium septis, sunt appellata. Lucanus. Et misera maculauit ouilia Romæ. Hæc iuxta uiam Fornicatam, & Flaminiam fuisse, auc. est Liuius. In eis p. Septis uaria certamina interdum edebantur: quale fuit gymnici à Nerone: ab Augusto ludi sceſnici, & uenationes. Prope Columnam Antonini surgit tumulus, quò Populus Ro. ad creandos magistratus conueniebat, ab eoque Citatus uidetur nunc appellari: licet sint & qui ab acceptadis suffragijs, tanquã acceptorium: & qui à proximis Septis, tanquam septorum, nomen obtinuisse uelint. Eum autem monticulum, quem hodie uidemus, ex ruinis amphitheatri Claudij, Villæ publicæ: aliorumq. publicorū ædificiorum, quæ ibi fuisse constat, factum esse opinamur. Villa autem Publica erat domus ampla, ueluti curia, in qua hostium legati, quibus in urbe hospicium non concedebatur, recipiebant: & de publico alebantur. Liuius. Macedones, inquit, deducti extra urbem in Villam publicā, ibique is locus, & lautia præbita. Nam quòd hostium legati intra urbem non susciperentur, Rhodiorum legati apud eundem auctores conquerentes, his uerbis ostendunt. Antea Carthaginensibus uictis, Philippo, Antiocho superatis, cū Romam uenisset, ex publico hospitio in curiam gratulatum uobis P. C. ex curia in Capitolium ad deos uestros dona ferentes: nunc ex sordidissimo diuersorio, uix mercede recepti, ac propè hostium more extra urbem manere iussi, in hoc squalore uenimus in curiam Romanam, Rhodij. De Villa publica Cic. ad Atticum ita meminit. Efficiemus rem gloriosissimam, nam in campo Martio Septa tribunicijs comitijs marmorea sumus, & tecta facturi, eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur: simul adiungetur huic operi Villa etiam publica. Templum autem Neptuni cum porticu iuxta Septa fuisse, ait Dion. quem locum M. Agrippa multis decorauit ornamentis. Apud hanc Antonini Columnam fuerat Pons, per quem citati, postquam tulerant suffragia, ne laturis se immiscerent, & cui fauissent dicere possent, transeuntes separabantur. De quo Suet. in uita. Cæs. sic inquit. Coniurati primum cunctati utrumne illum in Cæpo per comitia tribus ad suffragia uocantē partibus diuisis è ponte deſcerent, atque exceptum trucidarent: an in Sacra uia, uel in aditu theatri adorirentur.

De Aqua Virgine: Aede, & Lacu Iuturnæ: Templo Pietatis:  
& de Amphitheatro Claudij Imp.  
Cap. V.

**V**irginem aquam adduxit Agrippa, ut ait Plin. ab octavo lapide, diuerculo .II. millia passuum, uia prænestina, iuxta Herculanæum riuū, quem refugiens uirginis nomen obtinuit. De eadem aqua idem auct. sic inquit. Agrippa in adiliatæ suæ adiecta Virgine aqua, cæteris corruatis, atque emēdatis, lacus DCC. fecit, præterea salientes CV. castella CXXX. complura etiam cultu magnifica. Operibus his signa CCC. ærea, aut marmorea imposuit. Columnas ex marmore CCCC: eaque omnia annuo spatio. De eadem aqua Frontinus ita scribit. Idem Agrippa cum iam tertium Cos. fuisset, C. Scentio, & Sp. Lucretio Coss. post annum tertium decimū, quā Iuliam deduxerat, Virginem in agro quoque Lucullano collectam, Romam perduxit. Virgo appellata est: quod quærentibus aquam militibus puella uirguncula uenas quasdam monstrauit, quas secuti, qui foderunt, ingētem aquæ modum inuenerunt. Aedis cula fonti apposita hanc uirginem pictura ostendit. Concipebatur Virgo uia Collatīa, ad miliarium VIII. palustribus locis, signino circuncincto continendarum scaturiginum causa. Adiuuabatur ex cōplurib' alijs acquisitionib': Veniebat p. longitudinē pas. XIII. milliū CV. Ex eo riuo subterraneo pas. XI. milliū DCCCLXV. Supra terrā pas. M. CCXL. Ex eo substructione riuorū locis cōpluribus pas. DXL. Opere arcuato pas. DCC. Acquisitionū duct' riuī subterranei efficiebāt pas. MCCCCV. Huius aquæ ascript' erat modus in cōmētarijs quinariorū DCCCLII. Mēsurā ad caput inueniri nō poterat: quoniā ex plurib', ut diximus, acquisitionibus constabat. Propterea Frontinus ipsam egit ad miliarium septimum: ubi inuenit quinariorum duo millia DIIII. amplius, quam in commentarijs, quinarijs M. CCLII. Exhibant extra urbem quinarie CC. reliquæ .II. mille. CCCIII. diuidebantur p. regiones VII. VIII. XIII. In castella XVIII. Ex quibus nomine Cæsaris quinarie DXLIX. Priuatis CCC. XXXVIII. Vrbibus publicis M. CCCCXVII. Ex eo muneribus duobus, quinarie. XXVI. Lacubus uiginti quinque, quinarie LXI. Operibus publicis sexdecim, quinarie M. CCCXXX. Sed uetus ductus magna ex parte collapsus est, aquaque ipsa nunc concipitur prope pontem Salarium, ex fonte, siue lacu, qui est in monte uulgo de Zoie nuncupato: quem ex aliquibus acquisitionibus, ex quibus auctam fuisse hanc aquam refert idem Frontinus, colligi puto. Ager Lucullanus, i quo prius colligebatur, idem est qui et Tusculanus. Luculli autē nomen huic inditum est, postquam is uillam pulcherrimam in eo extruxit: quam nunc Frascatum uocat. Sed huius aquæ ductus subterraneo riuo in campum Martium usque perueniens sub colle Hortulorū attollitur, ibique intus ex lapide tiburtino extructo hæc instauratoris legitur inscriptio.

TI. CLAUDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS

PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTES. V. IMP. XI. P. P. COS. DESIGN. III.

ARCVS. DVCTVS. A Q. VAE. VIRGINIS. DISTVRBATUS. PER. C. CAESAREM

A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITVIT

Hi arcus partem campi Martij obibant, ut innuit Ouid. his carminibus.

Te quoque lux eadem Turni soror æde recepit,

Hic, ubi uirginea campus obitur aqua.

Ex quibus carminibus constat, Iuturnam iuxta eiusdem nominis lacum, in quo submersa illi cognomen fecit, eodem in campo ædem habuisse: qua parte nunc est fons Triun. Huius lacus aqua salubris habebatur. Vnde Var. Nympha, inquit, Iuturna quæ iuuaret: itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent. Quod hodie nos fieri uidemus è puteo, qui est in ædícula D. Mariæ cognomento in Via, non longe ab eo, quem diximus, Triun fonte. Templum Pietatis fuit, ut plerique omnes consentiunt, ubi nunc ædes D. Saluatoris de pietate. Amphitheatrū uero iuxta Septa Claudium imp. ædificauisse, quod à Tiberio imperfectum fuerat relictum, scribit Suetonius: Neronēque ludos spectauisse è prosœnij fastigio, munere quod in amphitheatro ligneo in regione campi Martij intra anni spatiū fabricato dedit.

De Arcu Domitiani : Templo Iunonis Lucinae : & de  
Obelisco campi Martij.  
Cap. VI.

**A**RCUS ad D. Syluestri nunc ædem, qui uiam Flaminiam complectitur, Domitiano positus fuit. Nā in eo est ipsius Domitiani effigies, qualis in eiusdem numismatis cernitur, sed statura procera, quemadmodum a Suetonio describitur. Cui effigiei adiacet urbis direptæ imago, præterea Victoria, ac Pallas ipsi Domitiano sedenti ueluti gratulantes. De eodem arcu Martialis inquit. Stat sacer & domi-  
ris gentibus arcus ouās. Domitianus. n. per omnes regiones Ianos, arcusque fecit: quos in ipsius unius titulum, ac nomen substructos, postea disturbatos esse cōmemorat Dion. Vocatur autem nunc arcus Tripoli. Ab hoc non longe fuit Iunonis Lucinae Templum: ubi nunc est ædes D. Laurentij eiusdem cognominis. Huius sic meminit Plin. Romæ uero lotos in Lucina area anno, qui fuit sine magistratibus, CCCLXIX. urbis æde condita, incertū quantum ipsa uetustior: esse quidem uetustiore non est dubiū, cum ab eo luco Lucina nominetur. Ab hoc templo ad iactum lapidis, iacet Obeliscus cōminutus: de quo idem auctor hæc tradit. Is obeliscus, qui est in campo Martio CX pedum est, a Mersotide inscriptus: rerūque interpretationē Aegyptiorū philosophiæ cōrinet. Cui D. Augustus addidit mirabile usum ad deprehēdas solis ūbras, dierūque, ac noctiū magnitudines, strato lapide ad obelisci magnitudinē, cui par fieret ūbra Romæ cōfecto die sexta hora, paulatimque prægulas, quæ sunt ex ære inclusæ, singulis dieb⁹ decrederet, ac rurs⁹ augeretur: digna cognitu res, et ingenio fœcūdo. Manili⁹ mathematic⁹ apici pilā auratā addidit: cuius uertice ūbra colligeretur in semetipsam alia, atque alia incrementa iaculantē apice, ratione (ut ferunt) a capite hominis intellecta. Hæc obseruatio triginta iam ferè annis non congruit: siue solis ipsius dissono cursu, & cœli aliqua ratione mutato: siue uniuersa tellure aliquid a centro suo dimota, ut deprehendi, & in alijs locis accipio: siue urbis tremoribus, ubi tantum gnomone intorto: siue inundatione Tiberis sedimento molis facto: quanquam ad altitudinem impositæ rei in terram quorūque dicantur iacta fundamenta. hæc Plin. In altera autem parte huius obelisci fracti erat hic titulus.

CAES. DIVI. I. F. AVGVSTVS  
PONTIFEX MAXIMVS IMP.  
XII. COS. XI. TRIB. POT.  
XIV. AEGYPTO IN POTESTATEM  
POPVLI  
RO. REDACT.  
SOLI DONVM DEDIT

Ibidem autem effossum fuit horologium cum lineis, & gradibus auratis, in singulis uero quatuor imagines uentorum ex opere uermiculato uisebantur, cum inscriptione hac, VT BOREAS SPIRAT

De Valle Martia: Naumachia Domitiani: Templo Gentis Flauiae: & Mausolæo  
Aug. De duobus Obeliscis: ac de quibusdam Sepulcris.  
Cap. VII.

**V**ALLIS Martia, quantum comprehendere potuimus, ab arcu Domitiani ferè ad portam Flumentanā usq; protenditur. Sortita est autem nomen a campo in quo iacet. In hac, ad radices collis Hortulorum, Naumachiae Domitiani uestigia apparent. Nam et Stadium & Methodium, & Naumachiam illū struxisse, edidisseque nauales pugnas penè iustarum classium, effosso, & circumducto iuxta Tiberim lacu: spectauisseque inter maximos imbres, Suetonius ait: Idemque iuxta hanc, gentis Flauiae Templū colatum esse. Cuius quadratos lateres ex ruinis, quæ ædem D. Syluestri sepiunt extractos hæc uerba habuisse. DOMITIANA MAIOR PARS DOMITIANA MINOR. quidā scripsere Mausolæū in

eade ualle, interque uia Flaminia, & ripa Tiberis tertio suo cōsultu posuit Augustus : uoluitque ut nō modo suū, sed omniū imperatorū, & cognatorū esset sepulcrū. Cuius reliquias, ī ipsius funere, Mausolæo (inquit Suetonius) condidit. De eodem Cassiodorus ita scribit. Sed mundi dominus ad potentiam suam opus extollens mirandum Romanis etiam erigens fabricam in uallem Martiam tetendit Augustus. Immensa moles firmiter præcincta molibus cōtinetur, ubi magnarum rerum inditia clauderentur. Biffena quippe ostia ad XII signa posuerunt. Strabo præterea. Commemoratione, inquit, dignissimum est, quod Mausolæum appellant: excelsis fundatum molibus, lapide niueo, & perpetuæ uiriditatis arboribus coopertum, in summum usque uerticem ad fluminis ripam exaggeratum. In summo autem positum est Cæs. Augusti simulacrum, ex ære fabricatum. Sub aggere ipso sunt eius loculi, & cognatorum, & necessariorum: a tergo uero lucus est, mirifica continens ambulacra. In medio autem campi spatio sui busti extat ambitus, & hic ipse niueo perfectus lapide, ferreos in circuitu cæcellos habens, & plantatas interius præ se ferens populos. Extat uero etiam nunc interior murus orbicularis reticulato opere: cum tam olim, ut uidetur, tres fuerint muri inuicem distantes, quorum interualla rursus spatij quibusdam distinguebantur, ut loculi plures efficerentur, quo seorsum condi singuli possent. Hic locus in laudem Augusti pacis, ac uictoriæ, & P. P. inscriptionem habuisse dicitur. De hoc Mausolæo puto Vir. intellexisse, cum de funere Marcelli loquitur, his uersibus.

Quātos ille uirum magnam mauortis ad urbem  
Campus ager gemitus, uel quæ Tiberine uidebis  
Funera, cum tumulum præterlabere recentem.

Neque enim me mouet, quod nonnulli putant, Virgilium intellexisse de Marcelli sepulcro, idque esse, quod instar turris ingredientibus porta Flumentana eregione se se offert: (quod cum hæc scriberemus Cur. Viar. disturbandum curabant) Nam neque satis constat cuius fuerit sepulcrum: neque Marcellum, cum esset Augusti sororis filius, in eius Mausolæum non conditum fuisse credimus. Ad hoc Mausolæum, ut ex Ammiano supra retulimus, duo fuere Obelisci magnitudine pares, singuli pedum XLII & semis. Quorum alter fractus cernitur: alter a tergo adis D. Roçi sub terra latet. Prope Mausolæum inueniunt est marmor, quod adhuc ibidem perieti inclusum manet, cum hoc epith.

DIS. MANIB

M. VLPIO

MARTIALI

AVG. LIB

A MARMORIBVS

In campo Martio, Syllæ Sepulcrum fuisse, Appianus refert. Hircij, & Pansa, Liuius. Iulia, Florus, Iulij inquam Cæsaris amica. In eodem campo Suetonius Sepulcrum Drusi, D. Claudij patris: Cor. Tac. Britanici, in quo prius expugnationem fecerat: et Seneca uiam Rectam appellatam, fuisse aiunt.

De Templis, Bellonæ, Apollinis, & Martis: & de Porticu  
Mercurij: atq; Columna bellica.

Cap. VIII.

**A**ltera autem pars urbis planæ, quam diximus inter Tiberim, lineamque deductā a Capitolio per Pantheum ad Ripettam nunc appellatam contineri, habuit proxime post forum Olitorium, caput Martium uersus, Templum Bellonæ. Ideo ante portam Carmentalē id fuisse, scribit Sex. Rufus. Idemque auctor est, ante ipsum fuisse Columnam belli inferendi indicem, Bellicam denominatam: a qua Romani aucto iam, latiusque propagato imperio, hastam in eam partem mittebant, uersus quam erant ad bellum ituri: quia laboriosum admodum uidebatur ad hostium fines ex instituto peruenire, in eorumque agros hastam ipsam iacere. Templi autem huius auctorem Appium Claudium fuisse, ait Ouidius. In hoc S. C. solitū fieri ex Liuiο libro quinto dec. quinta colligitur: qui sic ait. M. Pōpilius Cos. Romā redijt: Sena

iusque exemplo in ædem Bellonæ est uocatus . Hinc haud procul fuit Templum Apollinis eo in loco, ubi nunc ædes D. Mariæ cognomento sub Capitolio: inter forum Olitorium, & circum Flaminium, ut scribit Asconius. A quo discedentes uirgines quasdam, in forum per uicum Iugarium uenisse, supra diximus. In hoc item Senatus quandoque habebatur. Idem Lilius eodem libro. Cn. Cor. Scipione Hispalo, & Q. Petilio Spurino Coss. Senatus in æde Apollinis legatorum uerbis auditis supplicationem in biduum decreuit. Cic. ad Atticum. Nam illa, quæ recordaris Lentulo, & Marcello Coss. acta in æde Apollinis, nec causa eadem est, nec simile tempus. Hinc autem sinistrorsum ad teli iactum extant tres columnæ marmoreæ miræ altitudinis: quo in loco Martis Templum fuisse opinamur . Quod Ouidius carminibus celebravit, & columnis adornatum fuisse dixit. Apollinis autem templum apud Sophoclem: Martis uero apud Apollonium subdialia fuisse legimus . Quod Vitruuij præceptis de ædificiorum decore consentaneum est: qui eorum deorum, quorum species, & effectus in aperto mundo, atque lucenti uidemus, templa sub dio constituenda esse præcipit . Verum hæc ipsa templa, de quibus præsens est sermo, nobis non satis constat, an fuerint subdialia. Scimus. n. hoc Vitruuij præceptum nõ perpetuo fuisse obseruatũ. Prope has columnas, quas diximus, est ædes nunc D. Angeli, Iunonis olim, ut quidam literis tradidere: p. foribus cuius stat Porticus, quæ eidem Deæ attribuitur: alij uero Mercurio. Eiusdem incendio consumptæ instauratores sequens ostendit inscriptio, quæ hodie extat.

IMP. CAES. L. SEPTIMIUS SEVERVS. PIVS. PERTINAX. AVG. ARABIC. ADIABENIC. =  
PARTHIC. MAXIMVS

TRIB. POTESTAT. XI. IMP. XL COS. III. P. P. ET  
IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. PONT. MAX. TRIB. =  
POT. VI. COS. PROCOS.

INCENDIO. CONSUMPTAM. RESTITVERVNT.

De Circo Flaminio: & de ædibus sacris, Neptuni, Vulcani,  
Herculis, Iouis Statoris, & Castoris.  
Cap. IX.

**A** Templo Martis non longe, dextrorsum, Circi Flaminij extant uestigia: inter turrim, quæ nunc de le Melangole nuncupatur, & uiam ad Apothecas obscuras appellatã. De huius circi loco uariæ sunt opiniones: tamen ex Asconio, in hoc ipso loco fuisse, conijcimus. Eius sunt hæc uerba . Omnia sunt manifesta, sed tamen ne erretis, quod ipsi temporibus ædes Apollinis in Palatio fuit nobilissima, ad monendi estis, non hanc à Cicerone significari: quam post mortem Ciceronis multis annis imperator Caesar, quem nunc D. Augustum dicimus, post ætiacam uictoriam fecerit: sed illam demonstrari, quæ est extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium, & circum Flaminium. In hunc circum consulandi gratia ex proximo Capitolio sæpe Senatum descendisse ostendit Lilius, his uerbis. Itaque inde cõsules, ne criminationi locus esset, in prata Flaminia, ubi nunc ædes Apollinis est, aduocauere Senatum: & alibi . Actum de imperio Marcelli in circo Flaminio. Cic. ad Atticum. Fusus in concionem produxit Pompeium: res agebatur in circo Flaminio . Circus Flaminius, inquit Varro, dicitur, qui ædificatus est circum Flaminium campum: quod ibi quoque ludis tauricis equi circum metas currunt . Sex. uero Pom. à Flaminio Consule apud lacum Transumenum ab Annibale interfecto: denominationẽ cœpisse refert. Plutarchus uero in probl. de huius nominis etymologia dubitare uidetur. Quid est, inquit, quod circus Flaminius dictus est? an quod Flaminius quidam priscus cum ciuitati agrum reliquisset, equestribus ludis eius fructu, & uectigalibus utebantur? Nam cum pecunia suppetere uia quoque Flaminiam munierunt L. autem Florus scribit, M. Claudium Marcellum circum hunc extruxisse. Cui autem usui esset, supra ex Varrone, & Lilio cognoscitur: & ex eo quod alibi ait, ipso inundato ludos apollinares extra portam Collinam portatos esse. Fuit hic Circus multis statuis, & templis insignis, ut ostendit Plin. his uerbis.

Sed maxima dignatione Cn. Domitij Delubro in circo Flaminio Neptunus ipse, & Thetis, atque Achilles, Nereides supra delphinos, & Cete, & Hippocampus sedentes. Item Tritones, Chorùsque Phorci, & pristes, ac multa alia marina, Scopæ manu omnia. Quod delubrum Neptuni fuisse, hoc epi-  
thaphium ostendere uidetur.

ABASCANTO AVG. LIB. AEDITVO AEDIS  
NEPTVNI QVAE EST IN CIRCO FLAMINI  
FLAVIVS ASCANIVS ET PALLANS  
CAES. N. SER. ADIVTOR A RATIONIB.

PATRI PISSIMO FEC.

In eodem circo fuit Aedes Vulcani: in qua pro ædituis canes fuisse fabulantur, sacrilegis tantū allas-  
trantes. Hercules Custodis ædes erat in aditu eiusdem circi, ubi nunc D. Luciae est templum: propterea  
Ovidius custodem Circi ipsum Herculem sic appellat.

Altera pars circi custode sub hercule tuta est,

Quod deus euboico carmine munus habet.

Quamquam de circo Maximo hoc loco intelligi potest. Decoratus erat hic circus altera æde Herculis  
Musarum appellata, quod illi cum Musis esset communis: à Fulvio Nobiliori ex pecunia censoria ædifi-  
cata: ea ratione, quod in Græcia acceperat, Herculem Musagetem esse, idest comitem, ducemque Mus-  
sarum. Idemque primus nouem signa, hoc est omnium Camænarum simulacra, ex Ambraciensi oppido  
translata, sub tutela fortissimi numinis consecrauit: quia mutuis operibus, & præmijs ornari, iuuarique  
deberent, Musarum quies, defensione Herculis: & uirtus Herculis, uoce Musarum: auctor Eumenius.  
In ea æde eundem M. Fulvium fastos, quos scripserat posuisse, testatur Macrobius. Hanc autem ædem Mar-  
tium Philippum Augusti uiricum restituisse, ex uerbis Suetonii intelligo: siquidem Eumenius uera di-  
xit: uerba Suetonii hæc sunt. Augustus & cæteros principes uiros sæpe hortatus est, ut pro facultate  
quis monumentis uel nouis, uel restructis, & exculis urbem adornarent: multa que à multis extructa sunt:  
sicut à Martio Philippo ædes Herculis musarum: à L. Cornificio ædes Dianæ. In eodem circo Macro-  
bius ait Iouis Statoris fuisse Delubrum. Plin. ibi Aram Neptuni stetisse, eamque olim sudore manasse,  
Templumque Bruii Callaici: in quo erat colossus Martis: præterea Venerem nudam illam Gnidiam  
antecedentem fuisse scribit: & Castoris ædem, Vitruuius, cuius uerba apposui. Item generibus alijs cõ-  
stituuntur ædes ex iisdem symetrijs ordinatæ, & alio genere dispositiones habentes: uti est Castoris in  
circo Flaminio: & inter duos lucos Veionis.

De Porticu Octauij: & de Theatro, Domo, Curia, & Porticu Pompei  
ac de Veneris Victricis templo.

Cap. X.

**O**ctauiae Porticus duæ fuere: quarum alteram theatro Marcelli propiore Oetavia soror Augusti  
fecit, de qua libro tertio locuti sumus: alteram theatro Pompei proximam Cn. Octavius, Cn. fis-  
lius, qui fuit Aedilis, Prætor, Cos. & Xuir. S. F. triumphauitque de rege Perse: quam combustam Cæs.  
Augustus reficiendam curauit, auctor est Sex. Pom. De hac Plin. mentionem sic facit. Prisci limina, ac  
etiam ualuas ex ære in tēplis factitæ aure. Inuenio & à Cn. Octauio, qui de Perseo rege triumphū egit,  
factam Porticum duplicem ad circum Flaminium, quæ Corinthia sit appellata, à capitulis æreis co-  
lumnarum. Quod autem Plin. dicit, hanc fuisse ad circum Flaminium: Sex. uero Pom. Pōpei theatro pō-  
ximam, non propterea dissentiunt: quia inter utrunque furat posita: & ut arbitror, eo in loco, ubi nunc  
est ædes D. Nicolai in Chalcaria. Quod cognomen ab eisdem capitulis æreis obrinuisse uidetur: nam  
χαλκός æs dicitur. Theatri Pompei uestigia extant ad campum nunc Floreum nuncupatum. De quo  
Cor. Tac. sic inquit. Cn. quoque Pōpeiū accusatū à seniorib⁹ ferunt, quod mansurā theatri sedē posuisset.

Nam

Nam antea subitarijs gradibus scena in tempus structa. Sed consultum parsimoniae, quod perpetua theatri sedes locata sit, potius quam immenso sumptu per singulos annos consurgeret, ac strueretur. In hunc sensum Ausonii sunt haec carmina.

Aedilis olim scenam tabulatam dabat,  
Subito excitatam, nulla mole saxea.  
Murena sic, & Gallius (nota loquar)  
Postquam potentes, nec uerentes sumptuum  
Nomen perenne crediderunt, si semel  
Constructa moles saxeo fundamine  
In omne tempus conderet ludis locum,  
Cuneata creuit haec theatri immanitas.  
Pompeius hanc, & Balbus, & Caesar dedit  
Octavianus, concertantes sumptibus.

Theatrum autem hoc Caligulam absoluisse, cum fortuito incendio consumptum se extructurum pollicitus esset Tiberius, scribit Suet. eius uerba apposui. Opera sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti, theatrumque Pompei absoluit. Nero autem in unum diem hoc operuit auro: quod Tyridati regi Armeniae ostenderat: ut Plin. est auctor. Longo tempore post Theodoricus Ostrogothorum rex disturbatum instaurauit: sicuti Cassiodori haec uerba ad Senatum scripta indicant. Et ideo theatri fabricam se mole soluente consilio uesiro credimus esse roborandam, ut quod ab auctoribus nostris in ornatum patriae constat esse concessum, non uideatur sub melioribus posteris immunitum. Quid non soluas senectus? quae tam robusta quassasti. Montes facilius cadere putarentur, quam soliditas illa, qua tenetur: quando moles ipsa sic cuncta cautibus fuit, ut praeter artem additam, & ipsa quoque naturalis esse credatur. Hoc potuissimus fortasse negligere, si nos contigisset talia non uidere. Visuntur adhuc saxa tam artificiosae, accurataeque compacta, ut in uno tantum tota moles excissa uideatur. Capiebat autem loca XL milia, ut asserit Plin. Veneris Victricis aedem in eo fuisse, scribit Porphy. & Plut. Et nos anno M DXXV. post aedem D. Mariae cognomento in Cripta, uidimus effodi marmor cum inscriptione. VENERIS VICTRICIS. In dedicatione huius aedis Pompei alio consulatu pugnauisse in circo. XX. uel ut quidam tradunt. XVII. elephantes, idem Plin. est auctor. Ante theatrum fuit ipsius Pompei Curia, ut ait Appianus, cum Atrio, & Porticu. Pompeius ipse, inquit Plut. usque ad tertium triumphum modice, atque incoposue habitauit. Pulchrum deinde theatrum longe a Romanis diffinatum cumstruxisset, splendidiorem domum, ueluti theatro appendicem, aedificauit. Curia ea fuit, in qua C. Caesarum occisum esse, commemorat Suet. Locus nunc Satrium pro Atrium dicitur. De porticu autem Ouidius sic meminit.

Tu modo pompeia lentus spatiare sub umbra,

Dum sol herculei terga leonis adit.

In porticu Antiphilus pinxit Cadnum, & Europen: Pausias uero bouum immolationem. At Nicetas Atheniensis fecit Alexandrum, & Calypso. Templum autem Fortunae Equestris ad theatrum Lapideum fuisse, ait Vitruuius. Verum de quo intelligat dubitari solet: mihi tamen probabile uidetur, de hoc theatro Pompei intelligere: quem omnium primum, theatrum mansurum excitauisse, ex Cor. Tac. sententia modo diximus. Eoque, quod non prius lapideum theatrum Romae uisum fuisset, Lapidei cognomentum inditum est. De hoc autem templo Linius fortasse intellexit, cum ait. Q. Ful. Flaccus censor aedem Fortunae Equestris uouerat. Faciebat enixum studio, ne ullum Romae amplius, aut magnificentius templum esset, magni ornamentum se templo ratus adiecturum, si tegula marmoreae essent. Profectus in Brutios lunonis Lacinae ad partem dimidiam detegit: id satis fore ratus ad te gendum, quod aedificaretur. Iuxta hoc theatrum Tiberio Caesari Arcum marmoreum a senatu decretum, sed omissum, peregit D. Claudius, auctor Suet. Colossum Iouis XXX cubitorum a Caesare dictum fuisse in campo Maruo, & a uicinitate dicti theatri Pompeianum uocatum, Plin. asserit. Campus autem, quem hodie Floreum dicunt, a Flora a Pompeio adamata denominationem accepisse uidetur.

k




De Thermis Agrippæ: Templo Boni Euentus: & de  
Pantheo, eiusque Porticu.  
Cap. XI.

**I**nter Cæsarij porticum, & Pantheum extant uestigia Thermarum M. Agrippæ. De quibus Plin. ita scribit. M. Agrippa rusticitati, quàm delitjs propior, unicuique felicitatis exemplum multa, & egregia in urbe perfecit opera, Augusto eius socero imperante. Idem thermas de suo nomine excitauit: has lithostrato, & encausto pinxit: arcus, & pauimenta ex uittro posuit. Et rursus inquit. Lithostrata, & pauimenta coepit iam sub Sylla paruulis certe crustis: extatque hodie, quod in Fortunæ delubro Prænesie fecit. Pulsa deinde ex humo pauimenta in cameras transiuerunt ut pronum uitium: & hoc certe inuentum ab Agrippa in thermis, quas Romæ fecit. Figlinum opus encausto pinxit: reliqua albasria adornauit: non dubie uitreas facturum cameras, si prius inuentum fuisset. Prope has thermas, atque à tergo Panthei, Templi Boni Euentus uestigia adhuc cernuntur. Colebatur autem Euentus ut omnia prospere, felicitèque euenirent: cuius Simulacrum erat habitu pauperis, dextera manu pateram: sinistra uero tenens spicam. Templum autem Panthei cum porticu integrum fermè stat, licet sit statuis, aliisque ornamentis spoliatum. Cuius auctor fuit M. Agrippa, ut testatur idem Plin. libro trigesimo sexto, his uerbis. Templum Pacis D. Vespasiani imp. Augusti pulcherrima operum, quæ unquam: Pantheon Ioui Vltori ab Agrippa factum. Pantheum Agrippa appellauit: quod, post Iouem, omnibus dijs consecrauit. Dion uero, siue quod Matri deum, atque omnibus dijs sacer esset, siue quod mundi formam haberet, Pantheon appellatum tradit. Mundi formam habere ait, hoc est circularè. Huius altitudo pedibus CXLIII. perficitur, & totidem latitudo. Testudo ne nimio pondere grauaretur, uacui per ambitum relictæ sunt specus, & in summo emisphærio medium lumen, sub eoque medio impluuium disposita foramina ad imbres excipiendos. Pauimentum uarijs est marmoribus stratum. Valuæ ex ære corinthio. In huius pronao olim fuere Augusti, & ipsius Agrippæ simulacra. Aditum unum tantum habet. Nam omne templum, Varrone teste, debet esse continuo septum, nec plus quam unum introitum habere. In ipsum per tot gradus olim erat ascensus, per quot nunc descenditur. De columnis huius templi Plin. ita meminit: Syracusana sunt in Pantheo capita columnarum à M. Agrippa posita. Et alibi: Agrippæ Pantheon decorauit Diogenes atheniensis: & Caryatides in columnis templi eius probantur inter pauca operum, sicut in fastigio posita signa, sed propter altitudinem loci minus celebrata. Idem commemorat, fuisse in hoc templo Herculem humi stantem: ad quem Pæni omnibus annis humana sacrificarent uisctima: & Mineruam ex ebo, opus Phidiæ. Cur autem Hercules humi staret ratio est. Quia, ut præcipit Vitruuius, statuæ Ioui, omnibusque cælestibus quàm excelsissimæ erant cõstituendæ: reliquis uero, ut Vestæ, Terræ, Marique humiles: tanquam dijs terrestribus, sicut & Hercules fuit. Insuper in eodem Pantheo fuit Statua Veneris, è cuius auribus pendeat unio Cleopatæ, pars dimidia unius cenæ: hic unio ceteris Sextertijs aestimatus fuit, id est aureis ducetis quinquaginta millibus nostratibus. Hoc Pantheon templum, ut scribit Spartianus, incendio deformatum instaurauit Hadrianus. Mox Antoninus, ut Iulius Capitolinus sic testatur. Opera eius extant, templum Hadriani honori patris dicatum, instauratum amphitheatrum, Sepulcrum Hadriani, Templum Agrippæ. Huius templi interiorem tantum orthographiam, tanquam utiliore, subieciimus. Porticum autem idem Agrippa templo addidit: Cuius tectum XVI. olim ingentibus columnis sustentabatur: nunc uero XIII: nam deest una, & duæ incendio corruptæ uidentur. Eadem porticus æneis trabibus auro superfusus fulcitur. Ante aditum in corona porticus agnitiones sunt sitæ, quæ sequuntur.

M. AGRIPPA L. F. COS. TERTIVM FECIT


*Sequentes, quæ in duabus epistylis fascijs sunt, quæq; minoribus literis cōstant, instauratores ostendūt.*  
 IMP. CAES. L. SEPTIMIUS SEVERVS. PIVS. PERTINAX. ARABICVS. ADIABENICVS. =  
 PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET  
 IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. =  
 PROCOS. PANTHEVM. VETVSTATE. CORRVTVM. CVM. OMNI. CVLTV. =  
 RESTITVERVNT





M. AGRIPPA L. F. COS. TERTIVM FECIT

*Sequentes, quæ in duabus epistylis fascijs sunt, quæq; minoribus literis cōstant, instauratores ostendūtur.*  
 IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. ARABICVS. ADIABENICVS. =  
 PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET  
 IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. =  
 PROCOS. PANTHEVM. VETVSTATE. CORRVP TVM. CVM. OMNI. CVLTV. =  
 RESTITVERVNT



k y

De Thermis Neronis, & Alexandri, & de Circo qui nunc Agon dicitur.  
 Templo Neptuni: Ara Ditis: & de Caprea palude.  
 Cap. XVI.

**T**hermarum Neronis extant fornices quidam post D. Eustachij nunc ædem. De his Suet. sic meminit. Nero dedicatis thermis, atque Gymnasio senatui quoque, & equiti oleum præbuit. Has Alexandrinas suo tempore appellatas esse, scribit Eutropius. Cuius denominationis ratio, si uera est, ea uideri posset, quòd ab Alexandro fuerint instauratæ. Sed cum Lampridius dicat, hunc excitauisse thermas iuxta eas, quæ Neronis fuerant, aperte ostendit Alexandrinas à Neronianis, & loco, & nomine differre. Lampridij uerba hæc sunt. Thermas sui nominis fecit iuxta eas, quæ Neronianæ fuerant, aqua inducta, nunc Alexandrina quæ dicitur. Nemus de priuatis suis ædibus, quas emerat, diruptis ædificijs, fecit. Pulcherrimum fere omnium arium uectigal instituit. Ex eoque iussit thermas, quas ipse fundauerat, & superiores populi usui exhiberi. Syluas & in thermis publicis deputauit. In domibus autem adiacentibus thermis Neronis, uersus septentrionem uidi antiqua pauimenta, & fistiulas plumbeas, puteumque qui nulla ratione exiccari poterat, ut ductum esse existimem illius aquæ, quam Alexandrinam appellat Lampridius. Thermæ Hadriani non longe à Neronianis fuisse, indicat Sex. Rufi urbis descriptio. Sunt qui uelint sitisse ubi nunc D. Aloysij est templum. Sequitur statim campus, qui nunc Agon dicitur: quod nomen inditum est, quia in eo ad IX. diem Ianuarij agonalia Iano sacra celebrarentur, à Numa instituta, ut memoriæ prodidit Antias. Ego uero crediderim ibi non solum agonalia, uerum uarios ludos, uariæque edita spectacula, & communi nomine Agonem denominatū: quo nomine cuiuslibet generis spectacula appellant Græci. Locum hunc eiusdem Alexandri Circum fuisse multi opinantur. Arcum autem triūsphelem non longe ab æde nunc D. Celsi stetit, ex eo multi affirmant, quòd ibi inuentus est lapis marmoreus, in quo incisus erat titulus, qui sequitur.

IMPPP. CAESS. D.D.D.N.N.N. GRATIANVS. VALENTINIANVS. ET THEODOSIVS.  
 PII. FELICES. ET SEMPER. AVGGG. ARCV. AD CONCLVDENDVM. OPVS. CMNE.  
 PORTICVVM. MAXIMARVM. AETERNI. NOMINIS. SVI. PECVNIA. PROPRIA. FIERI  
 ORNARIQVE IVSSERVNT

Templum Neptuni fuisse in ripa Tiberis, eoque in loco ubi nunc est D. Blasij ædes, nonnulli testantur: quòd ibi marmor inuentum huius Dei nomen, & Hadriani, qui templum ipsum resituerat, in sculptum haberet. Terentium locus fuit in campo Martio, sic dictus, quòd ibi Ara Ditis Patris terra occultaretur. Hanc aram Romani bello albano constituerant, atque egesta terra ad XX. pedum altitudinem occultarant, ut omnibus, præterquam ipsis, esset incognita: & licet ludis secularibus aperiretur, tamen illis peractis rursus clauderetur. Capream Paludem in Campo Martio ante urbem fuisse, ait Liuius. Plut. uero locum esse dicit in rheumatibus Tiberis, ad quem unus erat aditus, & propterea tutus: ubi Romulus cum exercitum recenseret sublatus e medio apparere desijt.

De Tiberino Flumine: & de Naualibus.  
 Cap. XIII.

**T**iberini fluminis uaria fuere nomina. Albulæ. n. à colore aquarum est dictus. Nam quòd à poetis interdum cæruleus, interdum flauus dicatur, eius rei ratio est. Quod cum æstiuis caloribus est solito remissior, perspicua sunt aquæ, receperantque in lucem suam imagines nemorum in ripa existentium: quo fit ut cæuleæ uideantur. Vbi uero imbribus excrescit, aquæ creta turbida flauū præ se ferunt colorem. Aliquando uero Rumon est appellatus, quasi ripas ruminans, & exedens. Terentius etiam in aliqua parte urbis obtinuit nomen, quòd ripas tereret. Tybris etiam est nuncupatus. Quia cum Syracusani



cœpissent Atheniensium hostium ingentem numerum, iussere eos muris auctis fossâ intrinsecus facere: quæ flumine admissa repleta, munitiorem reddidit urbem, hæcque fossam per hostium contumeliam factâ Thybrin, quasi ὁ Ἰβρις, uocarunt. Profecti deinde Siculi adhanc Italiæ partem, ubi Roma est, Albulam ad imaginem fossæ Syracusanæ Thybrim denominarunt. Alias autem huius nominis etymologias ab alijs traditas scienter omittimus. Tiberim uero tandem à Tiberino Albanorum rege in eo iunctum appellatum esse commemorat Linius. Quæ autem à Plin. de hoc flumine traduntur, non ab re esse opinamur hic apponere. Tiberis, inquit, antea Thybris appellatus, et prius Albula: è mediâ fere longitudine Apennini finibus Aretinorum profluit, tenuis primo, nec nisi piscinis contritus, emissusque nauigabilis, sicut Tina, et Glanis influentes in eum, nouenorum ita conceptu dierum, si non adiungant imbres. Sed Tiberis propter aspera, et confragosa ne sic quidem, præterquam trabibus uerius, quam ratibus, longe meabilis fertur: per C. L. M. pass. non procul a Tiferno, et Otriculo Heburiam ab Umbria, ac Sabina, mox citra XLII. millia pass. urbis, Veientem agrum à Crustumino, deinde Fiaenatæ: Latiumque à Vaticano dirimens. Sed infra Aretinum Glanim duobus, et quadraginta fluminibus et Elus, præcipuis autem Narce, et Aniene, qui et ipse nauigabilis. Latium includit à tergo: nec minus tamen aquis, ac tot fontibus in urbem perductis, et ideo quamlibet magnari in nauium ex Italo mari capax: rerum in toto orbe nascentium mercator placidissimus. Pluribus propè solus, quam cæteri in omnibus terris amnes, accolitur, nullique fluuiorum minus licet inclusus utrinque lateribus, nec tamen ipse frægnat, quanquam creber ab subitis incrementis, et nusquã magis aquis, quam in ipsa urbe, stagnantibus. Quinimmo uates intelligitur potius, ac monitor auctu semper religiosus uerius, quam sauius. Hæc Plin. Diony. autem ait, huius fluminis latitudinem quatuor iugerum esse: altitudinem uero tantam, ut magnas naues perferre possit: neque pedibus transiri, nisi per pontem. Res stagnantibus autem huius fluminis aquis, cum Palatium uersus, ut diximus, sinum effunderet, Tarquinius Priscus alueum direxit. Longo tempore post M. Agrippa idem fecit, in superque magnis saxorum molibus in utraque ripa locatis, fluminis impetum compressit. Augustus deinde eundem completum olim rudibus, et ædificiorum prolapsionibus coartatum laxauit, ac repurgauit. Aurelianus tandem firmissimo muro ad mare usque exstructo coercuit: cuius operis uestigia multis in locis adhuc cernuntur. In huius fluminis ripa, quæ esset numini sacra, non licebat alicui quidpiam ædificare. Eius autem aluei, et riparum curatores fuisse, uarijs titulis, quos hodie Romæ cernimus, intelligere possumus: quorum unum hic apponimus.

## EX AVCTORITATE

IMP. CAESARIS. DIVI

TRAIANI. PARTHICI. F.

DIVI. NERVAE. NEPOTIS

TRAIANI. HADRIANI

AVG. PONTIF. MX. TRIB.

POTES. V. IMP. III. COS. III

MESSIVS. RVSTICVS. CVRATOR

ALVEI. ET. RIPARVM. TIBERIS. ET

CLOACARVM. VRBIS. R. R. RESTITVIT

SECVNDVM. PRAECEDENTEM

TERMINATIONEM. PROXIM. CIPP.

PED. CXV. S.

Naualia autem fuere prope pontem Sublicium, eaque ab Anco rege extructa esse, asserit Diony. De ijs Linius libro quinto dec. quintæ meminit his uerbis. L. Aemilio Cos. naues, quæ in Tiberi paratæ, instructæque stabant, ut si rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, et in Naualibus colari Senatus iussit.

k. in



## De Ponte Sacro, ac Sublicio. Cap. XIII.

**C**um autem Tiberis aquarum altitudine tantus sit, ut non, nisi per pontes, transiri possit, ad hunc usum plures pontes super ipsum Romæ constructos esse uidemus: de quibus locus postulat ut loquamur. Auspicemur autem ab eo, qui omnium primus posuit. Epicardus .n. prodidit, Herculem occiso Gerione cum uictor per Italiâ armenta duxisset, pontem supra Tiberim ad tempus struxisse: quem pontem Sacrum appellatum esse, ait Dionysius. Fuitque ea parte, qua postea Sublicius: ab Anco rege perpetuo mansurus constructus, licet totus ligneus. Nam sine ferreo clauo, sine fulturis ita dispositus erat conignatione, ut trabes per bella eximerentur, ac reponerentur. Quod quidem sic facere religiosum fuerat, postquam Coclite defendente ægre reuulsus est, auctor Plin. Hunc pontem Sublicium, lapideum deinde Aemilium Lepidum prætorem fecisse, memorant, & ab eo Aemilium pontem, Lepidius denominatum. Vnde Antoninus imp. in itinerario. Post iterum, inquit, unus effectus per pontem Lepidi, qui nunc abusue lapideus dicitur. Hunc tiberinis fluctibus læsum restituit Tiberius. Cor. Tac. refert, Orbonem imperante subita inundatione fuisse disruptum. Quem longo tempore post Antoninum pium restituisse, scribit Iulius Capitolinus. Huius pontis supra Naualia extant uestigia ex magnis, marmoreisque saxis. Neque .n. est cur non credamus, hæc fuisse huius pontis uestigia: quanquam de eius loco uaria traduntur: constat .n. ad Auentini radices stetisse: quod etiam innuit Appianus, his uerbis. Auentinum ascendit Gracchus, mox inde fugiens per pontem ligneum ad alteram fluminis partem euectus est. Sublicius autem dictus est, quia ilex species est quercus, ex qua confici solebat. Vel ut alij à sublicibus lignis: lingua enim uolsca magnæ trabes, ad perpendicularum directæ, sublices uocantur: quales in pontium substructionibus ferè defiguntur: quia pronæ nimio sui pondere minus firmiter iacerent: & ideo Cæsar in pontis supra Rhenum institutione, ait, se tigna posuisse, non sublice modo directæ, sed pronæ.

## De Ponte Senatorum: &amp; Cloaca Max.

## Cap. XV.

**S**upra Pontem Sublicium ad stadium stat pons Senatorum, à Senatoribus: & à Palatino monte propinquo, Palatinus nuncupatus. Nam aucta urbe cum Sublicius non satis esse uideretur, hunc, qui uia Aurelia in maritima, Tusciâque mitteret, addidere. De quo intellexisse creditur Lilius, cum ait, M. Fuluium maioris usus locauisse portum, & pilas ponti in Tiberi. Quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio, & L. Mumius Censs. locauerunt imponendos. Põs. S. Mariæ ægyptiacæ hodie dicitur. Infra hunc pontem ad teli iactum, Cloaca Maxima in Tiberim se se exonerabat, miræ magnitudinis, et firmitatis. De hac Plin. hæc scribit. Sed tunc senes aggeris uastum spatium, & substructiones insanas Capitolij mirabantur. Præterea Cloacas operum omnium dictu maximum suffossis montibus, atque urbe pensili, subterque nauigata à M. Agrippa in ædilitate post consulatum permeatus corruuati septem annes, cursuque præcipiti torrentium modo rapere, atque auferre omnia coacti. Insuper mole imbricis concitati uada, ac latera quatunt: aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus, pugnantque diuersi aquarum impetus intus, & tamen obstita firmitas resistit. Trabuntur moles interne tantæ non succumbentibus causis operum. Pulsant ruinæ sponte præcipientes, aut impactæ incendijs. Quatitur solum terræmotibus: durant tamen à Tarquinio Prisco annis. DCCC. propè inexpugnabiles. Et mox. Amplius dinem cauis eam fecisse proditur, ut uehem fœni large onustam transmitteret. Nos eam dimensu inuenimus esse pedum. XVI. latitudine. Erant & aliæ Cloacæ minores usibus priuatis seruiantes, quæ in hac maximam sordes emittebant: earum uestigia multis in locis adhuc cernuntur. De his Cloacis meminit Lilius, his uerbis. Post incensam urbem à Gallis dum instauraretur, festinatio curam exemit uicos dirigendi, dum omisso sui, alienique discrimine in uacuo ædificant. Ea est causa ut ueteres Cloacæ, primo per publicum ductæ, nunc priuata passim subeant tecta, formæque urbis sit occupata magis,

quàm diuisa similis. In hanc maximam fluebat omnis aqua ex castellis caduca : qua in Tiberim dictæ Jordes deducebatur. Hinc est quòd Lupi pisces (ut refert Macrobius) qui inter hos pontes capiebantur, in maiori erant pretio, tanquam pinguiore: quia sterco, & huiusmodi sordes sectari dicuntur. Ideo Lucilius poeta eum piscem quasiliguritorem, catillionem appellat. Cloaca autem quid sit, ostendit Sex. Pom. Est. n. locus cauus dictus à Cloacando idest inquinando: uel à colando idest fluendo. Fuisse autem & Cloacarum curatores superius ex titulo Hadriani, nunc uero ex altero patris eius ostendimus: q̄ ē hmoi.

EX AVCTORITATE

IMP. CAESARIS DIVI

NERVAE FIL. NERVAE

TRAIANI AVG. GERM

PONTIFICIS MAXIMI

TRIBVNIC POTESTAT V

COS. III. P. P

TI. IVLIVS FEROX CVRATOR

ALVEI ET RIPARVM TIBERIS

ET CLOACARVM VRBIS TER

MINAVIT RIPAM RR PROXIMO

CIPPO PCCCLXXXVLS.

De Insula Tiberina: Templis, Aesculapij, Iouis, & Fauni.

Cap. XVI

**S**Vpra pontem Palatinum ad pas. LXXX. iacet insula Tiberina: cuius origo hæc est. Tarquinio Sueperbo ob Lucretiæ stuprum urbe pulso, Senatus cætera eius bona populo auferenda concessit: sed quod in campo Tiberino (quem ipse Tarquinius seuerat) fuerat frumentum, aliud in areis adhuc iacens, aliud in culmis auferri nemini permisit, uerum ut execrabile iaciendum in flumen esse, decreuit. Quod cum astiuis caloribus esset solito humilior, palea fundo adherentes, limumq; fluctibus aduectum excipientes, insulam hanc paulatim effecere. Opera deinde hominum factum esse opinatur Liuius, ut eius area firma esset etiam ad deorum templa sustinendum. Habet autem hæc insula formam biremis, ut intelligamus, partem superiorē proram, inferiorem uero puppim esse. Longitudo eius stadys paulo minus duobus perficitur: latitudo uero pas. quinquaginta. De hac sunt Ouidij hi uersus.

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis.

Insula nomen habet, laterumque à parte duorum

Porrigit aequales media tellure lacertos.

Tota erat Aesculapio sacra, propter eius simulacrum ex Epidaurio in eam aduectum, ut refert Liuius.

De eo Plin. ē sic meminit. Atqui anguis Aesculapius Romam aduectus est, uulgoque pascitur, et in dormibus. Vnde forma nauis, qua simulacrum aduectum dicitur, non modo insulae est data: uerum memoria eius rei, causa nauis etiam ex lapide thasio sculpta in eiusdem insulae puppi collocata fuit: quæ etiam hodie uisitur, & in altero eius latere serpentis simulacrum. Aedes eiusdem Dei posita erat ubi nunc D. Bartholomei est templum. De qua Sex. Pom. sic meminit. In insula Aesculapio facta fuit ædes, quòd ægroti à medicis aqua maxime sustententur. Eiusdem esse tutelæ draconem aiunt, quod uigilantissimum sit animal: quæ res ad tuendam ualeitudinem ægroti maxima est. Canes adhibentur eius templo, quia is uerbis canis sit nutritus. Bacillum habet nodosum, quod difficultatem significat artis. Laurea coronatur, quòd ea arbor plurimorum sit remediorum. Huic Gallinæ immolabantur. Aliqui uero uolunt, ædem hanc in insula fuisse constitutam, quòd fluxu, & motu aquarum aer sit salubrior: alioquin extra urbem collocari solebat: quod Plin. etiam affirmat, his uerbis. Ideo Romani templum Aesculapij, etiam cum



reciperetur is deus, extra urbem fecisse: iterumque in insula traduntur. Hoc templum Lucretium Præ-  
torem tabulis pictis ex præda exornauisse, commemorat Liuius tertio dec. quinta. Prope ipsum fuit  
Nosocomion, ubi ægroti curabatur. Quo in loco cum quidam ægra, & affecta mancipia tedio medæ-  
di exposuissent, Claudius imp. liberos esse sanxit. Ad Aesculapij autem fuisse Iouis Templum docent  
Ouidij hæc carmina.

Quod tamen ex ipsis licuit mihi dicere fastis

Sacrauere patres hæc duo templa die.

Accepit phoebo, nymphæque Coronide natum

Insula, diuidua quam premit amnis aqua.

Iupiter in parte est, cœpit locus unus utrunq:

Iunctæque sunt magno templa ne potis auro.

Hoc autem Iouis templum C. Seruilius duumuir dedicauit, uotum sex annis antea Gallico bello à L. Fur-  
io Purpurione Prætoris, & ab eodem Cos. locatū. Quod eo in loco fuisse nonnulli opinantur, ubi nunc  
D. Ioannis Baptistæ est ædes. Habuit præterea hæc insula in prora Fauni Aedem: cuius uestigia quædā  
adhuc cernuntur. Huius Vitruuius sic meminit. Prostyli exemplar est in insula Tiberina, in æde Iouis,  
& Fauni: & Ouidius.

Idibus a gressis simant altaria fauni,

Hic, ubi discretas insula rumpit aquas.


Liuius autem ait, Cn. Domitium Aenobarbum, & Cn. Scriboniū ædiles multos pecuarios ad populi iue-  
ditium adduxisse, treisque ex his damnatos esse: & ex eorum multatitia pecunia hanc ædem in insula  
fecisse. In eadem insula fuit Statua D. Iulij, quæ sereno, & inmoto die ab occidente in orientem conuersa  
est: sicuti Cor. Tac. & Suetonius testantur.

De Pontibus, Fabricio, Cestio, & Aurelio.

Cap. XVII.

**I**nsulam autem urbi coniungit pons Fabricius dictus, à L. Fabricio: qui eum faciendum curauit, ut ti-  
tulus in arcibus pontis sculptus significat. Qui licet in utroque fornice sit, tamen in altero tantum  
nomina Coss. qui id opus probauere, his uerbis subiecta sunt.

Q. LEPIDVS M. F. M. LOLLIVS. M. F. COSS. S. C. PROBAVERVNT



reciperetur is deus, extra urbem fecisse: iterumque in insula traduntur. Hoc templum Lucretium Præ-  
torem tabulis pictis ex præda exornavisse, commemorat Livius tertio dec. quintæ. Prope ipsum fuit  
Nosocomion, ubi ægroti curabatur. Quo in loco cum quidam ægra, & affecta mancipia redio medes  
di exposuissent, Claudius imp. liberos esse sanxit. Ad Aesculapij autem fuisse Iovis Templum docent  
Ovidij hæc carmina.

Quod tamen ex ipsis licuit mihi dicere fastis

Sacrare patres hæc duo templa die.

Accepit phoebo, nymphæque Coronide natum

Insula, diuidua quam premit amnis aqua.

Iupiter in parte est, cœpit locus unus utrunq;

Iunctæque sunt magno templa nepotis avo.

Hoc autem Iovis templum C. Servilius duumvir dedicavit, notum sex annis antea Gallico bello à L. Fur-  
io Purpurione Præto, & ab eodem Cos. locatū. Quod eo in loco fuisse nonnulli opinantur, ubi nunc  
D. Ioannis Baptista est ædes. Habuit præterea hæc insula in prora Fauni Aedem: cuius vestigia quædā  
adhuc cernuntur. Huius Vitruvius sic meminit. Prostyli exemplar est in insula Tiberina, in æde Iovis,  
& Fauni: & Ovidius.

Idibus agrestis simant altaria fauni,

Hic, ubi discretas insula rumpit aquas.


Livius autem ait, Cn. Domitium Aenobarbum, & Cn. Scriboniū ædiles multos pecuarios ad populi ius-  
ditium adduxisse, tresque ex his damnatos esse: & ex eorum multatitia pecunia hanc ædem in insula  
fecisse. In eadem insula fuit Statua D. Iulij, quæ sereno, & immoto die ab occidente in orientem conver-  
sa est: sicuti Cor. Tac. & Suetonius testantur.

De Pontibus, Fabricio, Cestio, & Aurelio.

Cap. XVII.

Insulam autem urbi coniungit pons Fabricius dictus, à L. Fabricio: qui eum faciendum curavit, ut ti-  
tulus in arcubus pontis sculptus significat. Qui licet in utroque fornice sit, tamen in altero tantum  
nomina Coss. qui id opus probauere, his verbis subiecta sunt.

Q. LEPIDVS M. F. M. LOLLIVS. M. F. COSS. S. C. PROBAVERVNT





De hoc ponte Horatius ita meminit .

Atq; à Fabricio non tristem ponte reuerti.

Hodie pons quatuor capitum dicitur, à quatuor siue lani, siue Termini simulacris quadristrōibus in aditu pontis à sinistra collocatis. Qui uero pons eandem insulam laniculo conecit, Cuius olim, nunc uero pons S. Bartholomei nūcupatur: in quo hinc inde tabulæ marmoreæ sunt, cōtinentes titulos, qui sequūt.

DOMINI NOSTRI IMPERATORES CAESARES .

FL. VALENTINIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR. AC TRIVMF. SEMPER. AVG. =  
PONTIF. MAXIMVS.

GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. =  
VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. ET

FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXI.  
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. =  
VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. ET

FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. =  
MAXIMVS.

GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. =  
III. IMP. II. CONS. PRIMVM P. P. P.

PONTEM FELICIS NOMINIS GRATIANI IN VSVM SENATVS AC POPVLI =  
ROM. CONSTITVI DEDICARIQVE IVSSERVNT

Vltimus pons intra urbem antiquam à proximo laniculo laniculensis nomen obtinuit . Tradunt autem Antoninum Pium hunc marmoreum fecisse , & ciuilibus bellis demoli:um pontem ruptum uocitatum. Xystus pont. III. nostris temporibus eum restituit, à quo nomen hodie obtinet.

De Pontibus, Triumphali, Hælio, & Miluio.

Cap. XVIII.

Pontis autem Triumphalis pilæ in Tiberi adhuc cernuntur eregione hospitalis. S. Spiritus. Triumphalis est nuncupatus, quod per ipsum triumphantes transirent. Sequitur supra hunc ad reli iactum Pons nunc. S. Angeli dictus, olim uero Hælius: ab Hælio Hadriano; qui eum prope sui sepulcri molem excitauit. Spartianus, Fecit, inquit, & sui nominis pontem, & sepulcrum iuxta Tiberim. Quem pontem nulla alia de causa posuisse arbitramur, quam ut per ipsam transeuntes propius dictam molem spectarent, cum Triumphalis publico usui satisfacere uideretur. Miluūis pons, quem nunc Molem uulgus uocitat, in uia Flaminia situs, plus minus duobus millibus pas. distat ab urbe Ferūt autem hunc sæpius euersum, sæpiusque instauratū nihil ex ueteri structura, præter fundamenta, retinere . De hoc pōte meminit Plin. de uiris illustribus, & Ammianus. Is. n. ait, à M. Scauro, qui fuit tēpore Syllæ, in cēsura extructum.

De Transiberina regione: & de Templis, Rauenatium, & Fortis Fortunæ :

ac de Thermis Seueri, & Aureliani: Naumachia, & Hortis Cæsaris:

hec non de Aqua Alsietina: Pratiq; Mutj.

Cap. XIX.

Transiberina regio priscis temporibus laniculi etiam nomen accepit, à monte eiusdem nominis sibi eminenti . Rauenatium etiam urbem nominatam inuenio . Nam Augustus uictoria contra Antonium , & Cleopatram potitus binam instituit classem : unam apud Mesenium Lucaniæ portum: alteram uero apud Rauenam . Cūmq; Senatui esset cura ut nulla Romam frequentaret multitudo , cui non esset habitandi locus publice assignatus : militibus rauenatis classis hæc regio fuit assignata, que

exinde Rauenatium urbs cœpit appellari. Quo nomine appellatum est tēplum, & Meritoria taberna: quam ubi nunc est ædes D. Mariæ fuisse legimus. Ex quo templo Augusti tempore fons olei ex terra exundauit, ac per totum diem largissimo riuo fluxit, significans ex gentibus gratiam Christi, ut scribit Eutropius. Sed hæc regio propter pestiferos austros a uilissimis, sordidâsque artes exercentibus habitabatur: unde pauca memoratu digna continet. Tamen Spartianus in ea Seuerum imp. Thermas sui nominis: & Vopiscus Aurelium Thermas hyemales fecisse, tradunt. Harum uestigia ea esse uolunt, quæ sunt inter D. Francisci ædem, & menia urbis, in campo nunc Iudeorum. Suetonius uero ait Cæsarem Hortos circa Tiberim habuisse: qui haud procul à dicto campo erant: & in iis Fortis Fortunæ Templum, Tiberij tempore dicatum. Sunt qui uelint, eundem Cæsarem Naumachiam instituisse sub menibus urbis, eregione nunc S. Cosmati: ubi, prope uiam quæ ad portam Aureliam ducit, inueniuntur inscriptiones.

SILVANO

SANCTO. SACRO

LARVM. CAESARIS

N ET COLLEGI.

MAGNI. CN. TVRPILIUS

TROPHIMVS VOTO

SVCCEPTO. ARAM

DE SVO. D. D.

Aliuero eam Naumachiam Augusto attribuunt, propter uerba Frontini, quæ sequuntur. Quæ ratio mouerit Augustum providentissimū principem producendi Alsietinam aquā, quæ uocatur Augusta, nō satis perspicio nullius gratiæ, immo parum salubrem, & nusquam in usus populi fluentem. Nisi forte cum opus Naumachiæ aggrederetur, ne quid salubrioribus aquis detraheret, hanc proprio opere perduxit: & quod Naumachiæ coeperat superesse hortis subiacentibus, & priuatorum uisibus ad irrigandū concessit. Solet tamen ea ex Transiberina regione, quoties pontes reficiuntur, & à citeriore ripa aquæ cessant, in subsidium publicarum salientium dari. Cœcipiebatur hæc aqua ex lacu Alsietino uia Claudia, à milliario XIII. diuerticulo dextrorsus passuum VI millium D. Ductus eius efficiebat longitudinem passuum XXII M. CLXXII. Conceptionis modus in cōmentarijs non erat ascriptus. Quantum Aquarij temperauerant habebat non plus quinaris II millibus. At quinarie CCCCXCII extra urbē consumebantur. Nomine Cæsaris quinarie CCCLIII. Dabatur priuatis quinarie CXXXVIII. Huius autem aquæ uisus in eadem Naumachia ductus eleuatus pedes ferè tres, mox occultatur, & subterraneo meatu aquam ipsam ad arcē D. Mariæ transiberinæ deducit: ubi è fonte emersa publico, priuatoq; usui deseruit. Hanc aquā Hadrianum primū Pont. restituisse aiunt. Prata autē Mutia fuerē ad Naualia. Diony. Murium autem mori eligentem pro patria regionem transiberim donauere de publico: qui locus prata Mutia usque ad hanc ætatem uocantur. Albiona ager in eadem regione dicebatur. ab albiolarum luco, quo in loco bos alba immolabatur, auc. Sex. Pom. Idemq; ait, Ludos Piscatorios in ripa Tiberis ad Naualia olim celebratos esse.

De Sepulcro Numæ, & Cecilij Poetæ: Tribunali Aurelio: Monte Ianiculo:

& de Hortis cuiusdam Mar.

Cap. XX.

**N**uma rex sub Ianiculo sepultus est, inquit Salinus. Diony. Iacet autem Numa in Ianiculo transiberim. Et Cassius Hemina quarto annalium memoriæ prodidit, Cn. Terentium Scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem offendisse arcam, in qua Numa suus fuisset, in eademque libros eius repertos ex cartha. P. Cor. L. filio Cethego. M. Bebido. Quisilio Phamphilo. Coss. ad quos & Agno Numæ

colliguntur anni D.XXX. Liuius multa de sepulcro Numæ, eiûsque libris tradit: sed à dicto Cassio Hemina in aliquibus dissentit. Tribunal Aurelium in eadem fuisse regione opinamur: & ab eo uiam eiusdem cognominis principium habuisse. De hoc tribunali Cic. mentionem facit, cùm dicit, se homines in Tribunali Aurelio palam conscribi, centuriarique uidisse. Ianiculus autem mons dictus quòd Ianus, uel ibi sit sepultus, uel habitauerit. Qui participata potentia cum Cameſe indigena Italiam ita obtinuit, ut regio Cameſene, oppidum Ianiculum uocaretur, auctor Macrobius. Sex. uero Pom. scribit, Ianiculum dictum, quòd per eum Populus Romanus primitus transierit in agrum Hetruscorum, & ab eo transitu Ianiculum dictum. Ianus. n. transitus uocatur. In hoc Ianiculo Hortos habuit Martialis quidam: quos Mar. epigrammaticus carmine celebrauit, eòsque in longo Ianiculi iugo fuisse tradit. Quos per lapsum ad eius radices in urbis figura collocauimus. Eusebius autem tradit, Cæcilium Statium poetam in eodem Ianiculo sepultum esse.

De Monte, & Campo Vaticano: Templis, Apollinis, & Martis: & de  
Naumachia, Circo, & hortis Neronis: ac Obelisco, qui  
est in eodem circi loco.  
Cap. XXI.

**E**Xpositis ijs, quæ ad Ianiculum pertinere uidebantur, in Vaticanum montem, & Campum tranſeamus. Vaticanum autem etymologiam uariam esse inuenio. Gellius enim scribit, agrum Vaticanum, & eiusdem agri Deum præsidem appellatum à uaticinijs: quæ ui, & instinctu eius dei in eo agro fieri solita essent. Varro autem in libris diuinarum aliam etymologiam sic ponit. Nā sicut Aius, inquit, deus, Aræque statua, quæ est in infima Noua uia: quòd eo in loco diuinitus uox edita erat, ita Vaticanus deus nominatus penes quem essent uocis humanæ initia. Quoniam pueri simulatque parti sunt, eam primam uocē edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est. Sex. uero Pom. uult, Collem hunc Vaticanum nuncupatum, quòd pulis Hetruscis eo potitus sit populus Romanus uatum responsis. In hoc monte uetustissimam fuisse Ilicem, auct. est Plin. qui sic inquit. Vetustior urbe in Vaticano Ilex, in qua titulus æreis literis Hetruscis religione arborem iam tunc dignam fuisse significat. Ad eundem montem Apollinis Templum fuisse, ubi nunc sacellum D. Petronillæ: Martis uero, ubi D. Mariæ de febribus, in uia olim Triumphali, quidam tradidere: sed auctorem idoneum non adducunt. Iulium Paulum poetam prædolum in Vaticano possedisse, memorat Gellius. Cor. uero Tac. ait, Neronem clausisse in ualle Vaticanæ spatium, in quo equos regeret, atque permixtum plebi circensē ludicrum habitu aurigæ edidisse, obruliscque Hortos suos ad uaria in Christianos tormentorum genera. Et quia Plin. Obeliscum Vaticanum in Neronis circo stare scribit, arbitrantur nonnulli non tantum Circum ipsum, sed & nauale stagnum eo in loco secus montem, qua ad portam itur nunc Pertusam appellatam: Hortosque eius à clausura circi ad Tiberim fuisse. Hic Obeliscus, qui ex omnibus solus erectus uisitur, apud D. Petri ædem in uia triumphali positus est, in eiûsque uertice pila auro superfusa: habetque in anteriori parte titulum inscriptum, eundemque in posteriori, quem subiici.

DIVO. CAESARI. DIVI. IULII. F. AVGVSTO  
TI. CAESARI. DIVI. AVGVSTI. F. AVGVSTO  
SACRVM

Huius autem meminit Plin. his uerbis. Tertius Obeliscus Romæ in Vaticano Caij, & Neronis principum Circo, ex omnibus unus omnino fractus est in molitione: quem fecerat Sesostridis filius Nūcoreus. Eiusdem remanet & alius centum cubitorum, quem post cæcitatem uisu reddito ex oraculo Soli sacrauit. Idem, ubi de arborum magnitudine tractat, sic inquit. Abies admirationis præcipuæ uisa est in nauī, quæ ex Aegypto Caij principis iussu obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorq; truncos lapidis eiusdem ad sustinendum eum adduxit. Quæ naue nihil admirabilius uisam in mari certū est. CXX.M.



modium lentis pro saburra ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus, latere laevo: ibi nanque demersa est à Claudio principe. Arboris eius crassitudo quatuor hominum ulnas complectens tium implebat. Obelisci effigiem hic apposimus, cuius singula latera, qua maxime patent, sunt latitudine pedum nouem. Honorij imp. corpus, auctore Paulo Diacono, iuxta Beati Petri Apostoli Atrium in Mausolæo sepultum est. Huic soboles nulla fuit. Nam duæ Stilichonis filiae idest Maria, & Hermantia, una post alteram ei coniugio sociatæ utraque Dei iudicio inopinata morte præuētæ ex hac luce uirgines migras uere. Mariæ sane corpus in uia Triūphali, ea parte, quæ in sacris ædibus D. Petri sacellum Regis Francorum hodie nuncupatur, conditum fuisse, non dubium est. Nam quo tempore hæc scribebam, cum pilæ fundamenta in ea æde fonderentur, inuenta est marmorea arca, longitudinis ne pedum octonum cum dimidio, latitudine quinum, senūmq; altitudine: in qua conditam eam fuisse, a pertissimis constitit argumentis. In ea arca corpore iam absumpso aliquot tantummodo dentes supererant, capillique, ac tibiaram ossa duo: prætereaque uestis, & pallium: quibus tantum auri fuerat intextum, ut ex ijs combustis auri pondo. XXXVI. collecta sunt. Erat insuper Capsula argentea, longa pedem unum & semissem: latitudine digitorum. XII. in qua uascula multa ex cristallo, nonnullaque ex achate perpulchre elaborata. Item annuli aurei. XL. uarijs gemmis adornati. Erat & smaragdus auro inclusus, in eoque sculptum caput, quod credidum est ipsum Honorium referre. Is quingentis aureis nostratibus æstimatus est. Præterea inaures, monilia aliæque muliebria ornamenta: in quibus bulla, earum quas hodie Agnus dei uocant: per cuius ambitū inscriptū erat. MARIA NOSTRA FLORENTISSIMA. Latmīaq; ex auro, & i ea hæc nomīa. MICHAEL GABRIEL RAPHAEL VRIEL. literis græcis calata. Itē ueluti racemus ex smaragdis, aliisque gemmis cōsertus, & discriminale ex auro longitudine XII. digitorum, inscriptū, hinc. DOMINO NOSTRO HONORIO. hinc. DOMINA NOSTRA MARIA. Ad hæc inerat Sorex ex chelidonio lapillo, cochleæque, & patera ex cristallo: itē pila ex auro, lusoriæ similis: sed quæ in duas partes diuidi poterat. Innumera penē alia inerant gēma, quarum etsi plurimæ uetustatæ corruptæ, nonnullæ tamen recentem, admirandamque pulchritudinem retinebant. In eodem Vaticano uisuntur hodie in Max. Pont. hortis complura simulacra antiqua, eò ex uarijs locis translata: quorum est Nili uarijs generibus animalium, qui in eo nascuntur flumine, circumstantibus. Est & Tiberis simulacrum, cui & lupæ, & ad lupæ ubera Romuli, & Remi signa posita sunt. Sunt præterea Apollinis, Veneris, Cupidinis, Cleopatrar: nec non Laocoontis, de quo supra diximus. Omnia hæc ex candidissimo marmore.

De Aqua Sabatina: & de Sepulcro Scipionis, &  
Hadriani: ac de Pratis Quintijs.


Cap. XXII.

**S**Abatina, inquit Sex. Pom. à lacu Sabate dicta: nunc uero dicitur Anguillariæ lacus: ex quo aqua Romam perducebatur: cuius ductus uestigia

modium lentis pro saburra ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus, latere læuo: ibi nanque demersa est à Claudio principe. Arboris eius crassitudo quatuor hominum ulnas complectens riuum implebat. Obelisci effigiem hic apposuimus, cuius singula latera, qua maxime patent, sunt latitudine pedum nouem. Honorij Imp. corpus, auctore Paulo Diacono, iuxta Beati Petri Apostoli Atrium in Mausolæo sepultum est. Huic soboles nulla fuit. Nam duæ Stilichonis filiae idest Maria, & Hermantia, una post alteram ei coniugio sociata utraqueque Dei iudicio inopinata morte præuicta ex hac luce uirgines migrare uere. Mariæ sane corpus in uia Triūphali, ea parte, qua in sacris aedibus D. Petri sacellum Regis Francorum hodie nuncupatur, conditum fuisse, non dubium est. Nam quo tempore hæc scribebam, cum pilæ fundamenta in ea aede fonderentur, inuenta est marmorea arca, longitudine pedum octonum cum dimidio, latitudine quinum, senumque altitudine: in qua conditam eam fuisse, apertissimis constitit argumentis. In ea arca corpore iam absumpso aliquot tantummodo dentes supererant, capillique, ac tibiaram ossa duo: prætereaque uestis, & pallium: quibus tantum auri fuerat intextum, ut ex his combustis auri pondo. XXXVI. collecta sunt. Erat insuper Capsula argentea, longa pedem unum & semissem: latitudine digitorum. XII. in qua uascula multa ex cristallo, nonnullaque ex achate perpulchre elaborata. Item annuli aurei. XL. uarijs gemmis adornati. Erat & smaragdus auro inclusus, in eoque sculptum caput, quod credi uim est ipsum Honorium referre. Is quingentis aureis nostratibus aestimatus est. Præterea in aures, monilia aliaque muliebria ornamenta: in quibus bulla, earum quas hodie Agnus dei uocant: per cuius ambitum inscriptum erat. MARIA NOSTRA FLORENTISSIMA. Lapidusque ex auro, & in ea hæc nomia. MICHAEL. GABRIEL RAPHAEL VRIEL. literis græcis calata. Itē ueluti racemus ex smaragdis, aliisque gemmis cōsertus, & discriminale ex auro longitudine. XII. digitorum, inscriptum, hinc. DOMINO NOSTRO HONORIO. hinc. DOMINA NOSTRA MARIA. Ad hæc inerant Sorex ex chelidonio lapillo, cochleaque, & patera ex cristallo: itē pila ex auro, lusoria similis: sed quæ in duas partes diuidi poterat. Innumera penè alia inerant gēma, quarum etli plurimæ uetustatæ corruptæ, nonnullæ tamen recentem, admirandamque pulchritudinem retinebant. In eodem Vaticano uisuntur hodie in Max. Pont. hortis complura simulacra antiqua, eò ex uarijs locis translata: quorum est Nili uarijs generibus animalium, qui in eo nascuntur flumine, circumsistentibus. Est & Tiberis simulacrum, cui & lupæ, & ad lupæ ubera Romuli, & Remi signa posita sunt. Sunt præterea Apollinis, Veneris, Cupidinis, Cleopatrarum: nec non Laocoontis, de quo supra diximus. Omnia hæc ex candidissimo marmore.

De Aqua Sabatina: & de Sepulcro Scipionis, &  
Hadriani: ac de Prætijs Quintijs.  
Cap. XXII.

**S**abatina, inquit Sex. Pom. à lacu Sabate dicta: nunc uero dicitur Anguillarum lacus: ex quo aqua Romam perducebatur: cuius ductus nestigia





uestigia quædam extare dicuntur extra portam Pancratianam . Hanc autem Hadrianus primus Pont. restituit: cuius aquæ fons in area D. Petri adhuc manare cernitur. Inter hunc fontem, & Hadriani sepulcrum fuit ingens Meta, cuius fundamenta nonnullis ab hinc annis effodi uidimus . Sunt qui uelint sepiẽ Epulorum fuisse Sepulcrum, uel Scipionis: de quo Acron sic inquit. Deuicta Carthagine uirtute Scipionis Africani, cum Afri aduersus Romanos denuo rebellarent, consulto oraculo, responsum est, ut Sepulcrum Scipionis fieret, quod Carthaginem respiceret: tunc leuati cineres sunt de Pyramide in Vaticano, & humati in sepulcro eius in portu, ut Carthaginem respiceret. Gentile tamen Scipionum Sepulcrum in uia Appia fuisse mox ostendemus. Huius autem pyramidis, & molis Hadriani forma, siue simulacrum uisitur in porta ænea adis D. Petri. Sepulcrum Hadriani iuxta sui nominis pontem posuim esse adhuc uidetur, licet suis ornamentis expoliatum: in quo legitur titulus, qui sequitur .

L. HÆLIO CAES. DIVI HADRIANI

AGV.F.COS.II. F.

Spartianus . Fecit, inquit, & sui nominis sepulcrum iuxta Tiberim. In hoc autem ipse primus omnium sepultus dicitur. Et deinde omnium Antoninorum cineres conditos esse, ostendunt epith. quædam in ipso sepulcro incisa: quæ hic apponere superfluum esse putauimus. Lampridius etiam refert, Commodum iussu Pertinacis in monumentum Hadriani translatum. Iulius uero Capitolinus, Seueri cadaver illatum in Hadriani sepulcrum: in quo & Cæsar pater eius naturalis fuerat sepultus . Idem ait, Antoninum Pium Hadriani patris sepulcrum instaurauisse, eique templum dedicasse. Hanc autem molem describit Procopius his uerbis. Hadriani quondam imp. sepulcrum extra portam Aureliam iactu lapidis imposuim. Præmus eius ambitus quadrati figuram habet. Constat. n. totus ex marmore pario, summa artificum diligentia ædificatus. In medio uero huius quadrati rotunda moles assurgit, excelsa altitudine, & tanta, ut in suprema eius parte area sit, cuius diameter uix iactu lapidis transigitur . Hæc moles in arcis formam redacta est, Castellumque S. Angeli uocitant. Præta autem Quintia, à L. Quintio Cincinato denominata, in campo Vaticano fuisse, Plin. sic commemorat . Aranti quatuor sua iugera in Vaticano, quæ præta Quintia appellantur, Viator attulit dictaturam. Nunc hic locus Præta dicitur, nec longe distat à dicta Hadriani mole . In eodem campo cernuntur adhuc uestigia ( ut uidetur ) cuiusdam Circi, siue Hippodromi .

De Vjs, Flaminia, Aemilia, Claudia, &

Cassia: ac de Villa Cæsarium.

Cap. XXIII.

**C**VM urbis ambitus maior, quàm nunc, olim quandoque fuerit, nonnulla memoratu digna, quæ prius intra menia continebantur, extra ea nunc relinquuntur. Sed multa præterea olim, ut hodie etiam, extra eandem urbem erant. Quorum etsi perpauca in nostram peruenire cognitionem, tamen uidetur non esse alienum ab instituto nostro de his quoque agere. Vias igitur, quarum potissima in his ratio est habenda, M. Aemilio Cos. Censores sternendas silice in urbe, glareæ extra substruendas, marginandasque omnium primos locauisse, auctor est Linius. Postea autem tam extra, quàm intra urbem silice stratas fuisse, indicant plurimis in locis uestigia . Easdem uias Cn. Gracchum certis regionibus direxisse, & passim lapide strauisse, partimque munuisse aggeribus, iniqua adæquantem, & quantum ualles, torrentesque abrupiebant pontibus æquali altitudine coniungentem, tradit Plut. Idem Gracchus dimenso uiarum spatio singulis interuallis columnas lapideas, spatij signum præseferentes constituit. Fuisse autem uiarum etiã extra urbem Curatores, testatur Cic. ep. prima ad Atticum, ubi ait, Thermum Curatorem uia Flaminia fuisse . Hæc uia initium habebat à porta Flumentana . De ea Strabo sic loquitur . Eodem in consulari M. Lepidus, & C. Flaminius collega fuere . Victores autem Ligurum strauere, hic quidem Flaminiam, è Roma per Tusciam, & Umbriam, usque Ariminum: alter reliquam porro usque

L

Bononiam: & ex ea in Aquileiam prope Alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere. Liuius etiam commemorat, eundem Aemilium Cos. subactis eidem Liguribus uiam à Placentia productam Flaminiam commisisse. Quibus uerbis et conuincimus, uiam Aemiliam initium habuisse ab Arimino: finem uero ad Trebiā Placentiæ urbis fluuium. Præter hanc, altera eiusdem nominis erat uia. Viriusq; Strabo sic meminit. Hic ille Scaurus, qui per Pisas, & Lunam usque Sabbatios uiam strauit Aemiliam, hinc per Dertonam. Alia uero est Aemilia, quæ Flaminiam excipit. Flaminiam autem ab Augusto instauratam esse, Suetonius sic ostendit. Quo facilius undiq; urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia uia Ariminotenus munienda, reliquas triumphalibus uiris ex manubiali pecunia sternendas distribuit. In hac plurima cernuntur sepulcra, sed quæ per uetustatem, an sepulcra, nedum quorum fuerint, uix dignosci licet. In eadē uia ad nonum lapidem fuit Villā Cæsarium, quæ ad Gallinas dicebatur auctor Plin. Qui eius nominis rationem sic ponit. Gallinam conspicui candoris sedenti Linia Druillæ ex alto abiicit in gremium illa sam, intrepidq; miranti accessit miraculum. Quoniam tenentem rostro laureum ramum onustum suis baccis conseruari alitem, & Jobolem iussere aruspices, ramumque eū feri, ac rite custodiri. Quodq; factum est in uilla Cæsarium fluuiio Tiberi imposita, iuxta nonum lapidem Flaminia uia, quæ ob id uocatur ad Gallinas. In eadem uia erant Clitellæ, loca quædam deuexa, & accliui. Nam, ut Sex. Pom. ait, non tam hæ quibus sarcinæ colligatæ mulis portantur Clitellæ dicuntur, sed etiam locus Romæ per similitudinem, & in uia Flaminia loca quædam deuexa, & accliui. Fuit etiam extra portam Flumen ratiā uia Claudia appellata, quæ Flaminia iungebatur, ut testatur Oidius his uersibus.

Nec quæ piniferis positos in collibus hortos

Spēctat Flaminia claudia iuncta uix.

Fuit extra eandem portam uia Cassia, à Cassio qui, ut refert Sex. Pom. eam strauit, denominata. Hæc Sutrium, Vetrallam, Viterbiūq; & in Vulturnensem mittebat regionem.

De Vijs, Collatina, & Salaria: Templis, Veneris, Cereris, &

Honoris: ac de Sepulcris Licinij, Marij, &

Ilia: & de Ponte Salario.

Cap. XXIII.

EXtra portam Collatinam erat eiusdem nominis uia, quam Fron. Collatinā appellat, quod in Collatiam duceret. Hæc haud procul ab ipsa porta iungitur uia Salaria: quæ initium habet à porta Collina. De hac Strabo sic meminit. Rerum scriptor Fabius auctor est, Romanos tum primum diuitiarum sensum accepisse, cum Sabinorum potiti sunt gentis: per ipsos uia Salaria, in quam, apud Heretum Sabinorum uicum supra Tiberim iacentem, Numantina incidit, non magnæ longitudinis strata est: ex eadem Collina porta inchoans. In hac uia fuit Templum Veneris Erycinæ, ubi restagnante Tiberi lusi di Apollinares fiebant. De hoc idem Strabo sic inquit. Est & Romæ ante portam Collinam deæ huius ædificium, quod Veneris Erycinæ templum dicunt: cui cum æde sacra insignis adiacet Porticus. Votum autem ferunt à Fabio Dictatore, dicatum uero à L. Portio. Deæ simulacrum dedicauit pudicissima suæ ætatis femina Sulpitia. Plin. Pudicissima, inquit, femina semel matronarum sententia iudicata est Sulpitia Paterculi filia, uxor Ful. Flacci, quæ simulacrum Veneris ex sibyllinis carminibus dedicaret. Secus eadem uiam extant uestigia quædam templi, ut puto, Cereris. Ibi. n. eius deæ, Bacchi quæ picturæ cum uitibus, & hydrijs cernuntur. Nam quod hoc templum fuerit extra urbem, consentaneum est Vit. præceptis, qui scribit, Cereri extra urbem ædem esse locandam loco, quo non semper homines nisi per sacrificium necesse habeant adire. Cum religione, inquit, caste, sanctisque moribus is locus debet tueri. Extra dictam portam Honoris templum statutum fuisse ait Cic. secundo de legibus, cum inquit. Nostri

extra portam Collinam Aedem Honoris? & Aram in eo loco fuisse memoriae proditum est . Aedem cum Lamia fuisset inuenta in ea scriptum domina honoris, ea causa fuit ædis eius aedificanda. Sed cum multa in eo loco sepulcra fuissent, exarata sunt. Statuit .n. collegium locum publicum non potuisse priuata religione obligari . Via Salaria ad secundum lapidem, insigni monumento sepulchus fuit Lucinius tonsor Aug. qui fuit ditissimus. Eadem uia ad .III. lapidem supra Anienem extat pons eiusdem nominis cum uia, a cuius dextra est hæc inscriptio.

IMPERANTE .I. N. PISSIMO AC TRIUMPHALI SEMPER IVSTINIANO. PP. AVG. =  
ANNI. XXXVIIII.

NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX PRAEPOSITO SACRI PALATII. EX CONS.  
ATQVE PATRICIVS. POST. VICTORIAM. GOTHICAM IPSIS ET EORVM REGIBVS  
CELERITATE MIRABILI CONFLICTV PVBLICO SVPERATIS ATQVE. PROSTRATIS  
LIBERTATE VRBIS ROMAE AC TOTIVS ITALIAE RESTITVTA PONTEM =  
VIAE SALARIAE VS

QVE AD AQVAM A NEFANDISSIMO TOTILA TYRANNO DISTRVCTVM =  
PVRGATO FLVMINIS ALVEO

IN MELIOREM STATVM QVAM QVONDAM FVERAT RENOVAVIT

*A sinistra uero leguntur carmina quæ sequuntur.*

QVAM BENE CVRBATI & DIRECTA EST SEMITA PONTIS &

ATQVE INTERRVPTVM & CONTINVATVR ITER &

CALCAMVS RAPIDAS & SVBLECTI GVRGITIS VNDAS &

ET LIBET IRATAE & CERNERE MVRMVR AQVAE &

ITE IGITVR FACILES & PER GAVDIA VESTRA QVIRITES &

ET NARSIM RESONANS & PLAVSVS VBIQVE CANAT &

QVI POTVIT RIGIDAS & GOTHORVM SVBDERE MENTES &

HIC DOCVIT DVRVM & FLVMINA FERRE IVGVM &

Parum infra hunc pontem Anio in Tiberim se se exonerat: de quo Diony. sic inquit. Anio ex urbe Tibure effusus per excelsum scopulum multus per planiciem Sabinorū, Romanorūq; fertur, determinās utranque regionem, influitque in Tiberim parum infra pontem Salarium, aspectu pulcher, & potu dulcis. In hoc Aniense sepultam fuisse Iliam, scribit Acron . Et Cic. apud eundem fluvium fuisse Marj sepulcrum. Ad eundem fluvium Torquatus a Gallo in pugnam prouocatus victor euasit. In eiusdemq; gurgite simulacrum Sibyllæ tiburtinæ, quæ Tiburi ut dea colebatur, inuentum est, tenens in manu librum: cuius sacra Senatus in Capitolium transtulit. Inter uiam Salariam, & Tiberim fuit Lucus per magnus: in quo Romani Lucaria festa celebrabant, pro eo quod uicti a Gallis, fugientesque e prælio ibi se occultauerunt, auctor est Sex. Pom.


De Via Numentana: Næniæ sacello: Templo Bacchi: Suburbano  
Phanoti: & de Castro custodiae .  
Cap. XXV.

**A**limali porta incipit uia Numentana: qua iter erat Numentum oppidum Sabinorum. Dicta est hæc uia etiam Figulnensis, a loco extra ipsam portam, ubi fætilia fiebant. Liuius. Decemviri Numentana, cui tum figulnensis nomen fuit, profecti castra in monte Sacro locauere. Extra eandem portā Næniæ Deæ Sacellum fuerat. Hæc .n. dea cantu querulo funeribus adesse putabatur, ut scribit Sex. Pō. Deorum .n. quos obesse putabant templa secundum stationis decorem extra urbem ponebantur. Animaduertimus tamen præceptum hoc, ut diximus, non semper seruatum esse. Nam in Palatio Febris Fanum: in Exquiljs Malæ Fortunæ: ad Auentini radices Socordia: & ad Augusti forū Martis Ultoris templa


L ij



fuisse, demonstratum est. Quæ, non ut opem ferrent, sed ne obessent, numina colebantur. Via eadem ad secundum lapidem uisitur Bacchi templum spherica forma cum columnis geminatis, in gyrumque ita dispositis, ut templi testudinē susineant: ubi uermiculato opere varia ornamenta cernuntur: ibique porphyriticū sepulcrū uitibus, ac uuis insculptis exornatū: quod uulgus Bacchi sepulcrū appellat. Eius tēpli descriptio subiacet. Apparent autē apud hoc tēplū magni cuiusdā ædificij ruina, quæ Hippodromi uestigia esse uident. Hinc uō ad stadia III. Anieni imposuit est, alius Pons, q̄ priscū adhuc nōmen retinēs Numentanus, quemadmodū uia, nuncupatur. Hunc, sicuti Salarium, eundem Narseten eunuchum extruxisse, idque marmoris inscriptionem, quæ tamen hodie nō extat, indicasse ferunt. Inter dictam uiam, & Salariam circa IIII milliarium fuit Suburbanum Phanoti liberti Neronis: quō Nero ipse fugiens se ipsum interfecit, ut auctor est Suet. Extra Querquetulanam autem portam locus est quadratus, parietibus circumseptus: qui dicebatur Castrum custodiæ, ubi fuerant olim in statione milites prætoriani Dioclitiani, ut quidam testantur. Procopius scribit, Eregione Viuarij extra muros, ueteres alterū breuē murum modico intervallo adiecisse, non ad tutelam, sed ad delitias, ut leones, & alias feras ibi seruarent: quem locum olim Viuarium, nunc uero, qui ibi prædā habent, Viuariolum uocant.



fuisse, demonstratum est. Quæ, non ut opem ferrent, sed ne obessent, numina colebantur. Via eadem ad secundum lapidem uisitur Bacchi templum. Sphærica forma cum columnis geminatis, in gyrumque ita dispositis, ut templi testudinē sustineant: ubi uermiculato opere, varia ornamenta cernuntur: ibique porphyreticū sepulcrū uitibus, ac uuis insculptis exornatū: quod uulgus Bacchi sepulcrū appellat. Eius tēpli descriptio subiacet. Apparent autē apud hoc tēplū magni cuiusdā edificij ruina, quæ Hippodromi uestigia esse uident. Hinc uō ad stadia III. Anieni impositus est, alius Pons, q̄ priscū adhuc nomen retinēs Numentanus, quemadmodū uia, nuncupatur. Hunc, sicuti Salarium, eundem Narseten eunuchum extruxisse, idque marmoris inscriptionem, quæ tamen hodie nō extat, indicasse ferunt. Inter dictam uiam, & Salariam circa IIII miliarium fuit Suburbanum P. Anq̄i liberti Neronis: quō Nero ipse fugiens se ipsum interfecit, ut auctor est Suet. Extra Querquetulanam autem portam locus est quadratus, parietibus circumseptus: qui dicebatur Castrum custodiæ, ubi fuerant olim in statione milites prætorian Dioclitiani, ut quidam testantur. Procopius scribit, Eregione Viuarj extra muros, ueteres alterū breuē murum modico intervallo adiecisse, non ad tutelam, sed ad delicias, ut leones, & alias feras ibi seruarent: quem locum olim Viuarium, nunc uero, qui ibi prædia habent, Viuariolum uocant.





De Vijs, Prænestina, Labicana, Campana, Gabina: & de Pontibus, Mamæo, &  
Lucano: Aniene Veteri, & Noua, ac de Aqua Appia.

## Cap. XXVI:

**A**B Exquilina porta Labicanam, & Prænestinam uiam initium habuisse, sic ostēdit Strabo. Porro in unum cadit Labicana à porta quidem Exquilina incipiens, à qua & Prænestina: à sinistra uō & hanc, & Exquilinum omittens campum, ultra C. & XX stadia pergit. Cum autem Labico uetustio sanè oppido cæterum disiecto, & in sublimi suo propinquat, & hoc, & Tusculum relinquit à dextra. Prænestinam autem ab Exquilina porta incipere relinquereque à sinistra campum Exquilinum, haud dubie uere dictum est: cum etiam intra urbem in ipsa Prænestina Capitolinus priuatam Gordiani domum positam esse asserat. Sed Labicanam ab eadem porta initium habuisse, aduersari uideatur ea, quæ de uia Labicana intra urbem supra tradidimus. Nisi uelimus dicere Labicanam uiam, non tantum ab Exquilina, sed etiam à Neuia, quæ illi proxima est, quaque etiam proximum iter est in Labicos, initium extra urbem sumpsisse. Non enim alienum est uias celebres per uaria capita in urbem perducī. Extra hanc portam, apud ædem D. Laurentij, in uinetis iacet Obeliscus quidā cōfractus: de quo nihil est quod præterea possumus affirmare. Haud ita multo post uisitur supra Anienem pōs Mamæus, uulgo Mamolo appellatus, ab Antonino Pio constructus: qui à Mamæa matre Alexandri instauratus, eius nomen obtinuit. Quartus pons super eundem fluuium Lucanus nuncupatur, qui Tiburi proximus est. Ex Aniene at duo aquarum ductus Romam perducebantur. Eorum alter Anio Nouus: alter uero Anio uetus nuncupabatur. De his Frontinus hæc scribit. M. Curius Dentatus, qui Censuram cum L. Papyrio gesserat, Anionis ueteris aquam perducendam in urbem ex manubijs de Pirrho captis curauit, post annos XL. quàm Appia fuerat perducta, anno ab urbe condita CCCCLXXXIX. Sp. Caruilio, & Papyrio Coss. Post biennium deinde actum est in Senatu de eius consumatione. Tum ex S. C. diuuiui aquæ perducendæ creati, Curius, & Ful. Flaccus. Curius intra quintum diem, quàm erat diuuiui creatus, decessit. Gloria perductæ pertinet ad Fuluium. Concipiebatur supra Tibur XX. milliario, extra portam Raram, ubi partim in Tiburtinum distribuebatur usum, partim Romam deducta erat: quæ minus salubris in hortorum irrigationem, atque in ipsius urbis sordida existeret ministeria. Ductus eius habebat longitudinem passuum XLIII. millium. Ex eo riuus erat subterraneus pas. XLII. Substructione supra terram pas. DCCIII. Huius aquæ ascriptus erat modus in cōmentarijs quinariorum M. CCCXXI. Ad caput Fron. inuenit III. M. CCCXCVIII. præter eum modum, qui in proprium ductum tiburtinum derivabatur. Extra urbem erogabantur nomine Cæsaris quinarie CLXIX. Priuatis CCCIII. Reliquæ diuidebantur intra urbem per regiones, Primam. III. IIII. V. VLVII. VIII. XII. XIII. In castella XXXV. Perueniebat autem in regionem uia Noua ad hortos Anfinianos, unde per illum tractum distribuebatur. Rectus uero ductus, secundum speciem ueterem ueniens, intra portam Exquilinam in altos riuos per urbem, eo modo quo diximus, deducebatur. Anio autem Nouus sublacensi uia ad milliarium XLII. in suo riuo excipiebatur, ex flumine qui cum terras cultas circū se haberet soli pinguis, & inde ripas solutiones, etiam sine pluuiarum iniuria limosus, & turbulentus fluebat: Ideoque à faucibus ductus interposita erat piscina limaria, ubi inter amnem, & specum consisteret, & liqueretur aqua: sic quoque, quoties imbres superuenirent, turbida perueniebat in urbem. Iungebatur ei riuus Herculaneus oriens eadē uia ad milliariū XLIII. Ductus Anienis efficiebat longitudinem passuum LXII. M. Hæc aqua in cōmentarijs habere ponebatur quinaras III. millia CCLXIII. Frontinus mensus ad caput reperit quinaras III. mille DCCXXXVIII. Ex quibus nomine Cæsaris extra urbē erogabantur DCCXXVIII. Reliquæ, ut dictū est, intra urbem cum Claudia confundeant. Hæc aqua à Piscinis in altiores arcus recipiebant, ita ut superior esset Anio, finiebantur arcus earū post hortos Pallantianos: inde in usum urbis aqua fistulis deducebat. Partē tamen sui Claudia prius in arcus, qui uocabant Neroniani, ad speciem ueterem transferebat. Si directi per Caelium montem iuxta templum D. Claudij terminabantur: modum, quem acceperant, aut circa ipsum Caelium, aut in palatium, Auentinūque, & in Transiberinam regionem dimittebant.

L in

Anienis aqua minus permanebant limpida, & saepe etiam sereno turbabantur. Quoniam quamuis purissimo deflueret lacu, mobilibus tamen, ut diximus, cedentibus ripis auferebat aliquid quo, prius quam deueniret in riuos, turbaretur: propterea uitabat ceteras. Nam cum editissimus ueniret, & in primis abundans, aliquando defectioni aliarum succurrebat. Inquinabat maxime Claudiam. Vetus uero Anio cum plerumque libra esset inferior, incommodum infra se tenebat. Anienem autem Nouam Frontinus à Nerua Curator aquarum constitutus restituta forma in urbem perduxit. Aqua autem Appia M. Valerio Maximo, P. Decio Murena Coss. anno XX post initium Samnitici belli inducta est ab Appio Claudio Crasso Censore, cui postea Ceco fuit cognomen: qui & uiam Appiam à porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curauit. Collegam habuit C. Plautium, cui, ob inquisitas eius aquae uenas, Venocis cognomen datum est. Sed is intra annum & sex menses deceptus à collega, tanquam idem facturo, abdicauit se à censura. Nomen aquae ad Appiam tantum honorem pertinuit: qui multis tergiuersationibus extraxisse censuram traditur, donec & uiam, & huius aquae ductum consumaret. Concipiebatur autem in agro Lucullano, uia praenestina, inter miliarium VI. & VIII. diuerticulo sinistrorsus passuum DCC. LXXX. Ductus eius habebat longitudinem à capite usque ad Salinas, qui locus erat ad portam Trigeminam, passuum XI millium CXC. Subterraneo riuo passuum XI millium CXXX. Substructione, & supra terram opere arcuato proxime ad portam Capenam passuum LX. Appia in Comentarjjs ascriptus erat modus quinariorum DCCCXLII. Vniuscuiusque ad caput inueniri mensura non poterat, quoniam ex duabus riuis constabat. Ad Gemellas tamen, qui locus erat intra speciem ueterem, ubi iungebatur cum ramo Augusta, altitudo aquae erat pedum quinque: latitudo uero unius, & dodrantis: quae efficiebat quinarias M. DCCCXXV, ampliusquam in Comentarjjs, quinarjjs DCCCCLXXXIII. Erogabat quinarias DCC IIII. Minus quam in Commentarijs ascribebatur, quinarjjs CXXXVIII. Et adhuc minus quam ad Gemellas mensura responderet, quinarjjs M. CXXI. Intercidebat tamen aliquantum ex ductus uitio, qui cum esset depressior non facile manationes ostendebat. Ex hac fluebant extra urbem quinariae tantummodo quinque: reliquae DCXIX. intra urbem diuidebantur per regiones. II. V. VIII. IX. XI. XII. XIII. XIII. in castella XX. Ex quibus nomine Caesaris quinariae CLI. Priuatis CXCI. Publicis usibus CCCLIII. Ex eo castris unis, quinariae IIII. Operibus publicis quatuordecim, quinariae CXXII. Muneribus, quinariae II. Lacubus nonaginta duobus, quinariae CCXXVI. Anno ab urbe condita DCVIII. Ser. Sulpitio Galba, & L. Aurelio Cotta Coss. cum huius ductus, & Anionis uetustate essent quassati, priuatorum etiam fraudibus interciperentur, datum est à Senatu negotium M. Titio, qui tum Praetor inter ciues, & peregrinos ius dicebat, eorum ductuum rescindendorum, & uindicandorum. Eosdem autem cum Martiae ductu penè dilapsos longo tempore post restituit Agrippa. A Caesalimontana autem porta incipit uia Campana, quae statim in duas semitas dirimitur: sed post pauca stadia utraque uia Latinae iungitur. Inter Caesalimontanam, & Latinam portam, Gabiusam locatam esse diximus, à qua olim principium habebat uia Gabina: de qua Liuius ita meminit. P. Valerius T. Herminium cum modicis copijs ad. II. lapidem Gabina uia occultum considerare iubet. Idem. Ad. III. lapidem uenere uia Gabina. Hanc uiam breuem fuisse, incidisseque in Praenestinam significat Strabo, cum in ea Gabios fuisse, sic tradat. Sunt & Romanorum oppida à sinistra Latinae, inter eam, & Valeriam Gabij sane extant, in praenestina uia sui.

De Vjs, Valeria, Latina, & Appia: Templis, Fortunae Muliebris, Martis, Tempestatis,

Spei, Ridiculi: Item de Sacrario Bonae deae: Luco & aede Camoenarum:

Circo Antonini: & de Aqua Mercurij.

Cap. XXVII.

**A** Latina autem porta initium habet uia eiusdem nominis, in Latinos populos ducens. Nam per Leuicanum, quod hodie dicitur Valmontone, perque Casinatem Sancti Germani saltum appellatum, in Campaniam usque protenditur: de qua Strabo sic scribit. Praeclarissima sunt uia Appia, & Valeria:



una qdē ad mare Latinæ partes supans usque Sinuessā p̄tendit: altera ī Sabinā usque ad Marfos: iter has media Latina est: quæ ad Casinū oppidū cōiugii Appiæ, ab Capua XIX distās stadys. In Latina fuit Tēplum Fortunæ Muliebris, eiusdēmq; deæ Simulacrum, ne phas attingi nisi ab ea, quæ semel nupsit. In eadē uia fuit Suburbanum Phylidis nutricis Domitiani, in quo ipsum funeravit: sed reliquias templo Flaviæ Gentis clam intulit, cineribūsq; Iuliæ filiæ Titi, quam & ipsam educauerat, comiscuit, auc. Suet. A porta uero Capena incipit uia Appia, quæ ab Appio Claudio Cens. denominationem accepit. Ea erat latitudo ut plaustra duo ex aduerso inuicem occurrentia libere exciperet. De hac Linius ita mentionem facit. Memoriae felicitatis nomen Appij, & uiam munivit, & Appiam aquam deduxit: et Cic. pro Milone, his uerbis. Hoc. n. sæpe ab istis dicitur, perinde quasi Appius ille Cæcus uiam munierit, non quæ populus uteretur, sed ubi impune sui posterī latrocinentur. Verum ultra Capuam, Appium hanc uiam munuisse, non constat: quæ tamen Brundisium usque fuit strata. Quis autem præter Appium eam strauerit, non memini me legere: nisi quod Plur. ait, C. Cæsarem, cum illi huius uiae cura esset commissā, ingentes prodegitse pecunias. Nouissime restituit Traianus, desiccatisque paludibus, excissis collibus, aggeratis uallibus saxis constratis, ac pontibus extructis permeabilem fecit, auctor est Dion. Hanc uiam omnium aliarum reginam esse dicit Statius. In ea fuit Martis Templum. Ouidius.

Lux eadē marti festa est, quem prospicit extra

Apposuit rectæ porta capena uia.

Linius. Viam Cens. sternendam à porta Capena ad Martis templum locauere. Hoc templum supra columnas. C. posuit Sylla Aedilis consecrauit. Apud ipsum fuit Manalis Lapis, quo propter nimiam siccitatem in urbem relato, pluuia statim sequebatur: eūmq; quod aquas manare faceret, Manalem lapidem dixere, ut scribit Sex. Pom. Martis signum in uia Appia Cn. Seruilio, & Flaminio Coss. sudasse, testatur Linius. In eadem uia fuit Bonæ deæ Sacrarium, apud quod Clodius: & (ut testatur Cic.) M. Papius fuit interfectus. Lucus etiam, & ædes Camænarum fuit extra portam Capenam: quæ à Ful. Nobiliori condita est, ut scribit Asconius. In hac fuisse Statuā Actij poetæ testatur Plin. his uerbis. Notandum ab auctoribus & L. Actium poetam in Camænarum æde maxima forma statuam sibi posuisse, cum breuis admodum fuisset. Extra eandem portam fuere, Ara Apollinis, Lucus honoris, Aedes spei, et tēpestatis. Hanc Marcellus, cū in Corsicam, Sardiniamque nauigans grauissimā tempestatem pateretur, uouit, & eo naufragio seruatus extruxit, auc. est Ouid. Extra eandem portam ad Il lapidem fuit Templum ridiculi: ideo excitatum, quod ibi Annibal castrametatus retrocesserit illusus. Via præterea Appia Hortos Terrentianos fuisse legimus. XX. iugerum. Circus Antonini Caracallæ is est, ut plerique omnes consentiunt, cuius ingentes ruinae, & inter eas Obeliscus, metarūque uestigia non procul ab æde D. Sebastiani: cernuntur ubi aiunt prius Prætoria castra à Tiberio Cæs. fuisse constituta. Nam Suet. scribit, hunc Romæ castra constituisse, quibus prætorianæ cohortes, uagæ ante ea tempora, & per hospitia dispersæ, continerentur. Prope portam Capenā fuit locus Mercurio sacer, & aqua Mercurij dicta: ad quam cum populus conuenisset, unusquisq; lauri ramo alterius caput ea aspergebat aqua, Mercurium inuocans, ut delicta, præsertim periuria dilueret: hinc Ouidius sic inquit.

Est aqua mercurij portæ uicina capenæ,

Si iuuat expertis credere, numen habet.

Fuere in uia Appia Tabernæ Cæditæ, Domini nomine uocatæ: ut ait Sex. Pom. Et Forum eiusdem nominis cum uia: Trēsque Tabernæ de quibus Cic. ad Atticum meminit: item Lucus Egeriæ, quod Camænis Numa sacrauit. Multaq; præterea in hac uia fuisse sepulcra ostendunt illorum uestigia: significat & Cic. cum inquit. An tu egressus porta Capena cum Calatini, Scipionum, Seruiliorum, Metellorum sepulcra uides miseros putas illos? Hæc suis ornamentis, & titulis cum sint spoliata, quorū fuerint ignoratur, uno excepto, quod est parum ultra circum, de quo modo locuti sumus, ubi dicitur ad Caput bouis, in quo est hic titulus.

CAECILIAE  
Q. CRETICI. F  
METELLAE. CRASSI

Nam & si ante portam Capenam Sepulcrum sororis Horatij illius, qui ex Trigeminis superstes ipsam interfecerat, eoque in loco ubi exanimis ceciderat, fuisse legamus, tamen proprijs suis nullum extat indicium. Ad eundem modum, tum Q. Cæciliij auunculi Pom. Attici sepulcrum, quod ad quintum lapidē possum esse, in eoque ipsum Atticum conditum scribit Cor. Nepos: tum Imp. Gallieni, quod in uia Appia millibus ab urbe nouem Sex. Aurelius fuisse testatur: tum & gentile Scipionum monumentū, quod etiā extra eandem portam fuisse, & Archiam poetam in eo conditum affirmat Cic. quibus in locis omnino fuerint præterea ignoratur. Quod autem dicebamus P. Africanum in Vaticano conditum fuisse, non omnibus probatur: cum sint qui uelint in hoc gentilicio sepulcro illatum esse, & nonnulli qui ea de re aliquid affirmare omnino audeant. Quorum est Liuius, qui sic inquit. Africanum alij Romæ, alij Litterni & mortuum & sepultum: utrobique monumenta ostenduntur, & statuae. Nam & Litterni monumentū, monumentoque statua superimposita fuit, quam tempestate disiectam nuper uidimus ipsi: & Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt: duæ P. & L. Scipionum esse dicuntur: tertia poetæ Q. Ennii. Quinto tamen decadis quintæ asserere uidetur, Litterni esse sepultum: quod Strabo etiam affirmat, his uerbis. Prope mare post Sinuessam Litternum est oppidum, ubi prioris Scipionis cognomento Africani sepulcrum iacet. Ibi. n. extremam consumpsit ætatem. In Ennii poetæ statuae basis, cuius ex Liuius modo meminimus, hæc fuerant carmina.

ASPICITE. O. CIVES. SENIS. ENNII. IMAGINIS. FORMAM  
HEIC. VOSTRVM. PANXIT. MAXVMA. FACTA. PATRVM  
NEMO. ME. LACRVMIS. DECORET. NEQ. FVNERA. FLETV  
FAXIT: CVR? VOLITO. VIVVS. PER. ORA. VIRVM

Lemonia tribus inter portam Capenam, & uiam Latinā fuit, à pægo Lemonio appellata, auc. Sex. Pom. Via demum Laurentina in Appiam incidebat, in eaque Terminalia festa Termino deo sacra fiebant.

De Vijs, Ostiensi, Portuensi, Aurelia, & Vitellia: & de Hortis Galbæ.

Cap. XXVIII.

**A** Bultima urbis porta citra Tiberim initiū habuit uia, quæ, quod Ostiā duceret, Ostiensis est dicta. In qua ad XII. Lapidem diuerticulo milliario VIII. in agro Solonio Pomonal fuisse scribit Sex. Pom. de quo agro meminit Cic. ad Att. Multa præterea dicuntur ab auctoribus fuisse extra hanc portam, quæ hac ætate sunt intra urbem, hoc est in planicie Testatij: de quorum nonnullis supra egimus. Cæterum in Ianiculo à porta, quam Naualem appellatam esse diximus, uia incipiens, Portuensis est dicta: quod ad Ostiensem portum mitteret. Ante Claudij uero tempora, qui hunc portum excitauit, incertū est quo nomine nuncuparetur. Via autem Aurelia à Tribunali Aurelio, uel à porta eiusdem nominis initium habuit, quæ tendebat per maritima Thusciam Pisas uersus: ab Aurelio uiro consulari strata, & des nominata. Huius meminit Cic. in Cat. etiam Eutropius, his uerbis. Etruriam per Aureliam usque ad alpes maritimas ingentes agri sunt, hiq; fertiles, & syluosi sunt. In hac uia haud procul ab urbe, eodē auctore, fuere Horti Galbæ imp. ubi & ipse sepultus est. A porta tandem Fontinali initium capiebat uia, quæ in Triumphalem apud ædem S. Spiritus incidebat. Præter has, uia aliam Vitelliam nuncupatam, à Ianiculo ad mare usque perduxisse, Suet. auctor est.

F I N I S.

**Q** Vanquam alias in priori huius operis editione nonnullorum, qui de ea re scripsere, opinionem multis in locis non temere reprobavi, tamen ubi nulla alia auctoritas mihi suppetebat, ibi eorū sententiam nonnunquam sum secutus, existimans eos viros doctos fuisse, & ætatis beneficio multa, quæ me præterissent, observare facile potuisse. Verum cum postea diligentiori studio, ac cura in veterum scriptorū lectione diu, multumque versatus animaduertissem illos in ijs, quibus minime creder debam, sæpe hallucinatos, meque dum, plus quam debueram, illis tribuo, in aliquos errores induxisse, totum opus percurrere, atque emendare decrevi. In qua quidem re cum Ludouicus Lucæna, & Horatius Nucleus Interamnas, viri multi studij, & iudicij, bonarumq; disciplinarum oppido quam periti, plurimū mihi contulissent: nouam hanc editionem in lucem emittere cōstitui: in qua prioris errata sustulimus, complurāq; præterea memoratu digna addidimus, nihilque nisi certo auctore, uel saltem probabili cōiectura affirmauimus. Varias insuper pro temporum uarietate, nec non quorundam ædificiorum, ac simulacrorum insignium figuras, suis locis opportune insertas, apposui. Quarum nonnullas in lucem editas, ab ijs præsertim qui architecti nomen sibi uendicant, non ignorebam: tamen quia neglige enter, & perperam ab eis factum id esse deprehendi, ad communem studiosorum omnium utilitatem pertinere existimaui, si eas emendate, graphicēque descriptas, huic operi infererem. Id quam accurate fecerimus, quamque hæc superiori nostræ editioni, aliorumque de hac re præstet scriptis, facile cognoscet, si hæc cum illis conferre non grauaberis. Vale.

**E** Rrata corrigenda sic. Pagina secunda, uersu primo. Numitore. pag. 8. uer. 19. principis. 11. 30. pedem. 16. 34. omnino esse. 17. 8. Naumachiam. 17. 47. Praxueles. 18. 5. extabant. 20. 57. scutis. 21. 7. quæ. 23. 4. arcem. 25. 29. Capitolio. 30. 5. post iret, adde. Immortales. 31. 26. quam. 33. 27. arietes. 35. 17. Pessinunte. 35. 38. NVMERIANO. 41. 12. eique rei. 49. 37. dele. ait Suet. id. mque etiam. 52. 6. mauis. 53. 3. Georgij. 53. 6. PATRIAE. 65. 30. ἀλαξικας. 65. 38. Flaminium. 56. 39. Socordia. 67. 27. duaceret. 69. 5. negent. 70. 9. meminit. 71. 14. collocatam. 73. 39. substantia. 75. 17. Castellarios. 76. 27. diligentius. 76. 41. appellationibus. 79. 10. aucupibus. 79. 17. si quidem. 79. 27. araconumque. 82. 46. uerba. 83. 29. CVRAUIT. 83. 42. Longinus. 85. 22. cadauera. 86. 20. VIRIATVM. 91. 32. urbimque planam descendamus. 92. 35, κλαυδιανῶ, pro eo in marmore, κλαυδιανόν. & pag. 108. uer. 28. pro COSS. COS. simplici S fabili (ut puto) errore legitur. 93. 12. OPERIBVS. Hæc dictio fracto marmore imperfecta est. Quare nonnulli hunc titulum in lucem edentes, pro OPERIBVS, temere substituerunt VIRIBVS: cum a uero sensu eo uerbo nihil sit magis alienum. Nos autem ideo OPERIBVS legendum censuimus, quod ita in antiquo exemplari scriptum inuenimus: id quod maxime quadrat magnis ab ipso Traiano circa forum extructis ædificijs: de quibus ibidem multa diximus. 94. 20. dati ijs essent. 96. 13. Collatina. 96. 28. ductus. 98. 27. parieti. 98. 42. quam. 102. 34. sefertium. 108. 19. iudicium.

**M**OTU proprio & cætera. Cum sicut dilectus filius noster Bartholomeus Marlianus nobis exponi fecit, ad cõmunem omnium studioforum utilitatem per aliquot annos laborauerit in perquirendis ædificijs urbis Romæ, librũque de ijs à se compositum alias ediderit, quem emendatum, & priore plura continentem cum eiusdem urbis, & quorundam insignum ædificiorum figuris, & imaginibus hæctenus non impressis nunc imprimi facere intendat, dubitètq; ne huiusmodi liber cum dictis figuris postmodum ab alijs absque eius licentia imprimatur, quod in maximum suum præiudicium tenderet. Nos propterea eius indemnitati consulere uolentes, Motu simili, & ex nostra certa scientia eidem Bartholomeo, ne dictus liber cum figuris imprimendus per decem annos à quoquam, sine ipsius licentia, imprimi, aut uendi, seu uenalis teneri possit, concedimus & indulgemus. Inhibendo omnibus, & singulis, impressoribus, Librarijs, Bibliopolis, Mercatoribus, & alijs personis ubicunq; de gentibus, cuiuscunq; status, gradus, & dignitatis existant, sub excommunicationis lætæ sententiæ: In terris uero S. R. E. mediate uel immediate subiectis etiam centum duc. au. de ca. & ammissionis librorum pœnis eidem Bartholomeo applican. toties quoties contrafactum fuerit ipso facto absq; aliqua declaratione incurren. ne dictum librum imprimendum, uel figuram aliquam uel aliquas sine libro, absq; eiusdem Bartholomei licentia durante decennio imprimere, uendere, seu uenalem habere uel proponere audeat. Mandantes uniuerfis & singulis uenerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, eorũq; Vicarijs, & Vicelegatis sedis Apostolicæ, & ipsius status. Gubernatoribus, ut quoties pro dicti Bartholomei parte fuerint requisiti, uel eorum aliquis fuerit requisitus, eidem Bartholomeo efficaci defensionis præsidio assistentes, præmissa ad omnem dicti Bartholomei requisitionem contra inobedientes & rebelles per censuras ecclesiasticas, etiam sæpius aggrauando, & alia iuris remedia, appellatione postposita, auctoritate apostolica exequantur. Inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Et insuper quia difficile esset admodum præfatum Motum proprium ad quælibet loca deferri: Volumus & auctoritate apostolica decernimus ipsius transumptis uel exemplis, etiam in ipso libro impressis, plenam, & eandem prorsus fidem ubique, tam in iudicio quam extra, haberi, quæ præsentis originali haberetur. Et quòd præsentis Motus proprii sola signatura sufficiat, & ubiq; fidem faciat in iudicio, & extra, regula nostra in contrarium edita non obstante

Placet. A.



A.B.C.D.E.F.G.H.I.k.L.

Omnes sunt terniones, præter A.B. duerniones.

Roma in ædibus Valerij, dorici, & Aloisij fratris, Academia  
Romana impressorum, Mense Setembris.

M. D. XLIII.



A.B.C.D.E.F.G.H.I.k.L.

*Omnes sunt terniones, præter A.B. duerniones.*

*Roma in ædibus Valerij, dorici, & Aloisij fratris, Academia  
Romana impressorum, Mense Setembris.  
M. D. XLIII.*













Ayuntamiento de Madrid